

Del Collegio de la Comp. de J. de S. de Cant. 1812

R. 27862

OPVSCVLA
THEOLOGICA
IVLII RVGERII

Protonotarij, & Secretarij Aposto-
lici, Abbatis Lamularum,
& Theologi.

*Quorum inscriptiones, & argumenta posterior
pagina indicabit.*

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Franciscum Zilettum. M D LXXXI.

INSCRIPTIONES ET ARGUMENTA

Opusculorum omnium, quæ hoc volumine continentur.

I OPUSCULUM DE LIBRIS CANONICIS.

IN quo singula Verbi Dei Volumina recensentur, & Ecclesie Canone dijudicantur; Atque illorum traditio, ad Apostolica usque tempora reuocata, Patrum testimonijs, & Ecclesie consuetudine aperte dilucidatur. Ad illa præterea omnia, quæ singulis obiecta sunt, abundè respondetur. Tandem uerò quæ sit ipsorum germana lectio, & in aliam linguam probata Translatio accuratè explicatur.

II OPUSCULUM DE SENSIBVS SCRIPTURAE SACRAE.

IN quo sensus plures Diuinis Scripturis contineri demonstratur, Quorum singula species, Natura, & Vires explicantur. Atque illarum tum mutua coniunctiones, tum uaria dissimilitudines ipsarum collatione ostenduntur. Quis denique sensus in Ecclesia sit, Et quo sensu Scriptura ipsa demonstret, declaratur.

III OPUSCULUM DE AUDITORE THEOLOGIAE.

IN quo Nota, & conditiones omnes traduntur, quibus Auditor Theologiae dijudicari, & à ceteris internosci debeat.

IIII OPUSCULUM DE QVAESTIONIBVS.

IN quo examinatur, An querere, & disputando aliquid inuestigare Theologo liceat, expediatque, & Quando, & Quomodo, & Quibus de rebus.

V OPUSCULUM DE RHETORICA FACVLTA TE.

IN quo Rhetorica quis usus sit Theologo opportunus explicatur.



AD SANCTISSIMVM PATREM
GREGORIVM PONT. MAX.
EIVS NOMINIS XIII.

Iulii Rugerii Præfatio.



LX donis omnibus, quæcunque Dei beneficio, & concessu hominibus data, & quasi propignore tradita conspiciuntur, ad ipsorum in terris alendam & confirmandam spem sempiternæ illius gloriæ, qua Beati in cælesti patria diuino & immortalî munere fruuntur, illud profectò est præstantissimum, quo Deum ipsum mortales intelligunt, ac mentibus quodammodo cernunt; huiusmodi enim notio, & intelligentia cum initium quoddam est æternæ hominum beatitudinis, in patente apertoque Dei aspectu positæ, ad quam hæc ipsa notitia, ueluti finem, relata, in eandem denique, conuersione facta, transfertur, perinde ac puer ipse, ætate accedente, uir tandem euadit; quæ quidem similitudine in eo cognitionis transitu declarando Paulus Apostolus utebatur; tum ordinatè disposita, mortaliu hominum uera est fœlicitas, atque perfectorum fidelium ipsamet perfectio propriè dici potest, quibus præter charitatem, omnibus ad salutem necessariam, singulari quodam munere tribuitur. Hoc autem excellentissimorum hominum diuinum donum, fuit quidem cum clarissimis Populi

Hebræi Ducibus olim communicatum, deinde uerò largè & copiosè magis ipsis Apostolis datum, indeque ad Ecclesiæ Doctores delatum, ut tandem ad minores quosque Theologos paulatim hucusque fluxerit; quorum ego uestigia, Dei concessu, persequi maximè exoptans, nec virium, quam sentiebam, imbecillitate perterritus, commonstratum iter ingredi iam pridem constitui, ac sine vlla mora post liberalium disciplinarum diligens studium, me totum in ipso iuuentutis flore exquisitis Theologis instituendum tradidi, quorum ductu & opera, tum Dei Verbum studiosè inquirens atque perpendens, tum de maximis ac diuinis rebus assidue disputans, subtilem quandam, & contractione breuem factam, ueram tamen & solidam scientiam, quæ in scholis publicè tradi solet, Dei in primis auxilio sum consecutus. Deinde uerò in sacrorum Conciliorum, & antiquorum Patrum monumentis uoluntari cæpi, quorum lectione mirificè delectabar, ut potè qui planè intelligebam eiusmodi riuos, ab Apostolicis fontibus ductos, purè & incorruptè ad nos ac omnium seculorum posteritatem transfundere tum rectam fidei regulam, germanam Scripturarum interpretationem, exquisitam operum, & actionum notitiam, Apostolicam Ecclesiæ administrationem, ad summamque illorum omnium integram traditionem, quæcunque credere uel agere Christianum hominem oportet; tum uerò ad exercitationem perfectionemque eorum hominum, qui in meditando uehementiores sunt, plurimas & accuratas commentationes de Deo, Angelo, Homine, Mundi creatione, Humanæ salutis restitutione, Beatorum sempiterna uita, cæterisque omnibus, quæcunque naturalia aut diuina nobis fas est subtilius perscrutari, ut moderatè disputantes, Deo in primis honorem tribuamus, deinde uerò contemplationis pabulo mente oblectata, causas, rationes, & modos (quoad licet) earum rerum intelligamus, quas uel esse simplici fide credimus, uel

chari-

charitatis officia exercentes agimus. Quibus cognitionis affluentibus copijs ditari Nouæ, & piæ Scholæ Latini Magistri, ingenio acuti, & ad disputandum acerrimi, quamuis plurimas inde hausas sententias, & meditationes Gymnasiis importarint (quicquid enim præstans ac solidum apud ipsa illorum sermone ad Ecclesiæ fructum percrebuit, id totum ab antiquis Patribus acceptum recentiores ipsos ad suarum disputationum usum transtulisse fatendum est) eorum tamen Academia tunc maxime, cum Doctorum nobilitate floreret, graui affecta est incommodo, ob græcæ linguæ ignorationem, in qua Latini homines uersabantur; qui propterea tum plurimorum Conciliorum, tum græcorum Patrum Commentariorum ferè innumerabilium fructuosa lectione carere cogebantur (ut veterum Latinorum monumenta ipsa silentio prætereamus, quæ, imprimendi arte nondum inuenta, cum facile peruulgari non possent, in posterorum manus illa quoque integra non peruenerunt, ut ipsorummet scripta non obscurè testantur) Quod grauißimum impedimentum cum excellentes eius seculi Magistri nulla diligentia superare ualuerint, integram pariter scientiam ac eruditionem, à sanctis Patribus literis consignatam, & monumentis diligenter mandatam arripere, excipereque non potuerunt; quare nec ipsorum scripta tantorum uirorum grauißimis testimonijs, firmißimisque rationibus ita referta conspiciuntur, ut studiosi posterius desiderarent, atque publica utilitas postularet, cum certum ac perspectum sit, eiusmodi ueterum auctoritatem, testium consensum, atque sententiarum & rationum cumulum multo magis in ipsa Theologia, quam in alia quauis scientia, esse ad confirmandum & confutandum utilem, ac necessarium. Postquam uerò inferioribus temporibus, quæ hoc seculum proximè antecesserunt, Dei beneficio, ac prouidentia singulari, græcæ linguæ cognitio in

latina Ecclesia renata est, eademque florescit quotidie magis, atque unà cum illa exoriente imprimendi quoque ars, ad omnem scientiam commoda, inuenta & exercitatione exulta est, cæperuntiam eruditi uiri in Patrum, & Conciliorum græcis monumentis, in latinum conuertendis studium suum certatim ponere, quorum latinæ interpretationes, & græca ipsa Auctorum commentaria paulatim impressa, & in lucem edita sunt, quæ antea in tenebris, & obliuione ita iacebant, ut uix eorum Patrum nomina ad Latinorum aures tunc peruenerint, quorum nullum penè scriptum nunc desideratur. Hæc autem opportunitas, tum ipsi Ecclesiæ amplissimi Thesauri, olim defossi & obruti, usum suppeditauit, tum Diuinarum meditationum studiosis uiris latissimum & uberrimum campum dedit, in quo excurrere, atque optimos & iucundissimos fructus ex eodem percipere possint; quos, inde decerptos, cum plurimi iam degustarint, & ad uiperinos hæreticorum morsus adhibitis piorum hominum saluti subuenerint! Ego quoque, omnium minimus, tantum beneficium, in nos diuina prouidentia collatum, maxime admirans, atque eo neglecto in ingrati animi crimen incidere uehementer horrens, in fructuosissimo hoc agro excolendo me ipsam studiosissime exercere iam pridem cœpi; Conciliorum nempe & Patrum Græcorum ac Latinorum monumenta omnia, tum olim edita, tum hoc seculo è tenebris eruta, assidue lectitans, atque in ipsis, quæcunque notatione digna uidebantur, ea omnia diligenter obseruans, seligens, describens, in constitutis sedibus collocans, atque ordine & radicio disponens; in quibus colligendis, etiam eam adhibere diligentiam studui, ut, si fieri posset, nec etiam minutum aliquod excideret, ueritus ne, eo fortè elapso, pretiosissima rei iacturam facerem, tam Lynceum me tamen fuisse non profiteor, quàm in tanta, ac penè infinita rerum copia, & uarietate, multæ grauesque

uesque sententiæ meam industriam fugerint. Is autem susceptus & exantlatus labor, etsi diuturnus ac molestus existimari possit, mihi tamen (ut uerum fatear) & breuis, & iucundissimus uisus est, ut potè qui in eiusmodi commentarijs, mira eruditione refertis, non solum id omne facile agnoscebam, quodcunque præclarum, ac solidum in ipsis scholis audiueram, id ipsumque ab antiquis illis & sanctis Patribus multò certè splendidius & magnificentius dictum, atque felicius explicatum, sed & plurimas præterea rationes obseruabam apertas, simplices, & maxime commodas, ad eas perobscuras quæstiones dilucidandas, quarum explicatus nullos inuenire antea potueram; Adhæc uerò (quod omnium maximum est) interiorum, & reconditam quandam maximarum rerum cognitionem intuebar, uel saltem hebes odorabar, tantum habentem mysteriorum, ut profectò stupebam; quæ quidem arcana recentiores magistri, uel taciti sponte tenuerunt, uel forsàn enunciare uix potuerunt; ut potè qui plurimis Veterum scriptis temporum iniuria carentes, nec modestia, & honesto pudore ornati minus, quàm acri ingenio præditi, altius fortasse sine duce ascendere non audebant, ut eò peruenirent, quò Apostolica tempora, & consequentia Martyrum, ac Doctorum secula ipsis Patribus, aut Traditione instructis, aut spiritu affluentibus, conscendere, & mysteria illa intelligere, ac scribere, permiserunt. In quorum lectione, atque sententiarum diligenti notatione, etsi multos eruditos uiros iam elaborasse, ac diuturnam operam consumpsisse non dubito, id enim ipsorum tum scripta testantur, tum colloquia, congressusque apertissime declarant, eorum tamen plurimi uidentur potius uel singulos sibi Auctores ad obseruandum proposuisse, uel singulares quæstiones, & certa rerum argumenta delegisse, quæ legentes ipsi præ cæteris notarent: quòd si quis fortè generatim, in omnium Patrum, & Con-

ciliorum monumentis, & de quacunque re in quæstionem uocata, id ipsum cumulatè perfecit (ut suspicari equidem possumus, ipsique ex sententia magis, quàm mihi, illud successisse facile credere) eius tamen exacti laboris & studij cum certum nullum extet monumentum, neque temere id affirmare ipse audeo, neque in eo hæsitans christianam Charitatem decere unquam putauit, ut hos labores meos, quancunque sint, studiosè abderem, & alios celarem, ne quod ex ipsis commodum, quicquid illud est, capere possent; sed eosdem potius maximo augere cumulo iam constitueram, in quibus immensam quandam siluam agnoscebam rerum, sententiarum, & argumentorum omnium, quæcunque Theologum tractare, & contemplari oportet: hanc itaque subiectam & paratam materiam diligentissime digerere, compendiarie uia & arte tractare, formare, perpolire, non solum cogitabam, sed, quasi diurnam sitim explere cupiens, auidè aggressus eram, quod quidem studiosos omnes iamdiu desiderare optime noueram. Quid enim optabilius, & in ipsa Theologia necessarium magis, quàm Scriptura, Traditione, Ecclesiæ Decretis, Patrum consensu, uel auctoritate, firmissimisq; rationibus simul iunctis, quasi collectis & coniunctis uiribus decertando, Dei mysteria perscrutari, positas quæstiones disputando explicare & concludere, certa constituere ac demonstrare, definita ostendere, interdicta explodere, ambigua indicare? Ea uerò ratione cum à nemine hucusque sit generatim & abundè tradita ipsa Theologia, mirum esse non debet bonos omnes uehementer, & cupidè expectare, ut hac tandem uia tractata, atque huiusmodi argumentorum cumulo confirmata, tota hæc scientia edatur. Quare cæteris (ut uidetur) silentibus, ego iam diurnæ moræ, ob zelum impatiens, charitatis stimulis concitatus, & Dei auxilio fretus, infirmis uiribus à proposito deterreri non potui:

tui: Sicut enim iam pridem susceptæ illius, quem dixi, apparatus cogitationi optatus exitus, Dei beneficio, contigerat, ita profectò sperabam eiusdem concessu, & munere futurum, ut rudem & impolitam eiusmodi materiam, ad ipsius honorem, & Ecclesiæ fructum ex Veterum scriptis congestam, stylo formarem, uel saltem inchoatam & adumbratam uberiori diuinorum donorum copia affluentibus absolundam perficiendamque relinquerem. Sed ecce nouum cogitatum, quod me, scribentem & in id studium tota mente incumbentem, paulatim primùm retardauit, deinde uerò ad seipsum auocans ab inchoato opere omnino abstraxit. Usus enim ipse (magister nimirum optimus) id planè docuit, quod olim mecum ipse cogitans animo quasi conceperam, ad Theologiam scilicet ritè tractandam, ac ordine tradendam, aperire in primis, atque munire rectam, & compendiarie uiam oportere, qua ductus Auditor, ad eam scientiam peruenire commodè & absque errore possit: Ut enim prisca Philosophi experientia didicerunt solutas & uagas definiendi, diuidendi, & argumentandi rationes ad artem necessariò esse redigendas, ut ipsarum usus ad scientiarum, disciplinarum, atque artium omnium fructum & commodum referretur, quibus diligenter inuentis, collectis, & ad certam normam directis, Artem logicam illi effecerunt; ita profectò quisquis ad inuestigandum sagax ea omnia subtilissime inquireret ac perpendet, quæcunque accuratè explicata, constituta, & cognita eum Auditori dant ad Theologiam percipiendam aditum, quem ipsorum ignaro eadem intercludebant, tot, ac tanta illa esse comperiet, ut statim intelligat Artem ac Methodum præterea aliquam esse pariter instituendam, qua, ueluti gradu iacto, ad eam altissimam scientiam conscendamus; quæ diuina cum sit, tum cæteris omnibus disciplinis longè & multum antecellit, tum earum legibus non omnino tenetur, utpote quæ ignotis scientiæ princi-

principijs nitatur, sensus iudicium negligat, plus auctori-
tati quam rationi tribuat, præter genera & species indivi-
dua ipsa contempletur, effectus euentusque illos sapius
tractet, quorum nulla est causa necessaria, proprias quo-
que habeat argumentorum sedes, suis utatur Demonstra-
tionum generibus, atque peculiari quadam, non commu-
ni, ratione formet, distinguat, permisceatque ipsas propo-
sitiones, ex illis autem uaria, & propriè sua conclusionum
genera ducat; Auditorem, Doctorem, & docendi uiam
ac rationem sibi peculiarem postulet ac deligat; Atque in
ponendis tractandis, & concludendis quæstionibus me-
dio, scopo, rebus ipsis, ac rerum uocabulis ab humanis
scientijs maxime distet; Quarum famulatum etsi ad neces-
sarios usus requirat, illis tamen extra communem ordinem
suo arbitrato utatur, præter Dialectica denique sophisma-
ta nouis quibusdam & inauditis fallacijs captionibusque,
ab hæreticis callidè excogitatis, prematur, quas arte de-
prehendere, aperire, & refellere necesse habeat. Hæc au-
tem omnia diligenter in primis scrutari, examinare, con-
stituere, & figillatim intelligere illum profectò oportet, qui
ad huius Diuinæ scientiæ maxima mysteria commodè pe-
netrare, clarè & distinctè illa contemplari, atque ipsorum so-
lidam scientiam sibi comparare studuerit. Summopere ita-
que necessarium uidetur, ut singula ista arte comprehensa,
regulisque metita, accurate & abundè tractentur; cum uerò
id nemo perfecerit, restat adhuc tam illustis, perutilis, &
necessaria Ars instituenda, cuius maximum usum & fructum
ut nunc ratione intelligimus, ita, manibus quasi tractan-
tes, sentiemus, si quando, Dei concessu, summus aliquis
Theologus illam absoluerit; quam ego iam inchoare co-
actus sum, utpotè qui ob illius denegatam operam non solum
tardari, sed omnino impediri sentiebã totius Theologiæ tra-
ctationem eam, quam mihi (ut dixi) assumpseram, atque iccir-

co

co intelligebam inceptum illud scribendi studium intermit-
tendum tamdiu esse, dum recens ac nouum istud intelligen-
di Instrumentum, quasi necessarium subsidium, pararem, at-
que instruerem; quod quidem aggressus, tum difficultum que-
stionum, & grauissimarum disputationum foecundum illud
esse statim animaduerti, tum eas præcipuè controuersias ip-
so contineri manifestò comperi, quas cum infestissimis Hæ-
reticis nunc habemus, quorum falsas fallacesque doctrinas
omnibus patefaciet, & (ni fallor) funditus euertet sola hæc
Ars, Hæresum omnium, quæcunque esse possunt, inuictis-
sima expugnatrix, perinde ac linea & perpendicularum incur-
ua inflexaque omnia notat, separat, & excludit. Omnis
enim Hæresis à recto inclinata desciscit, atque ex praua, &
peruerfa argumentandi, intelligendi, ac docendi ratione
satum, ortum, incrementum accipit. In hoc itaque insti-
tuendo Artificio assiduè desudans, & elaborans, iam tan-
dem illud, fauente Deo, ac iuuante meo, quem initio dixi,
apparatu, ad exitum penè adduxi; cui tamen prius quam ex-
tremam manum imponam, ex amicorum consilio uarias ac
disparas eiusdem particulas sub aspectu omnium subijcere
decreui, ut non solum eorum, qui me diligunt, sed aliorum
etiam, qui & liberius loquuntur, & incorruptius aliquan-
do sentiunt, iudicium exquiram, cui stem potius, quam meo,
atque eodem ad Studiosorum fructum, cui seruió, in toto
Opere perpoliando utar. Quoniam autem decere maximè
sentio, tum ipsa, quæ tracto, rerum genera, & scribendi ar-
gumenta, tum incredibile Sanctitatis tuæ patrociniū, quo
Scriptores ipsos, atque eorum Commentarios, Ecclesiæ
quidem fructuosos, Hæreticis autem exitiosos, unicè fo-
ues, ac protegis, tum uerò singulare seruitutis meæ studium,
quo summam dignitatem, virtutum omnium cumulo au-
ctam, veneror, & colo, ut unà mecum lucubrationes, com-
mentationesque meas omnes, non minus tantæ Maiestati in-

tute-

tutelam tradam , ac deuoueam , quàm talis auctoritatis iudicio subijciam . Quare primas & recentes istas ingenij mei fruges , qualescunque sunt , tibi Sancte Pater supplex iam consecro , ut summi Pastoris numine , tum ipsæ tutæ sint , tum plenioris ac vberioris futuræ mæsis spes certa mihi ostendatur . Quod quidem munusculum te repudiaturum minime dubito , quem scio apud mortales uicem & locum illius obtinere , qui spicarum etiam fasciculum ab agelli colono diuino ipsius numini oblatum de coelo accipit , benigneque amplectitur .



AD LECTOREM AVCTORIS P R A E F A T I O .



T nos liberè (quod optamus) de re omni admoneas , quam charitatis & publica utilitatis studio concitatus in tota nostra instituta Methodo ex his , quæ nunc eduntur , ipsius particulis corrigendam , & conformandam iudicabis , ad id amicè peragendum te quasi inuitantes ; nostrum de quibusdam rebus consilium nunc breuiter exponimus . In primis quidem sanctorum Patrum dicta ac testimonia nos producentes , nec opera nec aures pepercimus , eiusmodi namque copia uehementer ipsi delectamur , etsi quispiam in hac multitudine fortasse fastidiet , quam ad nostra confirmanda , & aduersarios conuincendos necessariam omnino esse iudicamus (ut de ipsa Patrum auctoritate tractantes abunde demonstrauimus) illud solum ad nostram sententiam comprobendam nunc strictim repetentes , quòd in re graui , & ambigua constituenda unus vel alter productus testis profectò non sufficit , neque huiusmodi testimonium certi aliquid concludit , cum aduersario suspicari merito liceat totidem testes , uel plures etiam cum utroque pugnare , ut propterea necesse sit ad iustam suspensionem uitandam , & propositam questionem certa ac firma ratione definiendam , uel Patres omnes , de ea re loquentes , simul inducere , uel admodum paucos magni nominis præterire , qui producti testes summa ipsorum consensione certam dubiæ conclusioni fidem faciant ; non enim Patres , sed Patrum consensus ipsi uerè demonstrant .

Nec

Nec solum quidem multos eiusmodi produximus unius rei testes, sed eiusdem etiam testis plura quandoque testimonia protulimus, ut ipsum in una eademque sententia constanter permanisse in primis ostenderemus (id enim Vincentio Lirenense auctore maxime ad rem pertinere nouimus) deinde verò ut libri ementitam inscriptionem, aut, Codicis, Interpretationis uè erratum si quis fortè prætexeret, alijs testimonijs nos idem euincentes, omnem diuersè interpretandi, ac testimoniij declinandi occasionem ipsi aduersario adimeremus. Qui si Patrum præterea repugnantiam aliquam (quæ sit, vel saltem videatur) induxerit, siue inducere fortasse possit, eam dissimulando silentio præterire, ac testimonia ipsam comprobantia reticere, nobis utique licere non iudicauimus, qui Auditoris commodis, utilitatique seruimus, atque ex illius animo scrupulum omnem euellere cogitamus; ea propter contrarias, diuersasque, atque inter se repugnantes sententias, rationes, ac voces recensere, conferre, & accurate examinare non recusauimus, ut illa adhibita diligentia, tum ea, quæ dissidere videbantur, conciliaremus, tum ex varijs, prorsusque dissentientibus ueriores ac meliorem sententiam singulis, quæ obijciebantur, testimonijs reiectis vel interpretatis, & argumentis dilutis apte deligeremus. Quisquis tamen hæc nostra legens, breuiores quandoque demonstrationes, disputationesque desiderabit, poterit is, cum iam ipsius animus persuasus sibi videbitur, longioris disputationis residuum tacitus præterire, & ad reliqua liberè festinare, dummodo illud non grauate concedat, ut non solum sibi similes homines (faciles scilicet & eruditi) sed difficiles præterea, & morosi, imò & aduersarij ipsi, quibus nos in primis satisfacere, etiam longissima oratione, oportebat, questionem totam, si illis videbitur, plene cognoscant, integram demonstrationis uim percipiant, & omnem denique ex animo euulsum esse scrupulum aut fateantur, aut sentiant. Illud præterea studiosè obseruauimus, ut Patrum testimonia ad nostra confirmanda, uel oppugnanda, et aduersariorum argumen-

argumentationes diluendas, nos producentes totidem uerbis ipsorum Testium dicta recitarem, id enim ad fidem in rebus grauisimis faciendam necessarium omnino iudicauimus; in quo præterea tum sacrosancta Concilia, tum grauisimos Doctores imitati sumus; Synodorum namque Volumina quisquis uoluerit, profectò cognoscet in ipsarum uisitato more, institutoque positum fuisse, ut ueterum testimonia ad maximas questiones examinandas proferentes, singula eorum uerba referrent, atque descripto illa publice recitarent, quæ audientes, ad iudicandum & definiendum congregati Patres, tum Antiquorum sententias commode & distinctè intelligebant, tum, si quæ in oratione uoces ambiguae inerant, facile illas animaduertebant, ac multiplices ipsis subiectas sententias deprehendentes, magis congruentem deligebant, tum etiam, si recitati testimonijs scriptura mendam fortasse aliquod continebat, tollendum illud esse, & mendosum codicem reijciendum audientes ipsi statim clamabant. Hunc uerò præclarum morem singuli quoque Ecclesiastici Scriptores ad suarum disceptationum usum transtulerunt; ad eam enim Conciliorum consuetudinem disputans Leo magnus Patrum uetustiorum testimonia eisdemmet uerbis recitauit in ipsis Epistolis, Theodoretus in Dialogis, Damasceus in suis disputationibus, Euthimius in Panoplia, & omnes denique illustres scriptores idem fecerunt, uisitatum nempe morem diligenter custodientes, quem Casariensis Eusebius, Historiam etiam conscribens, studiose obseruauit, eum uerò à maioribus acceptum Petrus quoque Lombardus, Latina Schola procreator ac parens, & Gratianus frater, Canonum egregius Conciliator, præclare retinuerunt. Nos tandem eundem morem, ab aliquibus postea temere intermissum, reuocare studentes, re præsertim id summopere flagitante, orationis longitudo, ac diligentia studium non retardauit, ut scilicet Theologia Auditori, quem instituendum suscepimus, maiorem ex eo fructum afferremus; neque in locis & Patrum testimonijs conquirendis, si uerba reticentes ad illa (ut

nunc multi solent) ipsum allegaremus, nimio labore eum dem-
frangi pateremur, qui quidem hac nostra diligentia adiutus po-
terit quamplurima antea dispersa, implicata & permixta, iam
uero selecta, & sub uno aspectu posita sine labore cernere, exa-
minare, interpretari, distinguere & inter se collata diiudica-
re, Vera denique, congruentia, & opportuna deligere, Aliena
falsa, & abhorentia reiicere. Nec solum quidem fractum & com-
modum ex hoc capiet ipse Auditor, sed incunditate quoque ingen-
ti perfundetur, sunt enim Sanctorum Patrum sententia, ac uer-
ba magna & fulgentes quadam gemma, quibus ornata postero-
rum scriptorum monumenta illuminantur, ut propterea mire-
mur quosdam, ^{quidam} obcaecatos, ingrati animi crimen non horre-
re, cum à Patribus oblata lumina, sua ipsorum frigida acieiu-
na oratione contegere audeant, quam tamen splendidam illi in-
dicant (suum enim cuique pulchrum uidetur) ut scilicet San-
ctorum sententias, eiusmodi uerborum conuersionibus quasi ob-
tectas, sibi ipsis assumant, ac uendicent; quas tamen eruditi ui-
ri, etiam immutatas, agnoscunt, ex quo fit ut falsis quidem
laudibus huiusmodi scriptores ab imperitis ornentur, sententia
uero splendorem, & auctoritatem pristinam ammittant. Tan-
dem uero Græcorum dicta recitantes, latinis uerbis usi sumus,
cum sint græca ipsa plurimis ignota, & non pauca etiam, in la-
tinam quamuis conuersa, græcè tamen impressa nondum sint; A
uulgatis præterea illorum interpretationibus non discessimus,
ne ab eis discordantes, in suspicionem ficti falsique testimonij in-
cideremus, cum sint ipsa omnibus nota, & crebris hominum ser-
monibus usurpata; qua si aliquod fortè mendum continerent,
nostris tamen disputationibus uix illud obesset, que multorum
semper auctoritate firmantur, atque plura etiam eiusdem Au-
ctoris, ut sapius solemus, producta testimonia collatione ipsa, &
consensione erratum eiusmodi facile excluderent. Hac igitur de
nostro scribendi genere uniuerso dicta sint, reliquum autem est
ut singulas etiam particulas, quas nunc edimus, leuiter attingentes

gentes nostrum pariter in illis conscribendis edendisque consi-
lium tibi, amice lector, breuiter exponamus. Cum igitur in hanc
nostram Methodum plurima cadant questiones ab alijs sepius
tractata, & non pauca quoque incidant à nobis primum (ni fal-
limur) explicata, ex utroque quidem genere aliquot seligendas
putauimus, nè in uno specimen aliquod dantes, nullum alterius
periculum faceremus, eas autem dispersas, nec inter se ordine co-
herentes, (ut potè qua ex varijs, & maximè disunctis locis stu-
diosè collectæ sint) nunc solo voluminis vinculo constrictas sub
uno aspectu ponimus. In primis itaque in ea, quam instituiamus,
Methodo longissimus à nobis sermo habetur de scripto Dei uer-
bo, fidei nimirum ac scientiæ nostræ firmissimo fundamento,
ex quo certa, & illustres ducuntur Demonstrationes, ut propte-
rea in quot etiam, & quos libros distributum illud sit, & que sit
ipsum germana lectio accuratè nos inquirere inter cetera oportue-
rit, eam nunc edimus questionem, multis quidem, & magnis
difficultatibus obstructam, sed his temporibus propter urgentes
hereses mirum in modum necessariam, cum ab ipsa maxima-
rum, & controuersarum rerum cognitio in primis pendeat, quam
propterea tum Catholici, tum Hæretici uiri diligenter sibi exa-
minandam proposuerunt: In hac autem scriptorum copia an la-
bor noster superfluat, uel iuuet potius, poterit quilibet, tota, quam
edimus, disputatione perlecta, facile iudicare. Deinde uero cum
Diuina ipsius scriptura plures sensus esse omnes quidem Catholi-
ci fateantur, in illorum autem numero constituendo inter se ij-
dem non consentiant, atque ipsorum rationes, ordines, differen-
tias, & conuersiones distincte illi non explicent uel inquirent, nec
quis sit scripturarum in Ecclesia sensus, quouè sensu illæ demon-
strent, accuratè disputantes ipsi examinent, ac definiant, cum
tamen certum ac perspectum sit, dissidia omnia, quacunque in
Ecclesia facta sunt, ex earumdem scripturarum sensu & intel-
ligentia, ac demonstrandi vi satus, oriis, & incrementa acce-
pisse; atq; iccirco, non (ut ipsi solent) Auditorem ad ignotum

sibi ecclesia sensum generatim allegari, sed quis sit ille sensus
distingere, & abunde doceri oportuisset. Quae omnia nos animad-
uertentes, & sigillatim ac diu contemplantes, tandem, iuuan-
te Deo, singula disputando examinare, declarare, ac sanctorum
Patrum auctoritate definire, & confirmare primi instituimus,
non quidem quaestionum eiusmodi nouitate delectare ipsi cupien-
tes, sed illam potius rerum, ac sententiarum uetustate depelle-
re studentes, in qua disputatione diligentiam saltem nostram
(ut speramus) lector non aspernaberis. Præterea uero ad Theo-
logiam addiscendam breuem ac directam uiam nobis aperienti-
bus statim sese offerebat Auditor, ut in hanc Diuinam scien-
tiam studium suum conferret; de quo quidem introuidendo con-
siliū habere decreuimus, ne in discipulis admittendis tam fa-
ciles nos praebeamus, ut quemlibet promiscue recipiendum pu-
temus; ea propter necesse fuit, ut de idoneo Theologiae Auditore
deligendo noua quidem Quaestio à nobis poneretur, sed maxime
tamen opportuna, atque (his praesertim temporibus) ualde ne-
cessaria; cum scilicet tam impudens licentia, & dissoluta consue-
tudo iam sit introducta, ut imperiti, impuri, impijque homines Di-
uina mysteria contemplari, de eisdemque differere audacter pra-
tendant, qui postea immanis audaciae graues iustasque penas
persoluentes in dies peiores efficiuntur, & maiore inscitia obca-
cantur; eorum autem errore ac perfidia plurimi decipiuntur, &
in ecclesia Dei magna propterea (quod omnes norunt) dissidia
quotidie fiunt. Cui perniciose temeritati nos obistere cupientes,
nec praua, & corrupta hominum consuetudo deterruit, nec qua-
estiois nouitas retardauit, quin, silentibus alijs, idonei Theo-
logiae Auditoris notas omnes accurate explicaremus, ut illum à
caeteris internoscentes deligeremus, atque, indignis exclusis, re-
ciperemus. Huic autem scribendi uisum nec nouitate, nec uti-
litate inferior illa est, quam posterum praesertim de Quaestionibus
in scriptum opusculum; cum enim ipsi Heretici (recentiores pra-
sertim) quacunque sunt à Christiano homine addiscenda, ea om-
nia

nia scripturis sacris contineri asserant, scripturarum autem senten-
tias nudas & apertas esse contendant; eorum quoque disciplina
illud est maxime consentaneum, quod idem affirmant, nihil sci-
licet in dubium uocari debere, de quo in contrarias partes dispu-
temus, & conquisitis rationibus differentes, quasi ignotum & re-
conditum, inuestigemus. Quare Quaestionum genus uniuersum
illi quidem negligunt, & palam damnant; Nostri uero tum uer-
bis, tum factis querendi ac differendi studium summopere pro-
bant, ut pote qui scripturarum obscuritatem, atque rerum ma-
ximarum difficilem cognitionem agnoscunt ac profitentur: Quo-
rum tamen non pauci Altiora seipsis querere, & infructuosas
quaestiones ponere, nec ullam rerum, personarum, ac locorum ra-
tionem habere disputantes uidentur; Qua propter nos Audito-
rem instruētes, coacti sumus de Quaestionibus ipsis querere, an li-
ceant illa, atque expediant ipsi Theologo, ut scilicet quando, quo-
modo, & de quo disputare eum deceat intelligamus, atque mo-
dum Quaestionibus constituentes, eundem differentem tum iusta
reprehensione carere, tum ad ecclesiae fructum momentū aliquod
afferre doceamus. Huius autem perdifficilis disquisitionis cum
auctorem neminem habuerimus, quem sequeremur, ipsimet nobis
in ea instituenda duces, in perficienda socij & adiutores fui-
mus. Tandem uero cum Auditoris notas inuestigantes dixerim-
us, oportere illum externis scientijs, ac liberalibus disciplinis
eruditum esse, opera praeuicium utique fuit, illud praeterea oppor-
tuno loco explicare, quomodo scilicet eiusmodi doctrinis rite uti
ipsum deceat; inter illas uero cum Rhetorica facultas omnium
consensione numeretur, ipsius quoque usum Theologo opportu-
num silentio praeterire minime potuimus; qua in re doctissimi
quidem uiri elaborarunt, longa oratione artis praecpta, & sin-
gulas tum uerborum, tum sententiarum figuras ad Diuinā scien-
tiam accommodantes. Nos autem, ne acta agamus, & à Rhetori-
bus abunde tractata sigillatim percenseamus, quorum praeser-
tim disciplina iam excultum Auditorem instituendum susce-
pimus,

pimus, nec eiusmodi artem docere, nec illius præcepta ad sacras conciones, disputationesque aptare cogitauimus, cum illud proprium Rhetorum munus, hoc iudicij & prudentia opus esse nouerimus; eius tamen Disciplina usum tum ipsi Theologo congruentem, tum ab eodem etiam abhorrentem, ut accurate explicaremus, & fontes ipsos, unde singula haurienda sint, demonstraremus, nostras esse partes solas equidem duximus, quod breui etiam oratione præstare curauimus; quid verò assecuti fuerimus innum erit Lector iudicium, nostrum illud fuit consilium, qui te iam amice compellantes rogamus, ut hæc nostra benigne legas ac interpreteris; & nos ipsos (ut speramus) consilijs, precibus, ac votis maxime inues. Vale.

I N D E X
CAPITVM OPVSCVLI
DE LIBRIS CANONICIS.

- Cap. 1. In quot & quos libro Dei scriptum Verbum distributum sit, Ecclesiæ canone demonstratur.
- Cap. 2. Quòd ex Ecclesiæ Traditione libri canonici probentur, & quomodo.
- Cap. 3. Quomodo & quorum librorum Ecclesiastica Traditio deprehendenda, atque explicanda proponatur.
- Cap. 4. Librorum sacrorum notæ Traditionis breuis quedam explicatio & confirmatio.
- Cap. 5. Exploratur ac demonstratur Traditio librorum Tobix & Iudith.
- Cap. 6. Posteriorum capitum libri Esther Traditio probatur.
- Cap. 7. Libri Sapientiæ Traditio dilucidatur.
- Cap. 8. Ecclesiastici Traditio confirmatur.
- Cap. 9. Libri Baruch cum epistola Ieremiæ Traditio explicatur.
- Cap. 10. Danielis particularum aliquot Traditio aperitur.
- Cap. 11. Machabæorum primi & secundi Traditio dilucidatur.
- Cap. 12. Euangelij particularum aliquot Traditio explicatur.
- Cap. 13. Actuum Apostolorum Traditio aperitur.
- Cap. 14. Pauli epistolæ ad Hebræos Traditio explicatur.
- Cap. 15. Earum, quæ controuersæ sunt, Epistolarum Catholicarum Traditio probatur.

Ioannis

- Cap. 16. Ioannis Apocalypsis Trãditio explicatur .
- Cap. 17. Quot, & quæ sint genera eorum, quæ libris Canonice obijciuntur, & ad quæ respondere sit hoc loco propositum .
- Cap. 18. Librorum Canonice parem semper fuisse in Ecclesia dignitatem, & auctoritatem, singulorumque pro sacris & Diuinis semper habitos fuisse .
- Cap. 19. Responsiones ad ea, quæ libris Efdre & Tobie obijciuntur .
- Cap. 20. Defensio libri Iudith .
- Cap. 21. Libri Esther, atque illius controuersarum partium defensio .
- Cap. 22. Libri Iob ab obiectis calumnijs defensio .
- Cap. 23. Psalmorum libri ab obiectis reprehensionibus defensio .
- Cap. 24. Salomonis librorum aliquot defensio .
- Cap. 25. Libri Baruch & Danielis controuersarum partium defensio .
- Cap. 26. Responsiones ad ea, quæ libris Machabæorum obijciuntur .
- Cap. 27. Responsiones ad ea, quæ Euangelij obijciuntur .
- Cap. 28. Pauli epistolæ ad Philemonem defensio .
- Cap. 29. Pauli epistolæ ad Hebræos defensio .
- Cap. 30. Epistolarum Catholicarum defensio .
- Cap. 31. Apocalypsis Ioannis defensio .
- Cap. 32. Dubitatur an sit affirmandum alios libros fuisse olim à Spiritu sancto dictatos, Dei Verbum complectentens, præter illos, quos Ecclesiæ Canone & Traditione sacros, & canonicos esse hucusque demonstrauimus .
- Cap. 33. Quòd omnino fatendum sit, alios libros fuisse olim à Spiritu sancto dictatos, Verbum Dei continentes,

- continentes, præter illos, quos in Canonice numerum hucusque retulimus .
- Cap. 34. Cur eiusmodi sacri libri à Spiritu sancto dictati, nec inter Canonicos numerati in obliuione iaceant, explicatur, An uerò illi interciderint, uel superstites adhuc maneant distinctio declaratur .
- Cap. 35. Apocryphorum librorum definitio traditur, & quis ipsorum sit usus explicatur .
- Cap. 36. Responsiones ad argumenta, quæ obijciebantur à negantibus præter enumeratos Canonicos libros fuisse alios à Spiritu sancto dictatos .
- Cap. 37. Qua lingua usi sint sacri ipsi scriptores in Canonice libris conscribendis .
- Cap. 38. Quòd canonicilibri conuersi ab interpretibus fuerint, & in alias linguas translati, & quando, & quomodo, & à quibus .
- Cap. 39. Quænam dictarum cõuersionum magis præstans, & uerax sit, ut illi propterea maior auctoritas, & fides debeat .
- Cap. 40. De latinis librorum canonicorum Interpretationibus, in primis uerò de Veteri, & de ea, quæ est B. Hieronymi .
- Cap. 41. An præter iam enumeratas aliæ quoque sint latine interpretationes, & quæ . Atque inter latinas quænam dicatur Vulgata uetus .
- Cap. 42. Quòd Vulgata interpretatio sit omnium latinarum optima, cæteris anteponenda, atque Ecclesiæ iudicio comprobata, cui obiectæ argumentationes diluuntur .
- Cap. 43. Quòd præter græcas & latinas interpretationes aliæ quoque sint, & Quæ, & quantæ in Ecclesiæ auctoritatis .
- Cap. 44. An Vulgarum latinam Editionem ita probet Ecclesiæ,

clesia, ut eam quæ LXX. seniorum est interpreta-
tionem, & Hebraicam Editionem, ac Noui Testa-
menti græcam damnet, atque illarum usu fideli-
bus interdicit, & an eiusmodi Editiones inter se
pugnent.

Cap. 45. An Hebraica Editio sit integra & incorrupta, uel
mutila & mendis contaminata.

Cap. 46. An Græca LXX. Interpretum Conuersio, & Noui
Testamenti Græca Editio, atq; latina uulgata in-
terpretatio corrupte uel emendatæ legantur.

Cap. 47. Quomodo mendosæ & corruptæ Editiones pos-
sint rectè, & sine errore emendari.



I V L I I R V G E R I I
O P V S C V L V M
D E L I B R I S C A N O N I C I S :

*In quo singula Verbi Dei Volumina recensentur, & Ecclesiæ ca-
none dijudicantur, atque illorum traditio ad Apostolica
usque tempora reuocata Patrum testimonijs, & Ec-
clesiæ consuetudine aperte dilucidatur.*

Ad illa præterea omnia, quæ singulis obiecta sunt, abunde
respondetur.

*Tandem verò que sit ipsorum Germana Lectio, & in aliam linguam
probata Translatio, accuratè explicatur.*

In quot, & quos libros Dei scriptum Verbum distributū
sit ecclesiæ canone demonstratur. Cap. I.



DE I verbum omne, quodcunq; scripto tradi-
tum custos Ecclesia suscepit, vt ab humanis
scriptis nota aliqua internosceretur, & sa-
cram, & sanctam, & diuinam scripturam tum
ipse, qui dictauit Spiritus sanctus, tum qui ex-
plicarunt, Orthodoxi Patres appellare con-
sueuerunt. Hæc autem scriptura sacra eiusdem Ecclesiæ au-
toritate singulis fidelibus postea tradita & commendata, di-
cta est Canonica, vt potè quæ ecclesiastico canone sit tãquam

A diuina

diuina ad lectionem, ac eruditionem omnibus proposita, & aliorum quoque scriptorum canon esse ipsamet debeat. Huius igitur canonicæ scripturæ germanas partes quicunque noverit, is etiam simul intelliget in quot quibusq; voluminibus scriptum Dei verbum habeatur; id verò & facillè, & certò cognoscemus, si de ipsis canonicis libris latum ecclesiæ canonem in primis consulamus. Qui quidem inter Canones ^a Apostolorum, ^b Laodiceni, ^c Carthaginensis tertij, ^d Florentiniq; concilij, atq; ^e Innocentij primi, & ^f Gelasij decreta antea descriptus, cum mulatè postremò omnia complectens in **TRIDENTINO** etiã **CONCILIO** est promulgatus; quem totidem verbis nunc recitamus. [Sacrorum librorum indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit qui nam sint, qui ab ipsa synodo suscipiantur; sunt vero infrascripti, Testamenti veteris, quinque Moyfi, idest Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetæ minores, idest, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahum, Abacuch, Sophonias, Aggeus, Zaccarias, Malachias, Duo Maccabæorum primus & secundus; Testamenti noui, Quatuor Euangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem, actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti, Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenfes, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timothæum, ad Titum, ad Philæmonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Ca-

tholica

^a Canone ultimo.
^b Canone ultimo.
^c Cap. 47
^d Instru. Arm.
^e Epistola ad Exup. Episcopum Tolos.
^f De libris Canonicis.
^g Sess. 4.

tholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.] Cum igitur ex ipso canone perspectum sit, qui nam libri habendi sint pro canonicis, nehas profectò erit de iisdem disputando quærere: An sint Dei expressa verba; ab Ecclesia enim custode proferuntur, atque eiusdem testimonio, iudicio ac præcepto commendantur; quod quidem verbi Dei certissimum argumentum esse iam pridem demonstrauius.

Quòd ex ecclesiæ Traditione libri canonici, probentur, & quomodo. Cap. II.



Nec tamen hac sola ratione ex canone sumpta in quos libros verbum Dei scriptum distributum sit probari posse credendum est, cum idem ex Ecclesiæ quoq; traditione aperte demonstratur, Argumento quidem apud pios homines firmissimo, & à primo, si accurate animaduertamus, longè diuerso; in eo enim iudicis potius quàm testis personam ecclesia sustinet, vt propterea etiam Anathematis penam constituat; in hoc autem testis magis quàm iudicis partes agit; atque antiquissima hæc scripturarum in Ecclesia traditio canonem ipsum scriptum tempore antecessit, & sine illo esse commode potest, à quo (quamquam prope idem valere videantur) distat tamen ferè non secus, ac verbum Dei traditum à scriptura sacra distingui nouimus, vt propterea illius cognitio sit nobis aliunde accipienda; sumitur autem tum ex ipsius Ecclesiæ Catholicæ consuetudine, qua libri isti omnes vbiq; & semper publicè lecti sunt, ac pro Dei verbo habiti, tum ex ipsa admirabili continuatione, scireque Episcoporum, qua illi Apostolis & Domini discipulis necuntur, vt propterea apostolico ore commendatas, ac inde per manus traditas scripturas nos accepisse profiteamur.

A 2 mur.

mur. Hoc verò grauisimo argumento ad conuincendos Hæreticos scripturas negantes frequenter vsus est **AUGUSTINVS**; præsertim verò cum **Fauftum Manichæum** is vehemētissime oppugnaret, hanc præcipuam adhibens machinam ita scribit [Hos autem libros, quibus illi, qui de transuerso proferruntur, comparati respuuntur, vnde constat esse Hippocratis? vnde si quis hoc neget nec saltem refellitur, sed ridetur? nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore vsque ad hoc tempus deinceps successione series commendauit, vt hinc dubitare dementis. **Platonis, Aristotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque** eiusmodi auctorum libros vnde nouerunt homines quòd ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adiuuandi studio, siue discendi, vnde constat quid cuius sit, nisi quia his temporibus quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuauit; atque edidit, vt inde in alios atque alios continuata lætitia, latiusque formata ad posteros etiam vsque ad nostra tempora peruenerunt, ita vt interrogati cuius quisque liber sit, non hæsitemus quid respondere debeamus? Sed quid pergam in longe præterita? ecce istas litteras quas habemus in manibus, si post aliquantulum tempus vitæ huius nostræ, vel illas quisque **Fausti** esse, vel has neget meas, vnde conuincitur, nisi quia illi, qui nunc ista nouerunt, notitiam suam ad lōgè etiam post futuros continuatis posterorum successione traiciunt? Quæ cum ita sint, quis tandem tanto furore cæcatur, nisi **Dæmoniorum mendaciloquorum** malitia atque fallacia consentiendo subuersus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, vt eorum scripta fideliter ad posteros traiceret, cum eorum cathedras vsque ad præsentem Episcopos certissima successione seruaret, cum hoc qualiumcumque scriptis, siue extra Ecclesiam, siue in ipsa Ecclesia

fia

fia tanta felicitate proueniat?] eiusdem traditionis vim in libris sacris probādis exprimens **TERVLLIANVS**, cum de illis sermonem haberet, inquit. [In summa si constat verius quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apostolis, pariter vtique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolicas fuerit sacrosanctum] & paucis interiectis [eadem auctoritas Ecclesiarum Apostolicarum cæteris quoque patrocinabitur Euangelij, quæ proinde per illas, & secundum illas habemus] **RUFFINVS** librorum sacrorum enumerationem percensens eandem traditionis auctoritatem agnoscit ac profitetur inquit. [noui ac veteris instrumenti volumina; quæ secundum maiorum traditionem per ipsum Spiritum sanctum inspirata creduntur, & Ecclesijs **CHRISTI** tradita] **HIERONYMVS** Ecclesiæ traditionem, & consuetudinem in dijudicandis scripturis ita magnificauit, vt dicat [illud nostris dicendum est, nihil interesse cuius sit hæc epistola, cum Ecclesiastici viri sit, & quotidie Ecclesiarum lectio celebretur] cum latinis optime consentiunt Græci; quo enim traditionis argumento à **Terulliano Marcion**, ab **Augustino Manichæi** veras scripturas negantes, & adulterinas proferentes conuicti sunt, eodem **Ireneus Valentinum** euicit, longo illum sermone redarguens. **ORIGENES** verò referente **Eusebio** inquit [ex traditione didici de quatuor Euangelij, quòd hæc absque vlla contradictione suscipi debent ab omnibus, quæ sub coelo sunt, Dei Ecclesijs, ita enim tradiderunt Patres] **IDEM** sacram narrationem recitans, inquit. [Sicut traditio maiorum tenet, Spiritus sanctus hæc narrat] **IDEM** apud **Eusebium** ait. [Si quæ Ecclesia istam habeat ad Hebræos scriptam Epistolam, eam ipsam approbet vt Pauli, idque hac ratione persuasa; non enim temerè veteres eam Pauli esse tradiderunt] **CYRILLVS IEROSOLYMITANVS** id ipsum monet, dicens. [has tandem studiosè meditare scripturas, quas

A 3 in

Lib. 4. contra Marcionem.

In expositione Symbolo. Apost.

Ep. ad Dardana. de terra prom.

Lib. aduersus hæreticos. Lib. 6. hist. cap. 18.

In numero hom. 26. Lib. 6. hist. cap. 19.

Catechesi quarta.

In arg. ep.
ad Heb.

in Ecclesia confidenter legimus, multò prudentiores te, & religiosiores te fuerunt Apostoli, & primi Episcopi ueritatis duces, qui nobis eas tradiderunt; tu itaq; cum sis filius ecclesiæ, nō transgrediaris illius terminos [THEODORETVS illis subscribens ait] Oportebat autem ipsos, & si nihil aliud, temporis quidem certè diuturnitatē reuereri, quo hanc epistolam perpetuò in ecclesijs legerunt alumni ueritatis [ex quibus abunde uim & usum demonstrauius] argumenti ex Ecclesiæ traditione sumpti ad sacros & canonicos libros probandos.

Quomodo & quorum librorum Ecclesiastica Traditio deprehendenda atque explicanda proponatur. Cap. III.



ED dicet aliquis; concedo equidem adeò graue esse hoc ex traditione sumptum testimonium ad librorum ueritatem probandam, ut uix maius aliud proferri unquam possit, hanc quoque episcoporum seriem ab Apostolis ad hæc usque tempora nexam agnosco, præsertim uerò in Ecclesia Romana uerissimam esse non dubito, eos tamen, qui in canone sunt, libros in ecclesijs lectos, & tanquam sacros in honore habitos semper fuisse mihi demonstrari desidero. Huic igitur ut cumulatè satisfaciamus, non solum ex ea, quam nunc Ecclesia tenet, consuetudine id confirmabimus, sed ex antiquorum quoque Patrum testimonijs id ipsum abundè probabimus; qui quidem tum uno ore idem asserunt ac palam testantur, tum ex singulis libris, tanquam ex uerbo Dei, ad dogmata confirmanda, hæreses conuincendas, & conformandos mores testimonia sæpius sumpserunt, eorumque plurimi eosdem clarissimis etiam commentarijs auxerunt. Ne autem in re clara probanda tempus teramus, libros omnes canonicos in duas classes distribuemus; in prima statuantes eos, quorum traditio est toto orbe notissima, ut

Librorum
Canonicorum
in duas
classes
partitio.

ma, ut propterea nec illi hac nostra demonstratione egeant, nec ipsi hæretici eam à nobis flagitent, aut imbecilles catholici desiderent. In altera uerò reliquos collocantes, quorum minus nota & certa esse eadem traditio uideatur, quamuis reuera ab Apostolis ipsis ad nos illa peruenerit; quam quidem traditionem illustribus testimonijs confirmantes, etiam lipipientibus perspicuam facere conabimur: Primæ itaque Classis esse iudicantur ex ipso ueteri testamento Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, Esther, Iob, Psalterium Dauidicū, Parabole, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Duodecim Prophetæ minores. Noui autem testamēti notissima volumina sunt Quatuor Euangelia, Matthæi scilicet, Marci, Lucæ, & Ioānis, Pauli epistolæ tresdecim, omnes uidelicet, ea excepta quæ ad Hebræos est scripta, Prima epistola Petri, & prima Ioannis. In altera uerò classe (minus nimirum notæ ac perspectæ traditionis) ex testamento quidem ueteri collocandi uidentur libri Tobix, Iudith, Sapientix, Ecclesiastici, Baruch, cum epistola Ieremię secunda, ex libro Esther septem postrema capita, ex libro Danielis Hymnus trium puerorum cum oratione Azariæ, Susannæ historia, Belis, Draconis, & Abacuch similiter historia, & Machabæorum libri duo: Ex nouo autem pars ultimi capituli euangelij secundum Marcum, & uigesimi secundi capituli secundum Lucam, particula de sudore Christi sanguineo, & angelo illum (ut scribitur) confortante; & octaui capituli secundum Ioannem de muliere adultera narratio; liber Actuum Apostolorum, Pauli epistola ad Hebræos, Petri secunda, Ioannis secunda, & tertia, Iacobi, & Iudæ epistolæ, & postremò Apocalypsis Ioannis. Quæret autem hoc loco fortasse quispiam cur sacri libri in has, quas diximus, classes distribuantur, ut illorum aliqui sint Traditionis apud nos quidem notioris, cæteri uerò eiusdem minus notæ,

Dabitatio.

A 4 & per-

Responsio. & perspectæ, cum omnes potius fidelibus exploratos & cō-
 pertos semper fuisse credibile uideatur, utpote qui ab eisdem
 Apostolis, eadem commendatione, atque eodem tempore
 sint Ecclesiæ traditi, & diligenter concredivi; à qua postea
 æque custodiri, & indiscriminatim legi propterea ipsi debue-
 rint. Huic quidem non incite (ut uidetur) interroganti est il-
 lud in primis percunctatione obijciendum; cur cæteris quo-
 que diuinis & Apostolicis Traditionibus, tum ad fidei dog-
 mata, tum ad mores, & Ecclesiæ administrationem pertinen-
 tibus idem aliquando acciderit, ut scilicet ex eodem quidem
 fonte omnes unà fluentes, non æque tamen sint toto terra-
 rum orbe à fidelibus custoditæ ac veneratæ. Quin potius ea-
 rum complures multis in locis vel repudiatæ, uel in dubium
 uocatæ sint, ut propterea œcumenica Concilia congregare
 necesse fuerit, quibus Diuinæ eiusmodi traditiones antiquo-
 rum Patrum testimonijs, & Ecclesiæ auctoritate dijudicaren-
 tur, atque compertæ, & in pristinum statum restitutæ, ita fide-
 libus proponerentur, ut easdem uel respuere, ac inficiari, uel
 in dubium reuocare nemini postea liceret, quod de Concilijs
 agentes fusè explicauimus. Quod igitur omnibus Diuinis, &
 Apostolicis traditionibus commune fuit, id ipsum etiam huic
 sacrorum librorum Traditioni quandoque accidisse mirum
 esse non debet, nec ipsius disparitatem præ cæteris notare, &
 imparis notitiæ certam rationem in ea sola nominatim flagi-
 tare æquum uidetur. Communis tamen incommodi ratione
 & causam aliquam non temerè afferre fortasse possemus; il-
 lud in primis animaduertentes, Traditionem omnem assidue
 fluere, in ore & auribus vigere, literas, atque externas notas
 suapte natura non requirere, sed illis potius studiose carere;
 ut propterea ægre quidem retineatur, nec facile etiã demon-
 stretur, facillime uerò frequenti transitu immutetur, dissimu-
 letur, incuria, obliuione, malitia dilabatur, ac pereat; ex quo
 factum est, ut sicut innumerabiles hominum Traditiones iã-
 dudum

Tit. de Cō-
 cilijs.

dudum interierunt, ita Diuinæ non paucis Hebræis concre-
 ditæ olim interciderint, & euangelicæ, atque Apostolicæ ali-
 quot uel deperierint, uel in dubium incertumq; a posteris tã-
 dem sint reuocatæ. Deinde uerò ipsa ecclesia, durissima gen-
 tium seruitute olim, oppressa Apostolicas Traditiones sibi cō-
 creditas distractis fidelibus facile peruulgare, posterisq; com-
 mode propagare non poterat, Concilia cogere non audebat
 in quibus Patrum dicta conferret, Traditiones ipsas ab homi-
 num obliuione uindicaret, hæitationes tolleret, prolapsio-
 nes cognosceret, exortos errores coargueret, fidelium con-
 fessionem in omnibus seruaret. Interim uerò antiquo hoste
 uigilante, Pseudoprophetis undique errumpentibus, Hæreti-
 corum uocibus ubique personantibus, Traditiones omnes pe-
 riclitabantur, earum complures in dubium uocabantur, quæ-
 dam etiã apud plerosque funditus euertebantur, plures adul-
 terini ac suppositi libri falsò inscripti, Prophetarum & Apo-
 stolorum nomine edebantur; quos incauti fideles suscipie-
 bant, nec pauciores quidem eorum germani libri adeò oppu-
 gnabantur, ut à multis etiam repudiarentur, quorum Tradi-
 tionem illis demonstrare uexata Ecclesia tunc facile non po-
 terat; hinc factum est, ut multi Traditionibus indiscriminatim
 uel obliuione obrutis, uel hæsitatiã in dubium, uocatis sacro-
 rum quoque librorum Traditio communi hoc incommodo
 uacare non sit permissa; qua non perspecta maluerunt fideles
 de sacris libris dubitare, quã minus cauti suppositum & adul-
 terinum librum aliquem temere uenerari, atque in pernicio-
 sas propterea hæreses turpissimè labi; quod quidem tunc erat
 facillimum, innumeris ferè libris falsò inscriptis, & ab hæreti-
 cis hominibus peruulgatis, quos nondum Ecclesia damnaue-
 rat, atque eorum lectione fidelibus interdixerat. Tandem ue-
 rò postquam Dei benignitate fuit Ecclesia a Tirannorum ser-
 uitude vindicata, (Imperante scilicet Constantino) cœpit iam
 illa libere, Pastoribus in vnum locū coactis, ex ortos errores
 tollere.

tollere, Antiquas Traditiones uetustis testibus productis è tenebris eruere, Adulterinos libros à germanis & sacris discernere, idque sigillatim data occasione præstare postea non desistit, ut consequentia Concilia hucusque habita distincte, & aperte demonstrant. Sed dices; concedo equidem omnibus cuiuscunque generis Traditionibus commune illud incommodum olim accidisse, ut illarum memoria aliqua ex parte uel sensim obscurata sit, uel etiam euenerit, allatas quoque huius incommodi rationes & causas non aspexit, ut id ipsum librorum pariter Traditioni contigisse iam mirari propterea desinam, cur tamen id huic potius, quam illi Traditioni nominatim & definite acciderit, intelligere aut conijcere hucusque nequeo: Quid enim in causa esse potuit ut (exempli causa) Apocalypsis traditio magis obscuraretur, quam Ioannis eiusdem Euangelij, uel secundæ potius quam primæ Petri Epistolæ? hoc itaque mihi demonstrari adhuc desidero, ut superiorem sacrorum librorum partitionem, omni abiecta cunctatione, suscipiam. Hunc quoque scripturalem ex interrogantis animo euellere non recusabimus, quamuis definitas ac certas singulorum rationes & causas deprehendere sit admodum difficile, neque eas sigillatim à docente reposcere in cæteris Traditionibus auditores soleant, cum fieri possit, ut casu potius quam ratione Traditio aliqua uel interciderit, uel in dubium uocata sit, cæteris firmis, certis, ac exploratis permanentibus. Quas tamen huius disparitatis generales causas in librorum Traditionibus animaduertere nos potuimus, obsequèdi studio non reticebimus. Cum itaque Hebræis olim fuerint, ut inquit Apostolus, credita eloquia Dei, quæ postea ad Ecclesiam translata sunt, ægre illi quidem ferebāt, quòd nonnulla volumina apud ipsos recòdita, & inter Apocrypha studiose & callidè numerata (ut paulo post demòstrabimus) pro Diuinis & sacrosanctis apud nos haberētur, ea propter, sententiã hanc totis uiribus infideles Iudæi labefacta-

re

Dubitatio.

R. sponso.

Prima causa.
Rom. 3.

re & conuellere conabantur quibus hæretici libenter assentiebantur; eosdem uerò refellere, uel ab ipsis dissentire, qui ex Iudæis infirmis Christiani erant uix ausos esse, credibile est, utpote qui ueterem malam opinionem animo iam imbiberant; his igitur reticendo subterfugientibus, illis dicendo obscurantibus, cœperunt iam fideles multi hæsitare, uel parem omnino fidem libris illis non habere, quos ab Hebræorum canone exclusos intelligebant, atque hac potissimum de causa illorum sacrorum Voluminum memoriam obscuratam putamus, quæ ex Veteri Testamento in minus notæ traditionis classe collocauimus. Quibus præterea aliud accessit incommodum, cum cæteris eiusdem ordinis Noui Testamenti libris commune; habuerunt enim illi hæreticos sibi diu & maxime infensos, quorum peruersa Dogmata illis saluis sine ulla spe ad interitum ruere oportebat, ut de Arrianis, Epistolam Pauli ad Hebræos repudiantibus, testatus est THEODORETVS dicens [Cū enim non possent ijs, quæ de Unigeniti diuinitate aperte dicta fuerant, resistere ausi sunt totam epistolam reijcere] Quod uitium omnibus hæreticis familiare fuisse HERONYMVS asserens ait [Hæretici quicquid cōtrarium suo dogmati uiderunt, eraserunt] quod multò ante animaduertens TERTULLIANVS dixit [Hæresis non recipit quasdam scripturas] cuius licentiæ & impietatis excusationem aliquam quærentes ipsi hæretici, omnem scripturæ insectandæ occasionem arripiebant, ut repudiationis causas prætexerent; ea propter uel Doctrinæ repugnantiam, uel styli disparitatem, uel libri inscriptionem, uel quampiam aliam calumniam reiectæ scripturæ obiectabant; quam cum nõ posset quiuis facile propulsare, uel in obrectatorum sententiam discedebat, uel de repudiatis libris dubitabat. Hæc autem omnia tunc distincte cognoscemus, cum singulis libris obiecta crimina, uel maledicta potius, accuratè percensuimus. His igitur calumnijs, sacris aliquot libris diu & multum exagitatis, quorum obiectæ reprehensiones

Secunda causa.

Arg. in ep. ad Heb.

Procem. in ep. ad Tit.

De præscript.

magis

magis probabiles uidebantur, & specie quadam ueritatis uehementius mouebant; eorum traditionem, quasi offusis tenebris, paululum obscuratam esse mirum uideri non debet; quos propterea in secunda classe reponendos diximus.

Librorum sacrorum notæ traditionis breuis quædam explicatio & confirmatio. Cap. IIII.



VOSCVNQVE autem diximus notæ traditionis libros esse, eos omnes sacros ac diuinos nuncupantes, sancti Patres accuratè etiam interpretando explanarunt, atque ipsorum sententijs & uerbis sepius utentes in fidei dogmatibus confirmandis, Verbi Dei honorem & auctoritatem illis tribuendam esse apertè declararunt, enumerationemq; librorum sacrorum quicunq; recenserunt hos in primis numerauerunt; ut ^a Cirillus Hierosolymitanus, ^b Athanasius, & ^c Gregorius Nazianzenus, (qui duo tamen librum Esther omiserunt) deinde uerò ^d Epiphanius, ^e Augustinus, ^f & Damascenus. Quam præterea de antiquissimis ueteris testamenti libris manifestam Ecclesiæ traditionem scimus Hebræorum uetustiorum canoni apprimè consonam esse, & nunc quoque à Iudeis, nobis pertinaciter infensis, eosdem libros non repudiari, imò Christi ipsius, & Apostolorum testimonijs plurimis comprobati nouimus; fremant licet Manichei, & illis uetustiores Simon Magus, Carpocrates, Cerdon, Marcion, atque Seuerus. **CHRISTVS** enim Moyfis libros approbans dicebat [si crederetis Moyfi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit] Nec solum Moysem, sed unà cum illo Prophetas laudabat dicens. [Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.] Omnes tandem ueteris testamenti libros simul probans, dixit. [Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moyfi & prophetis, & Psalmis de me] **LVCA**s uerò de eodem Domino nostro inquit. [Incipiens

^a Catech. 4.
^b In Synopsi sacre script.
^c In libr. Carminū.
^d Lib. de pond. & mens.
^e Lib. 2. de Doct. chris. cap. 8.
^f Lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 18.
Ioan. 5.

Luc. 16.
Luc. 24.
Luc. 24.

piens à Moyse, & omnibus Prophetis, interpretabat ut illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant [**PETRVS** quoque ait. **Act. 20.** [Huic omnes prophete testimonium perhibent.] Præter hanc autem omnium librorum generalem & uniuersalem approbationem non desunt singulis ferè libris pura Christi & Apostolorum præclara testimonia, quorum nonnulla ex Euangelijs, & Apostolicis scriptis recitabimus. In primis itaq; ex **GENESI** illud Christi assensu approbatur. [Non legistis quia qui fecit ab initio masculum & foeminam fecit eos? & dixit. Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in una carne] **PAVLVS** uerò Apostolus ex eodem libro aliud sumens testimonium, inquit [Quid dicit scriptura? eijce ancillam, & filium eius] Exodum approbans **EVANGELISTA** inquit [Sicut scriptum est in lege Domini, quia omne masculinum adaperiens uuluum sanctū Domino uocabitur] **APOSTOLVS** similiter [Dicit. n. scriptura Pharaoni, quia in hoc ipsum excitauit te, ut ostendam in te uirtutem meam, & ut annuncietur nomen meum in uniuersa terra.] Leuitici testimonio utens **CHRISTVS** ait [Nam Deus dixit, qui maledixerit patri vel matri morte moriatur] **APOSTOLVS** [Moyse enim scripsit quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo uiuet in ea] ex Numeris illud sumptum est [ut scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo] ex Deuteronomio **CHRISTVS** recitat [scriptum est enim Dominū Deum tuum adorabis, & illi soli seruias] **APOSTOLVS** [Primus Moyse dicit, Ego ad emulationem uos adducam in non gentem, in gentem insipientem in iram uos mittam] **IDEM** ex Iosue [ipse enim dixit non te deseram, neque derelinquam] ex secundo Regum [& rursum, ego ero illi in patrem, & ipse erit mihi in filium] ex tertio Regum [An nescitis in Elia quid dicit scriptura, quemadmodum interpellat Deum aduersum Israel? Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam;

Act. 20.

Matth. 19.
Gen. 2.

Gal. 4.
Gen. 21.
Luc. 2.
Exod. 13.

Rom. 9.
Exod. 9.

Matth. 15.
Leu. 20.
Rom. 10.
Leu. 18.

Num. 9.
Ioan. 19.
Deut. 6.
Matth. 4.

Rom. 10.
Deut. 32.
Heb. 13.

Iosue. 1.
Heb. 1.

2. Reg. 7.
Rom. 14.

sed

3. Reg. 19. sed quid dicit illi Diuinum responsum? Reliqui mihi septem millia uirorum, qui non curauerunt genua Baal] Ex Iob autem idem PAVLVs plures mutuatus est sententias, ut [scriptum est enim, Comprehendā sapientes in astutia eorum] Nihil in tuli in hunc mundum &c.] Ex libro Psalmorum CHRISTVS [Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum dicens. Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis?] PETERVS [Dauid dicit in libro psalmorum, prouidebam Dominum in conspectu meo semper] PAVLVs [Sicut scriptum est in psalmo secundo, Filius meus es tu, ego hodie genui te.] omnes denique APOSTOLI [Domine qui spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti. Quare fremuerunt gentes.] ex Prouerbijs uerò sumens testimonium PAVLVs dicit, [obliti estis consolationis, quæ uobis tanquam filijs loquitur dicens: Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris dum ab eo argueris, quem enim diligit Dominus castigat] ex singulis maioribus Prophetis illa sumpta sunt. [Isaias autem clamat pro Israel, si fuerit numerus filiorum tanquam arena maris, reliquæ saluæ fient.] Tunc adimpletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam, uox in Rama audita est] Nomen enim Dei per uos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est] Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto.] ex singulis tandem minoribus Prophetis sequentia proferuntur testimonia [sicut in Osee dicit. Vocabo non plebem meam plebem meam.] Et erit in nouissimis diebus dicit Dominus.] Sicut scriptum est in libro Prophetarum, nunquid uictimas, & hostias obtulisti mihi?] Sicut fuit Ionas in uentre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus.] sic enim scriptum est per Prophetam, & tu Bethleem terra Iuda.] Nunc autem repromittit dicens. Adhuc semel & ego mouebo non solum terram, sed & cælum [Videte ergo ne superueniat uobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini,

& dif-

1. Cor. 3.
Iob. 5.
1. Tim. 6.
Iob. 1.
Matth. 20.
Psal. 109.
Act. 14.
Psal. 15.
Rom. 4.
Psal. 2.
Act. 13.
Psal. 1.
Heb. 12.
Prouer. 3.
Rom. 9.]
Isa. 10.
Matth. 2.
Ier. 13.
Rom. 2.
Eze. 36.
Matth. 24.
Dan. 9.
Rom. 9.
Ose. 11.
Act. 2.
Iohel. 2.
Act. 7.
Amos. 5.
Matth. 12.
Ion. 2.
Matt. 2.
Mich. 2.
Heb. 12.
Agg. 2.

& disperdimini, quia opus operor ego in diebus uestris] Ipse præcedet ante illum in spiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios.] Sicut scriptum est, Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.] Loquimini ueritatem unusquisque cum proximo suo] Hic est enim de quo scriptum est. Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam] Hæc quidem sunt ex scripto Dei Verbo concisa breuitate prolata testimonia, ad singulos ueteris testamenti ab Hebræis etiam receptos libros comprobandos, quos tamen præterea credendum est, ac pro certo habendum, fuisse ab ipso Christo in quotidiano sermone suis discipulis diligenter & apertè commendatos; nec Gentes scripturas sanctas Hebræis traditas, & ab iisdem custoditas, (credita enim sunt illis, ut inquit Paulus, eloquia Dei) sibi temerè ac impudenter sumpsisse putandum est; sed illa potius sibiipsis, & catholicæ Ecclesiæ Diuina traditione expressè commendatas, & concreditas suscepisse.

Act. 13:
Abac. 1.

Luc. 7.
Nab. 4.
Rom. 10.
Nac. 11.
Eph. 4.
Zach. 8.
Matth. 11.
Mal. 3.

Rom. 3.

Exploratur ac demonstratur Traditio librorum Tobiæ & Iudith. Cap. V.



Is breuiter explicatis, accedamus iam ad inquirendam minus exploratam traditionem eorum, qui reliqui in canone sunt, librorum; in qua aperienda & probanda necessariò longiores erimus; cum enim traditio omnis ex uniuersitate, antiquitate, & consensione est demonstranda, ut de illa uniuersa agentes declarauimus, tum ea, quæ de libris canonicis est, exactas huius demonstrationis conditiones flagitat; est enim de re omnium grauissima, Dei scilicet uerbo, ex quo religionis nostræ Dogmata ipsa confirmantur. Habet acerrimos aduersarios, hæreticos nimirum plurimos & primarios, qui illam pertinaciter, & uehementissimè oppugnant, ut posterius cognoscemus. Habuit præterea non paucos Catholicos olim de illa diuersè sentientes.

Tit. De Verbo Dei tradito.

Nunc

Nunc denique non defunt etiam pij uiri, qui hanc (Verbi. f. Dei) antiquissimam traditionem in quibusdam libris non omnino agnoscant, quos quidem à priscis Patribus pro ecclesiasticis solum habitos asserentes, iam tandem canonicos esse fateantur. Quare pluribus necessariò agendum erit, & aceruatim plurimum Græcorum, tum Latinorum Patrum testimonia erunt amplectenda ac proferenda, ut hanc librorum traditionem usque ad nascentem ecclesiam, & apostolica tempora reuocemus, eamque, quoad eius facere poterimus, certam, ac perspicuam omnibus faciamus. Primus autem nobis Canonis Tridentini ordinem seruantibus se offert liber Tobia; Quem semper in ecclesijs publicè lectum, pro sacra scriptura habitum, inter ueteris testamenti libros numeratum, ad Dogmata denique confirmanda eius testimonium prolatum esse, quæ sequuntur nudæ Patrum sententiæ non obscure demonstrabunt. CLEMENS enim ROMANVS inquit [Vnde & in uetere testamento scriptum habetur. Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris] Quod repetens CALIXTVS primus ait [Vnde bene sacra ait scriptura, quod tibi non uis fieri, alteri non facias] ALEXANDER uerò primus ad Trinitatis dogma confirmandum huius libri testimonio utitur dicens, [Si Trinitas non est, cur Tobias, cum filium suum mitteret in Reges ciuitatem cum Raphaele Arcangelo, benedicens eos ita dixisse docetur; Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, ipse impleat benedictionem suam in uobis?] eandem traditionem agnoscens Marcellus primus Tobie sententiam profert; hos enim testes producere non erubescimus, quibus inscriptas epistolas tum uetustissimas esse pij omnes fatètur, & certissimis testimonijs demonstrari facile posset, tum nos præterea illorum germanas esse easdem putamus, nec leuibus quidem cõiecturis ducti, ut opportuno loco aliàs declarabimus. Sed multò frequentius quam isti omnes huius libelli testimonijs utitur doctissimus CYPRIANVS, quæ quidem à spiritu san-

Epist. 1.
Tob. 4.

Epist. 2.

Epist. 1.
Tob. 4.

Epist. 2.

cto

cto dictata & diuina esse testatur. [loquitur, (ait) in scripturis spiritus sanctus, & dicit. Eleemosinis, & fide delicta purgantur] IDEM [& ideo scriptura diuina instruit dicens. Bona est oratio cum ieiunio & eleemosina] ORIGENES non solum ex hoc libro testimonia profert, sed ecclesiasticæ quoque consuetudinis & traditionis est testis dicens. [Hebræi Tobia non utuntur, neque Iudith, non enim ea habent nisi in apocryphis, idest in occultis Hebraice, ut ab ipsis discentes cognouimus, sed quoniam Tobia utuntur ecclesiæ, sciendum est, quòd etiam in captiuitate quidam captiui erant diuites, & res suas rectè gerebant, ipse autem dicit Tobias] IDEM [His ergo cum recitatur talis aliqua diuinorum voluminum lectio, in qua non uideatur aliquid obscurum, libenter accipiunt, uerbi causa, ut est libellus Tobia & Iudith.] Sed dices; Ex Origenis dictis concludi quidem libellos istos in ecclesia legi solitos esse, & pro ecclesiasticis semper habitos, sacros autem & diuinos esse inde non demonstrari. Imò respondentes dicimus, nõ posse est uerbis Origenis alium erui sensum, quàm utrumque libellum inter diuinos esse numerandum, tum quia ipse apertè hoc affirmat, cum dicit [diuinorũ uoluminum lectio] tum etiam quoniam ipsi quoq; Hebræi hos libellos legebãt, atque illis aliquem honorem deferrebant, quamuis inter sacra volumina non numerarent, ut omnes tum Christiani tum Iudæi fatentur: Quòd si idem fieret in Ecclesia, par fuisset apud ipsam & synagogam illorum usus, quem tamen diuersum esse palam testatur Origenes Hebræorum consuetudini & sententiæ Ecclesiæ usum opponens; quem etiam confirmat AMBROSIVS, hunc Tobie librum non solum accuratè explicans, sed in ecclesia tanquam propheticum & diuinum legi solitum affirmans [lecto ait, Prophetico libro, qui inscribitur Tobias, quamuis plene uobis uirtutes sancti prophete scriptura insinuauerit, tamen compendiario mihi sermone de eius meritis recensendis, & operibus apud uos utèdum arbitror, ut ea quæ

Serm. 1. de
eleem.
Tob. 4.
Serm. 6 de
oratione
Dominica.
Iob. 12.
Ep. ad Afri
canum.In num.
hom. 27.

Dubitatio.

Responsio.

Li. de Tob.
cap. 16

B scri-

2. de Doct.
christ. c. 8.Epist. 7.
Iudith 9.
In ps. 125.
Iudith 16.præfat. in
Iudith.

scriptura historico more digessit latius, nos strictius comprehendamus.] **AVGVSTINVS** tandem hunc unà cum Iudith libello inter sacros & canonicos expressè numerat. Ex his autem unà cum Tobia, Iudith traditionem patefactam putamus, ut pote quæ in eisdem testimonijs apertè commemoratur; ad eam tamen illustriorem reddendam **ALEXANDRI** primi testimonium proferemus, qui in Trinitatis dogmate confirmando dixit [Si trinitas non est, cur etiam Iudith orando dixit, Domine Domine Deus omnium uirtutum, respice in oratione meam?] cui **HILARI** quoque auctoritatem anneximus, qui inter libros legis hunc Iudith libellum numerat dicens: [Cantantes ex lege, Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi] **Quid plura?** **CONCILIUM** ipsum **NICENVM** tanquam diuinam scripturam illam suscepit, & ueneratum est, idque palam testatur **HERONYMVS**, qui concilij iudicium & auctoritatem sequitur inquiring. [Quia hunc librum (Iudith. S.) Synodus Nicena in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi uestræ, imo exactioni, & sepositis occupationibus, quibus uehementer arctabar, huic unam lucubratiunculam dedi] Hęc quidem dicta sint pro utriusque libelli dilucidanda traditione; ad ea uerò, quæ à nonnullis opponuntur, in secunda huius Opusculi parte respondebimus, in qua aduersariorum argumentationes omnes sigillatim diluemus.

Posteriorum Capitulorum libri Esther Traditio
probatur. Cap. VI.



N hoc Esther libro septem posteriorum capitulum traditionem apud multos suspectam esse dicebamus, quos tamen Ecclesie catholice antiqua consuetudo redarguit, ubique enim solent Ecclesie legere Decimumtertium caput feria quarta dominice secundæ

dæ Quadragesimæ, Decimumquartum uerò Vigesima secunda Dominica post Pentecosten; **ALEXANDER** præterea primus in Trinitatis dogmate confirmando testimonium protulit ex eodem Decimotertio capite dicens [Si Trinitas non est, cur Mardocheus orando, Domine, Domine Deus omnipotens omnia in potestate tua sunt, dixit?] atque **ORIGENES** probans multa in nostris exemplaribus inueniri, & pro scriptura sacra haberi, quæ tamen in Hebræorum codicibus non reperiuntur, illustre exemplum in primis affert ex his Esther postremis capitibus dicens [Exempli autem causa, quoniam non assumi possunt omnia, pauca proferemus, ut in libro Esther neque Mardochei, neque Esther preces, quæ legentem possunt edificare, habentur apud Hebræos, sed neque epistolæ, neque quæ ad Aman scripta est de euerfione gentis Iudeorum, neque Mardochei ex nomine Regis Artaxerxis gentem à morte liberans] **BASILIVS** inde testimoniū sumens ait. [& sapientissima Esther, ne tradas Domine sceptrum tuum non existentibus] **CHRISTOSOMVS** quoque inquit] Fuit quædam mulier Hebræa (Esther erat illi nomen) hæc Esther totum Iudæorum populum uniuersali excidio tradendum sic eripuit, postquã autem Persarum Rex omnes passim Iudæos interim iussisset, & nullus esset, qui contra iram illius obistere posset, priorem uestem exuta mulier, & sacco amicta, & cinerem substrata, diuinæ clementiæ supplicabat, ut secum ad Regem ingrederetur, & talia orans uerba ad ipsum dabat, Grata fac Domine uerba mea, & da sermonem ornatum in os meum] **AMBROSIVS** similiter hanc Esther historiam recitans dicit. [Nec immitis Regis trepidauit furorem] quod quidem sumptum videtur ex cap. Decimoquinto ubi de Rege scribitur [Cumque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset] **IOANNES** Cassianus [Ut etiam ad illam Scientiam peruenire possitis, de qua Angelus ad Daniele ait, Qui autem docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmam

Esther 13.

Ep. ad Iul.
Africanū.Lib. contra
Eunomiū
secundo.
Esther 14.
Hom. 3. ad
pop. Antio
chenum.Esther. 14.
Lib. 3. Off.
cap. 15.Collat. lib.
14. cap. 9.
Dan. 12.

Esther. 15. menti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates] *AVGVSTINVS* denique hinc testimoniũ sumpsit inquit [*Esther* illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ, non eundem secum colenti Deum, tamen subiecta seruebat, quæ cum extremo periculo non suo tantum, sed etiam gentis suæ, quæ tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum Regium, sicut pannum menstruatae] Et quamuis præter ipsum *Origenem*, qui hæc postrema huius libri capita inter scripturas sacras expresse numerat, cæteri Patres, quorum sententias protulimus, id aperte non asserant, cum tamen germanas *Esther* particulas esse illi agnoscant, dum earum verba & sententias recitant, pro diuinis etiam scripturis illa habere conuincuntur; uniuersum enim librum *Esther* diuinum & sacrosanctum esse nemo est qui dubitet; cuius etiam traditio est, ut iam diximus, notissima, & sexcentis Patrum testimonijs probari facile possit. Cum igitur hæc postrema capita non sint eius adulterinæ quædam particulae, sed pro ueris & germanis, ut demonstratum est, à patribus agnoscantur, necessaria consecutione cõcluditur, parem illa mereri auctoritatem, atque eiusdem generis, ordinis, & dignitatis scripturas esse. Quæ quidem ab orthodoxis patribus suscepta, in ecclesia ubique lecta, in ueteri uulgata denique latina editione descripta, à *TRIDENTINO* etiam *CANONE* contineri fatendum est, qui præcipiens minatur [si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in ueteri uulgata latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit] Quare nec liberum, ne tutum, nec rationi congruens, ni fallor, est de illis iam dubitare, quod tamen doctos quosdam, & pios uiros ausos fuisse & miramur, & egrè ferimus. Quæ enim est defensio, (ne dicam excusatio) dicere Cõcilij canonem loqui de ueris

Ep. 199. ad Ediciam.

Esther. 14.

Scilicet. 4.

Sixtus sent. Biol. lib. 1. & 3.

ris & germanis partibus? nugatoria interpretatio in primis ista est; deinde uerò, an non huiusmodi esse hæc septem capita iam demonstrauius; sed dicent, apud multos erant tamen dubia, Quid ergo? an de dubijs & controuersis non loquitur canon? imò maxime. An etiam *Danielis*, *Ieremiæ*, *Marci*, *Lucæ* & *Ioannis*, dubiæ & controuersæ particulae erunt propterea repudiandæ? sed absit; hoc enim præcipue est Concilij canone cautum, in quo etiam appositæ sunt conditiones & notæ, quibus suscipiendæ partes à reijciendis internoscantur. Quæ quidem notæ & conditiones omnes istis septem capitibus optimè congruunt, cum ipsa legi in Catholica ecclesia consuuerint, & in ueteri uulgata latina editione habeantur; imò & tertia conditio (super uacanea illa quidem, sed tamen à recetioribus addita) quod sint ueræ & germanæ partes, illis maxime conuenit teste *Origene*, *Basilio*, *Chrysostomo*, *Ambrosio*, & *Augustino*, quorum testimonia iam prolata suscipientes, & Concilij præceptum seruantes, *Esther* particulas istas tanquam Dei uerba ueneremur.

Libri sapientiæ Traditio dilucidatur. Cap. VII.



LIBER Sapientiæ in ecclesijs publicè legi frequenter solet. Quarta enim feria Pentecostes primam illius sententiam *ECCLÉSIA* arripiens dicit [Dixit Salomon filiis suis; Diligite iustitiam, qui iudicatis terram] atque in natalibus unius & plurium martyrum, confessoris, & virginum ex eodem libro lectiones sumit. *DIONISIUS* uerò *AREOPAGITA* inter diuina uolumina ipsum aperte numerat dicens [In primis scripturæ sanctæ institutionibus inuenies quendam hæc dicentem de diuina sapientia, Amator factus sum pulcritudinis eius] *TERTVLLIANVS* illum tribuit Salomoni cum ait [Nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat, Dominum in simplicitate

Sap. 7.

De diu. nom. c. 4.

Sap. 8.

De præser. Sap. 1.

Lib. 1. ep. 11. te cordis esse quærendum] **CYPRIANVS** ex eo testimonium sumit inquit [& iterum cum scriptum sit disciplinam qui abijcit infelix est] & in libello de exortatione Martirij bis eundem citat, & Salomoni tribuit, apertè uerò Sacræ scripturæ auctoritatem in illo agnoscit, dicens [Cum dicat scriptura diuina, Quid nobis proficit superbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? transferunt illa omnia tanquam umbra] Idem [sed et per Salomonem docet Spiritus sanctus, qui deo placeant maturius hinc eximi, & citius liberari; ne dum in isto mundo diutius immoratur, mundi contactibus polluantur. Raptus est inquit ne malitia mutaret intellectū eius, placita enim erat Deo anima eius, propter hoc properauit edicere de media iniquitate] **MELITO SARDENSIS** episcopus in epistola ad Onesimum, quam Cæsariensis Eusebius recitat, in catalogo ueteris testamenti uoluminum eundem librum recenset, quem **CLEMENS** etiam **ALEXANDRINVS** Salomoni ascribit dicens [De cognitione autem differens Salomon hæc dicit, Clara est, & quæ nõ marcescit sapientia, & facile cernitur ab ijs qui ipsam diligunt, eos qui cupiunt præuenit, ut præcognoscatur] cuius discipulus **Origenes** ait [Hoc autem (id est sapientia Dei) etiam de sancto spiritu intelligi dedit, ubi dicit; Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & qui continet omnia, scientiam habet uocis] Idem uerò non solum hæc diuina eloquia esse, sed Salomoni quoq; inscripta testatur dicens [Sapientie liber Salomoni inscriptus his uerbis docet. Recedens autem ab ipsa (nempe sapientia) iniustus in ira sua periit] Id ipsum sentiens **BASILIVS** inquit [& alteram manum declarans Salomon ait. Deus Patrum, & Domine misericordiae tuæ, qui fecisti omnia in verbo tuo, & sapientia tua construxisti hominem] Cui coæuus **GREGORIVS NAZIANZENSIS** ait [Hinc & Salomon, Cū sit, inquit, una, omnia potest, & permanens in se, omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se trāsferat] **GREGORIVS** quoq; **NISSE-**

NVS

NVS inquit [& Salomon propheticè, Puer eram ingeniosus, & animum bonum sortitus eram] Id ipsum sentiens **Hilarius** ait. [ergo secundum prouerbiorum rationem uirilem nosse debemus, eam nempe quam sibi Salomon sponsam quæsiuit assumere; de qua & rursum ait. Iudicauit igitur hanc adducere ad conuiuendum mecum, & amator factus sum pulchritudinis eius] Idē [& rursum **Propheta**, Magna enim sunt iudicia tua & inenarrabilia] **CHRYSOSTOMVS** [Sed & scriptura hanc nouit discretionē, senectus enim inquit, honorabilis non multi temporis, & ætas senectutis uita immaculata] **EPIPHANNIVS** [& sapientias Salomonis inq̃, & filij Sirach, & omnes in summa diuinas scripturas] **AMBROSIVS** [in libro sapientiae Salomon se Dominum deprecatum fuisse commemorat, adij inquit Dominum, & deprecatus sum illum, da mihi Domine sedium tuarum asitricem sapientiam] **IDEM** [sicut dixit Salomon, quia sapientia non de terra exorta est, sed de patre, est enim splendor lucis æternæ, & manatio omnipotētis gloriæ] Qui **AMBROSIVS** non solum huius libri auctorem Salomonem agnoscit, sed scripturæ sacræ etiam auctoritatem illi aperte concedit inquit [& hoc accipiant, scripturarum auctoritate nos docere; scriptum est enim, quia in sapientia est spiritus intelligentiæ] **CASSIANVS** [ita scriptura testante. Quia Deus mortem non fecit, nec gaudet in perditione uiuorum] Idem [Per hæc siquidem; ut Salomon testis est, unusquisq; per quæ peccauerit, & punitur] **AVGVSTINVS** [Nõ debuit repudiari sententia libri sapientiae, qui meruit in ecclesia Christi de gradu electorum ecclesiae Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus christianis, ab episcopis usq; ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos cum ueneratione diuinæ auctoritatis audiri] **IDEM** [illi duo libri, unus qui sapientia, & alius qui ecclesiasticus inscribitur, quoniam in auctoritate recipi meruerunt, inter propheticos numerandi sunt] **CYRILLVS ALEXANDRINVS** [& Salomon

In psal. 129.
Sap. 8.In psal. 118.
Sap. 17.
Hom. 7. in
ep. ad Heb.
Sap. 4.Cōtra Anomeos.
Lib. de quatuor diff. q.
Sap. 9.Lib. de paradiso.
ap. 7.Li. 3. de Spiritu sancto.
Sap. 7.
Collat. 13.
cap. 7.
Sap. 1.
Collat. 24.
cap. 24.
Sap. 11.
Lib. 1. de p̃des. sanct.
cap. 14.

Li. 2. de doctr. chr. c. 8.

In euang. 10. lib. 6.
Sap. 7.

B 4 de

Contra Col
la. cap. 36.
Sap. 8.

Li. 2. aduer
sus Praxi
mundum.
Sap. 7.

Aduersus
Maximinū.
cap. 5.
Sap. 18.

Lib. 1. in 1.
Regum.
Sap. 17.

In psal. pe
net.
Sap. 1.

Aduersus
Vari. Aria-
num.
Sap. 11.

Epist. ad oēs
episcopos
contrahen.
lib. 4. histo.
trip. c. 24.
Et Theod.
lib. 2. cap. 8.
Sap. 7.
In confess.
fidei.
Sap. 7.

de ipsa; vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædā maie-
statis eius sincera] PROSPER eius testimonio utitur in dog-
mate confirmando dicens. [Falsum ergo scriptum est, quia
nemo potest esse continens nisi deus det] FVLGENTIVS [Vt
autem unius infinitatis cum Patre filius monstraretur, sancta
scriptura curauit de sapientia dicere, splendor est enim Lu-
cis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis] CBEREA
LIS EPISCOPVS [In Salomone legitur; omnipotens ser-
mo tuus Domine exiliens à regalibus sedibus in mediam ex-
terminij terram profiliuit] IDEM [Nam etsi scriptura dicat,
quia panem omnem suauitatem habentem, & omnem dulce-
dinem Deus eis dedit] GREGORIUS PRIMVS [& Salomon
ait; Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à
cogitationibus; quæ sunt sine intellectu.] IDACIVS CLARVS
[& in Salomone; Nō enim impossibilis erat manus tua, quæ
creauit orbem terrarū ex materia inuisa.] Præter singulos ve-
rò Patres antiquissimum etiam CONCILIVM SARDICEN-
SE ad omnes episcopos scribens huius libri testimonio uti-
tur inquiring [Quoniam ait, omnium sapientia docuit me]
Toletanum uero vndecimum tanquam scripturam sacram
palam agnoscens dicit [Nā si attendamus illud quod scriptu-
ra sancta dicit de sapientia, splendor est lucis æternæ] PAU-
LVS denique Apostolus ad Romanos & Hebræos scribens,
ex hoc libro sententias est mutuatus; cuius quidem ex ipsa
traditione iam demonstrauius scriptorem esse Salomo-
nem, auctorem autem scriptum sanctum, eiusdem uerò cu-
stodem ecclesiam illum sibi traditum legere, tanquam di-
uinum uenerari, & in confirmandis dogmatibus non ra-
rò proferre cognouimus.

Ecclesiastici traditio confirmatur. Cap. VIII.



CCLESIASTICVM legere consuevit ecclesia in
martyris, confessoris, & virginum natalibus; anti-
quissimi uerò Patres se eundē suscipere, uenerari,
& uelut diuinum, atque à Salomone conscriptum
agnoscere palam testantur: ANACLETVS enim primus ait [&
Salomon loquitur dicens, Qui fodit foueam incidet in eam,
& qui uoluit lapidem reuertetur ad eum] EVARISTVS PRI-
MVS [Ipso filio in propheta loquente, Qui me genuit requie-
uit in tabernaculo meo.] SIXTVS PRIMVS [& in Salomone
habetur, Miserere nobis Deus omnium, & ostende nobis lu-
men miserationis, & immitte timorem tuum super gentes,
quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est alius
Deus nisi tu.] IDEM [& ubi est quod in Salomone scriptura
loquitur, sicut enim in conspectu eorum magnificatus es,
inquit, in nobis, ita in cōspectu nostro magnificaberis in illis]
FABIANVS PRIMVS [fili, ait Salomon, in mansuetudine ser-
ua animam tuam, & da illi honorem cui honor competit,
priusquam interrogas ne uituperes quemquam, & cum inter-
rogaueris corripe iustè] CALISTVS PRIMVS. [dicente quip-
pe scriptura sancta Post concupiscentias tuas non eas, & à
uoluntate tua auertere] CLEMENS ALEXANDRINVS [se-
quentes autem scripturas confirmemus quod dictum est, sa-
pientia inquit Salomon inflauit suos filios] ORIGENES [in
libro qui apud nos, inter Salomonis uolumina haberi solet,
& ecclesiasticus dici, scriptum est, omnis sapientia à Deo est]
IDEM. [Quid enim ait scriptura? Quid superbit terra & cinis?
& in uita eius proiecit interanea eius.] CYPRIANVS [Cum
scriptum sit; Ante mortem nō laudes hominem quemquam]
Quod si EIVSDEM magis perspicuam sententiam requiris,
recitabimus alteram, in qua nihil desiderabis [Sed & Salo-
mon in Spiritu sancto constitutus testatur, & docet quæ sit sa-

Epist. 2.
Eccl. 27.

Epist. 1.
Eccl. 34.

Ep. ad om-
nes Christi
fideles.
Eccl. 36.

Ep. ad om-
nes Christi
fideles.
Eccl. 36.

Epist. ad oēs
episcopos
Eccl. 10. 11.

Epist. 1.
Eccl. 18.

Lib. 7. Stro
Eccl. 4.

In Num.
hom. 18.
Eccl. 1.

In Ezech.
hom. 9.
Eccl. 10.

Li. 3. ep. 10.
Eccl. 12.

Lib. 3. ep. 9. Eccl. 7.

cerdotalis auctoritas, & potestas dicens, Ex tota anima tua time Deum, & sa cerdotem eius sanctifica & iterum; Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes eius]

Contra Eunuomium lib. 4. Eccl. 23.

BASILIVS [si qui in carne est dicit, ego sum uia, & idem, nemo uenit ad Patrem nisi per me, ipse est etiam qui dixit, Dominus creauit me principium uiarum suarum] cum autem utriusq; dicti eundem auctorem & parem auctoritatem asserat esse Basilius, palam etiam fatetur Deum ipsum in euangelio locutum in ecclesiastico olim illam protulisse sententiam, quæ euangelico testimonio non fit auctoritate inferior. HIR-

In psal. 67. Eccl. 21. Ep. ad Gratium. Eccl. 24.

LARIVS quoque ait [& per Salomonem; Initium sapientiæ timor Domini est.] SIXTVS SECVNDVS [Salomone dicente, Ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam]

Ep. ad episcopos Italiae. Eccl. 11. Hom. 28. i Decol. 8. 10 an. Bapr. Eccl. 25. Cõtra Anomeos.

DAMASVS PRIMVS [Quod bene per sapientiam Salomonis dicitur; Antequam scruteris ne reprehendas] CHRYSOSTOMVS [Testificatur huic sermoni meo sapientissimus Salomon dicens, cohabitare Leoni & Draconi melius est, quam cum muliere mala & linguosa] EPHIPHANIVS [& sapientias Salomonis inquam & filij Sirach, & omnes in summa diuinas scripturas] quibus uerbis ecclesiasticum comprehendere nemi-

Lib. 1. off. cap. 2. Eccl. 20. Lib. 4. de fide ad Gratium. Eccl. 24.

ni dubium esse debet. AMBROSIVS [Vnde bene ait scriptura, homo sapiens tacebit usque ad tempus] IDEM appellat diuinæ oracula [Didicimus enim potestatis esse, quod nos filios fecit, proprietatis autem generationes esse oracula diuina declarant; dicit enim sapientia Dei, Ex ore altissimi prodij, hoc est non coacta, sed libera, non potestati obnoxia, sed nata ge-

In epist. ad Cor. cap. 7. Eccl. 10. In eccl. c. 10. Eccl. 26.

nerationis arcano, priuilegio dominationis, & iure potestatis] Salomonem quoq; post spiritum sanctum auctorem agnoscit dicens [Vnde & Salomon; Seruo (inquit) sapienti liberi seruiunt] HIERONYMVS [siquidem & alibi ipse Salomon ait, Qui statuet laqueum capietur in illo] CASSIANVS [Quapropter secundum scripturæ sententiam, egressus ad seruiendum Domino, sta in timore Dei, & præpara animam tuam,

non

non ad requiem, non ad securitatem, non ad delicias, sed ad tétationes, & angustias] AVGVSTINVS [Imò uerò ne præcipi ti suspicione in fabulas sacrilegas irruamus, clamat scriptura diuina, Altiora te ne quæseris, & fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ tibi præcepit Dominus illa cogita semper] LEO PRIMVS [Dicente scriptura, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum] PROSPER [Vnde et sumptum est, beatus cui datum est habere timoré Dei] Huic autem traditioni CYRILLI ALEXANDRINI, & GREGORII magni clarissimis testimonijs finem imponamus, is enim huius libri auctoritate dogmata confirmat, eumq; diuinam scripturam esse aperte profitetur dicens [Necesse igitur erit credere diuinas mentiri scripturas, quæ de ipso prædicant: Qui nouit omnia ante generationem ipsorum, in omnibus enim etiam ille dies connumeratur; quomodo igitur omnia nouit, si illum diem ignorat? sed scriptura non mentitur dicens omnia scire filium] GREGORIUS uerò primus inquit [Salomone attestante, qui ait, qui modica spernit, paulatim decidit] ex quo etiam libro illud sumpsisse PETRVS uidetur [omnis caro ut foenum] qua sententia usus est similiter IACOBUS dicens [sicut flos foeni transibit.]

Cõtra Priscillianistas. c. 11. De quadra. ferm. 11. Eccl. 3. Lib. 2. de uoc. gent. cap. 27. Eccl. 25.

Li. 1. Thef. Eccl. 23. Lib. 4. de Instit. cenob. cap. 38. Eccl. 2.

Monal. 1. 10 Eccl. 19. 1. Pet. 1. Eccl. 14. Iacob. 1.

Libri Baruch cum epistola Ieremiæ Traditio explicatur. Cap. XI.



Hoc Baruch libello leguntur in primis aliqua ab ecclesia Dei in solenni Pentecostes festo, deinde uerò grauissimorum etiam Patrum testimonijs eiusdem traditio abundè probatur, inter quos

CLEMENS ALEXANDRINVS diuinæ scripturæ nomine illum appellat dicens [Pulcherrime itaque alicubi dicit diuina scriptura, ad eos qui sunt sui amantes, & arrogantes uerba dirigens. Vbi sunt qui gentibus imperabant, & qui dominabantur

Lib. 2. Ped. cap. 3. Baruch. 5.

tur

Deuium.

Lib. 1. Ped.
cap. 10.

Baruch 3.

Responsio.

Oratione
q̄ Christus
fit Deus.
Baruch 3.Orat. quòd
Christus fit
Deus.
Baruch 3.
Lib. 18. de
ciuit. Dei
cap. 33.

tur feris, quæ sunt super terram? qui in cæli auibus illudebant, qui argenti & auri thesauros congregabant] sed dicit quis Clementem Alexandrinum recitare quidem uerba, quæ leguntur in Baruch libello, non tamen tanquam ipsius Baruch uerba illa proferre, cum illum non nominet, atque alibi eiusdem sententias ipsi Ieremiæ tribuat; in eodem enim Pedagogus cum Ieremiæ uerba recitasset, illumque nominasset, proferens deinde testimonium ex libello, qui Baruch inscribitur dicit [Prudentia enim & cognitio significatur per eundem Prophetam dicentem, Audi Israel mandata uitæ, auscultata ut cognoscas prudentiam] Ad quod respondentes concedimus Clementem Alexandrinum libellum hunc Ieremiæ tribuisse, quod etiam multi præter ipsum fecerunt, ut ex illorum testimonijs mox cognoscemus, ea (ni fallor) ratione illi persuasi, quia maximi nominis Propheta erat Ieremias, cuius scriba fuit Baruch, ut legitur Ierem. 36. Quare non temerè eundem libellum nunc maiori prophetæ, nunc ipsius scribæ tribuere antiqui Patres consueuerunt, parum aut nihil referre existimantes, sub cuius ipsorum nomine testimonia inde sumerentur, dummodo illa tanquam diuina eloquia recitarentur: Quod quidem non obscurè declarauit CHRYSOSTOMVS, qui in eademmet Oratione paucis uerbis interiectis libellum hunc, imò unam & eandem illius sententiam Ieremiæ primùm deinde Baruch ascribit dicens [Primò omnium quòd Deus existēs, homo futurus erat dicit Ieremias, Hic Deus noster, non conferetur alius ad illum, inuenit omnem uiam scientiæ, & dedit ipsam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; post hæc in terra uisus est, & cū hominibus conuersatus est] & post pauca [Quomodo autem de eo quod aderit diximus quòd Baruch dicit. In terris uisus est, & cum hominibus cōuersatus est] AVGVSTINVS verò idem testimonium ex hoc libello sumens dicit [Hoc testimonium quidā non Ieremiæ sed scribæ eius attribuunt, qui uocabatur Baruch

Baruch, sed Ieremiæ celebratius habetur?] Ne miremur igitur si Baruch sententias legamus à Patribus sub Ieremiæ noīe frequenter prolatas, quos huius libelli traditionem comprobātēs iam audiamus. SIXTVS PRIMVS ait [Et Ieremias; Hic Deus noster, ait, & non applicabit alter ad eum, qui inuenit omnem uiam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; post hæc in terris uisus est, & inter homines conuersatus est] BASILIVS [Cum igitur Ieremias de filio dixerit, Hic est Deus noster, non reputabitur alius ad ipsum, maiorem etiam Patre dixit] AMBROSIVS in confirmando dogmate utitur huius libri testimonio, quem sacram scripturam appellat, & Ieremiæ tribuit [& in Ieremiæ quoque libro unum Deum scriptura dicit, & tamen & Patrem, & filium cōfiteatur. Itaque sic habes, Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum; qui adinuenit omnem uiam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est,] RVFINVS [Quod & Propheta prædixerat ubi ait, Hic est Deus noster, & non reputabitur alter ad eum, inuenit omnem uiam disciplinæ, & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo; post hæc in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est. IOANNES CASSIANVS [Meritoque ad eum increpatio illa dirigitur. Quare inueteratus es in terra aliena?] FERRANDVS Cartaginensis [Quando iuxta uaticinium Ieremiæ Prophetæ, Hic Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo, qui inuenit omnem uiam scientiæ, & dedit eum Iacob puero suo, & Israel dilecto suo] IDACIIVS CLARVS [Hieremia dicente, spiritus in omni regione spirat in nubibus, cui cū imperatū fuerit perambulare per totū orbē, perficit quod imperatū est] Hæc autem scripta sunt in epistola Ieremiæ, de qua à nō nullis est dubitatum, sed illam apertè agnoscit TERTVLLIANVS cum ait [Meminerat enim & Ieremiæ scribentis ad eos quibus illa captiuitas imminabat, Et nūc uidebitis Deos Babylonio-

Ep. ad oēs
Christi fideles.
Baruch 3.Lib. 4. contra Euno.
Baruch 3.
Li. 1. ad Gratianum.
Baruch 3.In Symb.
Apost.
Baruch 3.
Aduersus Varim. Arianum.
Baruch 6.Lib. aduersus Gnosticos ep. Ier.
Baruch 6.

byloniorum aureos, & argenteos, & ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus timorem; caute igitur, ne & uos similes sitis Allophylis, & timore capiamini, dū aspicitis turbas adorantes eos retro & ante, sed dicetis in animo ueritate, Domine adorare debemus] atque eius testimonio utitur quoque CYPRIANVS inquit [Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit, & docet dicens, In sensu autem tibi debet adorari Deus] de illa autem unā cum libello Baruch habemus etiam illustre testimonium CYRILLI HIEROSOLIMITANI, qui librorum sacrorum enumerationem percensens, inter ipsos utrumque numerat dicens. [Liber Hieremiæ, cum Baruch & threnis & epistola] CLEMENS uero ROM. eundem libellum ipsi Baruch ascribens inquit [& quod scriptum est in Baruch, Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum, inuenit omnem uiam scientiæ] CYPRIANVS etiam Baruch eiusdem auctorem nominat dicens] item apud Baruch, Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo] EUSEBIUS quoque CESARIENSIS illius nominatim sententiam cum protulisset, ei subscribens ait [Nihil addamus diuinis uocibus] CYRILLVS ALEXANDRINVS [Afferam autem Beatum Baruch concordem cum uocibus Isaïæ, dicit enim & ille, Hic Deus non reputabitur alius cum eo, inuenit enim omnem uiam scientiæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, & post hæc super terram uisus est, & cum hominibus conuersatus est.] IDEM [& Baruch fontem sapientiæ, inquit, reliquerunt] Theodoretus uero libellum hunc commentarijs auxit, atque illa uerba explicans [& euigilauit Dominus in mala, quæ adduxit super nos] dicit [euigilationem Dei uocat uindictam; nam scripturæ diuinæ mos est longanimitatem eius appellare somnum] quibus uerbis declarat se libellum istum pro diuina scriptura habere, sicut omnes alij patres habuerunt, illum Ieremiæ uel Baruch indiscriminatim tribuentes,

De oratione Domini ca. ep. Ier. Baruch 6.

Collat. 1.7. cap. 5.

Baruch 3.

Ep. ad Seuerum.

Baruch 3.

Catech. 4.

Baruch 3.

Lib. 2. testif. aduersus Iudæos.

Baruch 3.

Baruch 3.

Li. 6. de De mon. c. 19.

Con. Iul. lib. 10.

Baruch 3.

Li. 1. Thef. Baruch 3.

Baruch 2.

In Bar. 2.

tes, quorum quidem testimonijs eius traditionem abunde dilucidatam putamus.

Danielis particularum aliquot Traditio aperitur. Cap. X.

INTER Danielis particulas, quas minus notæ traditionis esse diximus, numerabamus imprimis hymnum trium puerorum, & orationem Azariæ, de quibus agentes dicimus, HYMNVM ipsum canere ecclesias solere singulis Dominicis diebus, & solennitatibus, nec non sabbato quatuor temporum, quam quidem consuetudinē antiquissimam in ecclesia esse inter cæteros RUFFINVS palam testatur, dum Hieronymo illam obijciens ait. [Trium puerorum hymnus, qui maxime diebus solennibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est] ipso uero longe antiquior ORIGENES inquit [In nostris autem exemplaribus, præter ea quæ sunt in Hebraicis, supersunt non pauca, quorum erat quidem initium congruenter quibusdam quæ feruntur in Ecclesijs; sic ergo precati sunt Ananias, & Azarias, & Misael, & hymnis laudarunt Dominum usque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum Deorum, laudate & confitemini, quoniam in seculum misericordia eius] Hæc autem exemplaria uera esse, & fide digna ibidem asserit dicens [Vide ergo ne imprudentes, & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in ecclesijs, & legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros, assententur autem Hebræis] CYPRIANVS [loquitur scriptura diuina; Stans (inquit) Azarias precatu est, & aperuit os suū, & exomologesim faciebat Deo simul cū sodalibus suis in medio ignis] IDEM [Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi consonantes in prece, & spiritus consensione concordēs, quod

Lib. 2. contra Hieronymum.

Ep. ad Iul. Africanū.

Ep. ad Iul. Africanū.

Ser. quinto de lapsis.

byloniorum aureos, & argenteos, & ligneos portari super humeros, ostentantes nationibus timorem; cauetes igitur, ne & uos similes sitis Allophylis, & timore capiamini, dū aspiceris turbas adorantes eos retro & ante, sed dicetis in animo uestrote, Domine adorare debemus] atque eius testimonio, utitur quoque CYPRIANVS inquit [Per Hieremiam quoque hæc eadem Spiritus sanctus suggerit, & docet dicens, In sensu autem tibi debet adorari Deus] de illa autem unā cum libello Baruch habemus etiam illustre testimonium CYRILLI HIEROSOLIMITANI, qui librorum sacrorum enumerationem percensens, inter ipsos utrumque numerat dicens. [Liber Hieremiæ, cum Baruch & threnis & epistola] CLEMENS VERÒ ROM. eundem libellum ipsi Baruch ascribens inquit [& quod scriptum est in Baruch, Hic est Deus noster, & non estimabitur alius aduersus eum, inuenit omnem uiam scientiæ] CYPRIANVS etiam Baruch eiusdem auctorem nominat dicens] item apud Baruch. Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo] EUSEBIVS quoque CESARIENSIS illius nominatim sententiam cum protulisset, ei subscribens ait [Nihil addamus diuinis uocibus] CYRILLVS ALEXANDRINVS [Afferam autem Beatum Baruch concordem cum uocibus Isaïæ, dicit enim & ille, Hic Deus non reputabitur alius cum eo, inuenit enim omnem uiam scientiæ, & dedit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo, & post hæc super terram uisus est, & cum hominibus conuersatus est.] IDEM [& Baruch fontem sapientiæ, inquit, reliquerunt] Theodoretus uerò libellum hunc commentarijs auxit, atque illa uerba explicans [& euigilauit Dominus in mala, quæ adduxit super nos] dicit [euigilationem Dei uocat uindictam; nam scripturæ diuinæ mos est longanimitatem eius appellare somnum] quibus uerbis declarat se libellum istum pro diuina scriptura habere, sicut omnes alij patres habuerunt, illum Ieremiæ uel Baruch indiscriminatim tribuentes,

De oratione Domini ca. ep. Ier. Baruch 6.

Collat. 1. 7. cap. 5. Baruch 3. Ep. ad Seuerum. Baruch 3. Catech. 4. Baruch 3.

Lib. 2. test. aduersus Iudæos. Baruch 3.

Li. 6. de Deo mon. c. 19. C. on. Iul. lib. 10. Baruch 3.

Li. 1. Theof. Baruch 3. Baruch 2.

In Bar. 2.

tes, quorum quidem testimonijs eius traditionem abunde dilucidatam putamus.

Danielis particularum aliquot Traditio aperitur. Cap. X.



INTER Danielis particulas, quas minus notæ traditionis esse diximus, numerabamus in primis hymnum trium puerorum, & orationem Azariæ, de quibus agentes dicimus, HYMNVM ipsum canere ecclesias solere singulis Dominicis diebus, & solennitatibus, nec non sabbato quatuor temporum, quam quidem consuetudinē antiquissimam in ecclesia esse inter cæteros RUFFINVS palam testatur, dum Hieronymo illam obijciens ait. [Trium puerorum hymnus, qui maxime diebus solennibus in Ecclesia Dei canitur, ab isto è loco suo penitus erasus est] ipso uero longe antiquior ORIGENES inquit [In nostris autem exemplaribus, præter ea quæ sunt in Hebraicis, supersunt non pauca, quorum erat quidem initium congruenter quibusdam quæ feruntur in Ecclesijs; sic ergo precati sunt Ananias, & Azarias, & Misael, & hymnis laudarunt Dominum usque ad illud, Benedicite omnes qui colitis Dominum Deum Deorum, laudate & confitemini, quoniam in seculum misericordia eius] Hæc autem exemplaria uera esse, & fide digna ibidem asserit dicens [Vide ergo ne imprudentes, & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in ecclesijs, & legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros, assententur autem Hebræis] CYPRIANVS [loquitur scriptura diuina; Stans (inquit) Azarias precatus est, & aperuit os suū, & exomologesim faciebat Deo simul cū sodalibus suis in medio ignis] IDEM [Hanc orationis legem seruauerunt tres pueri in camino ignis inclusi consonantes in prece, & spiritus consensione concordēs, quod

Lib. 2. contra Hieronymum.

Ep. ad Iul. Africanū.

Ep. ad Iul. Africanū.

Ser. quinto de lapsis.

Lib. de Spi-
ritu sancto
cap. 30.

Hom. detri-
bus pueris.

Hom. de
Sufanna.

Hom. 4. ad
pop. Antio-
ch.

Ep. 3. ad Ci-
rcencum.

Lib. 10. de
Trinit.

Ep. 122. ad
Victorianū

Lib. de nat.
boni c. 16.

Sufannæ
historia.

quod declarat scripturæ diuinæ fides, & cum docet quomo-
do orauerint tales, dat exemplū, quod imitari in precibus de-
beamus, ut tales esse possimus, Tunc inquit, illi tres quasi ex
uno ore hymnū canebant, & benedicebant Dominum] **BASILIVS** [Docuerunt autem nos & pueri in Babylonia, etiam
si nemo sit qui suffragetur, tamen per nos ipsos quod ad nos
pertinet facere, qui sanè ex media flamma Deum collauda-
runt, non considerantes multitudinem reprobantium ueri-
tatem, sed seipsis contēti, cum tres essent] **CHRYSOSTOMVS**
horum puerorum verba explanans, eadem tanquam diuina
eloquia recitat [Stans Azarias precatus est, & aperiens os suū
in medio ignis dixit: Benedictus es Domine Patrum nostro-
rum] **IDEM** [Liberati sunt tres uiri de camino ignis ardentis,
affuit Deus eorum, & in ipsa deambulatione laudes dixerunt
Deo.] **IDEM** [Tres in fornacem pueri coniecti sunt, & nec ita
religionis obliti sunt, nec ipsos terruit flamma, sed in cubi-
culo sedentibus, & nihil graue patientibus studiosus igne cir-
cundati sacras illas preces emittebant] **IDEM** [Vnde & om-
nes creaturas aduocabant tam uisibiles quàm inuisibiles, an-
gelosque ac uirtutes, & omnia complexi dicebant: Benedici-
te omnia opera Domini Dominum] **Hilarius** [Quæro an pa-
stas ad fomenta exæstuatæ Babilonicæ fornacis flammæ Is-
raelitæ pueri timuerint] & paucis interiectis [Vincti pueri in
medio ignis sunt, ignem non timent dum incenduntur, flam-
mas non sentiunt dum orant, uiri non possunt dum in igne
sunt] **AVGVSTINVS** [Lege quid illic dicat Azarias, unus ex
tribus, qui aperiens os suum in medio ignis dixit: Benedictus
es Domine Deus patrum nostrorum] **IDEM** [Vnde & in hym-
no triū puerorū etiam lux & tenebræ laudant Deum] **THEO-
DORÉTVS** tandem orationem & hymnum tanquam germa-
nas Danielis particulas agnouit, atque commentarijs explica-
uit; Quorū quidem traditione iam dilucidata ad **SVSANNAE**
historiam cōfirmandam procedamus: Quæ quidem publicè

in

in ecclesia legi consuevit sabbato post Dominicam tertiam
Quadragesimæ, **IGNATIVS** vir Apostolicus & martyr illius
mentionem fecit iniquiens [Denique Daniel sapientissimus
duodecim annorum effectus, spiritu sancto repletus est, & il-
los seniores canitiem uanam habentes, calumniatores, & alie-
næ pulchritudinis appetitores esse manifestauit] **CLEMENS**
ROMANVS [Quòd si Babilonios senes imitati fueritis, qui fal-
so testimonio dicto Susannam morti addixerunt, illorum iu-
dicio, ac pænæ obstricti eritis; quoniam Susannam Dominus
per Danieleman manu iniquorum eripuit, eos uerò qui fan-
guinis illius rei erant, igni adiudicauit; uos autem per ipsum
increpauit dicens, sic fatui filij Israel non iudicantes, neque
quod uerum est cognoscentes, condemnatis filiam Israel? re-
uertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt
contra eam] **IRENEVS** [& audient eas quæ sunt à Daniele
Propheta uoces, semen Canaan & non Iuda, species sedu-
xit te, & concupiscentia euertit cor tuum] **TERTULLIANVS**
[si & Susanna in Iudicio reuelata argumētum uelatæ præstat
possum dicere, & hic uelamen arbitrij fuit, rea uenerat, erube-
scens de infamia sua meritò abscondens decorem, uel quia ti-
mensiam placere] **ORICENES** [Ut autem sunt quidam se-
men Abraham, sic alij existentes semen non sunt semen, dicen-
te Daniele, Semen Chanaan & non Iuda] **Qui** quidem non
solum profert testimonium ex hac historia, sed singulas oppo-
sitiones propulsando, atque fallaces argumentationes di-
luendo, eam ab aduersariorum incurfu diligentissime defen-
dit in epistola, quam ad Iulium Africanum de ea re scripsit,
in cuius fine his uerbis disputationem cōcludit [Hæc à me di-
cta sunt pro defendenda Susannæ historia; atque utinam scri-
pturæ Susannæ encomium celebrare possim, cum in singulis
dictionibus immorando, tum sensa eximia ostendendo, id
quod priuatim aliquis, qui studiosè & abundè meditatus fue-
rit in diuinis, cōponere poterit] **CYPRIANVS** [Nec ætas uos

C eorum

Ep. ad Ma-
gnesianos.

Lib. 2. con-
stit. apost.
cap. 55.

Dan. 25.

Li. 4. aduer-
sus hæreses
cap. 44.
Dan. 13.

Li. de coro-
na militū.

In euang.
Ioā. 10. 20.

Dan. 13.

Ep. ad Iul.
Africanū.

Lib. 1. ep. 8.

eorum nec auctoritas fallat, qui ad duorum presbiterorum ueterem nequitiam respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere & uiolare conati sunt, Sic & hi adulterinis doctrinis Ecclesiae pudicitiam corrumpere, & ueritatem euangelicam uiolare conantur] **CYRILLVS HIEROSOLIMITANVS** [Hic spiritus sapientem efficit animam Danielis, ut iuuenis ipse senum esset Iudex, damnabatur Susanna modestissima tanquam impudica, uindex erat nemo, Quis enim aduersaretur principibus? adducebatur iam in mortem, iam erat in manibus licitorum, ecce adest auxiliator Paracletus Spiritus, qui omnem naturam intelligibilem sanctificat, Age inquit, Daniel puer argue senes de peccatis iuuenilibus, scriptum est enim; Suscitauit Deus spiritum pueri iuueniculi, & ut summam ea comprehendamus, per decretum Danielis temperans illa & innocens seruator] **GREGORIVS NAZIANZENSIS** [Sponsus suum patronum ad defensionem assumit, qui & Susannam mortis periculo liberauit, & Teclam seruauit, illam à seuis presbiteris falso crimine circumuentam, hanc à Tyranno ipsius proco, patreque magis Tyrannico] **CHRISOSTOMI** legitur Homilia integra in Susannae historiam, eamque diuinam esse, & in ecclesijs legi solitam haec uerba non obscure ibi testantur [Diuinæ lectiones, & sancta oracula Dei, quæ insonuerunt auribus uestris, nidū faciant in mentibus nostris, non uolent & traseant, aut sedent, & descendant, nam si passer inuenit sibi domum, aut tur tur nidum, ubi ponat pullos suos, quanto magis passer uerbum Dei? Audiuius de Susanna lectionem &c.] **HILLARIVS** [Sed & Daniel presbiteros condemnans ait non semen Abraham, sed semen Canaam & nō Iuda] **AMBROSIVS** [Sancta quoque Susanna denunciato falsi testimonij terrore, cum hinc se uideret urgeri periculo, inde opprobrium, maluit honesta morte uitare opprobrium, quam studio salutis turpē uitam subire, ac sustinere] Qui recitata etiam Susannae historia

Catech. 16.

Dan. 13.

In laudem
Cypriani.Hom. de
Susanna.In ps. 52.
Dan. 13.
Lib. off. 3.
cap. 14.Li. 3. de spi.
ritu sancto
cap. 7.

ria, illam tanquā sacrosanctam ueneratur dicens [Ac ne quis fortè æstimet, quia dicēdo scriptura; Excitauit Deus spiritum sanctum pueri adolescentis, spiritum in eo putet fuisse spiritum hominis non spiritum sanctum, legat in posterioribus, & inueniet quia spiritum accepit Daniel, & ideo prophetauit] **RUFFINVS** etiam apertè testatur hanc historiam in ecclesijs legi solitam fuisse, ut propterea Hieronymum acriter ipse reprehendat, quod illam à Danielis uolumine (ut sibi quidem uidebatur) tanquam adulterinam seiunxerit, dicit enim: [Omnis illa historia de Susanna, quæ castitatis exemplum præbebat ecclesijs Dei, ab ipso abscissa est, & abiecta & prohibita] **CYRILLVS** tandem **ALEXANDRINVS** eidem historiae illustre dat testimonium dicens [Sed tempus est nos aduersus improbos presbyteros uti sanctæ Susannæ uocibus, quas illi quidem repudiantes, historiam Susannæ de catalogo diuinorum uoluminum defecarunt, nos autem & suscipimus, & opportunè contra ipsos proferimus dicentes, angustie mihi sunt undique] Sed quoniam commentaria illa in leuiticum à multis Origeni tribuuntur, huius historiae, ut uidimus, acerrimo defensori, aliud proferemus testimonium ex certis **CYRILLI** Commentarijs sumptum, ubi ait [Nonne qui castam Susannā in adulterio deprehensam in iudicio contestati sunt, concupiscentia excæcati contra ueritatem tulerunt testimoniū?] Cuius historiae traditione patefacta, reliquum est modo ut eas quæ supersunt, Danielis controuersas particulas similiter exploremus, sunt autem **BELIS & DRACONIS** historiae una cum **ABACUCH** prandio, quas simul & indiscriminatim dilucidabimus, illustri in primis **IRENEI** testimonio utentes, qui ait [Quem & Daniel Propheta, cum dixisset ei Cyrus Rex Persarum, Quare non adoras Bel? annunciauit dicens, quoniam non colo Idola manu facta, sed uiuum Deum, qui constituit Coelum, & terram, & habet omnis carnis dominationem] **ANACLETVS** verò primus inquit [& sicut per Ange-

In Leuit.
lib. 1.

Euāg. 10.

Belis & Draconis historia una cū Abacuch prandio.

Li. 4. aduersus hæret. cap. 11.

Dan. 14.

Epist. 1.

Li. de ieiun.
aduersus
pſichicos.

Lib. de ido-
latria.

Ep. 56. de
exho. mar.

Dan. 14.
Serm. 6. de
oratione
dominica.

De recta vi-
te ratione.
Catech. 14.

Lib. Cathe-
merin con
hymno
post cibū.
Ep. ad Iul.
Africanū.

lum tuum Abacuch Prophetam cum prandio in lacum leonum ad Danielelem uatem misit] Origenes præterea pluribus verbis asserit testaturque ad Africanum scribens, totam hanc particulam esse scripturam sacram, & græco sermone cōscriptam in tota ecclesia custodiri. TERTULLIANVS autem totam breuiter recitans ait [Daniel Deo miserabilis, leonibus in lacu fuerat horribilis, ubi quidem illi sex diebus ieiunanti prædium Angelus procurauit] IDEM [Statimque apparuisset Danielelem Idolis non deseruisse, nec Belē, nec Draconem colere, quod multò postea apparuit] CYPRIANVS etiam clarius totam historiam narrat, atq; ipsius scripturæ uerba recitat, cū inquit [Sic & Daniel cū compelleretur adorare Idolum Bel, quē tunc populus & Rex colebat, in asserendū Dei sui honorē plena fidei libertate prorupit] dicens. Nihil ego colo, nisi Dñm Deum meum, qui condidit Coelum, & terram] IDEM reliquā historiæ partem complectitur dicens [Sic Danieli in leonum lacu iussu Regis incluso prandiū diuinitus procuratur, & inter feras esurientes, & parcentes homo Dei pascitur] EPHEM SYRVS [Coniecerunt impij Danielelem Prophetam in lacum leonum, ut ab illis deuoraretur, ignorantes id se in propriam perniciem machinari, Abacuch prandium misit seruo suo, feras autem uidentes Prophetam prostratæ adorabant eum] PRUDENTIUS uerò totā historiā fufe recitans inter cetera ait. [Iustus nuntius aduolare terris, Qui pastum famulo daret probato, Raptim defilit obsequente mundo, Cernit fortè procul dapes inemptas, Quas mentoribus Abacuc Prophetæ, Agresti bonus exhibebat arte, Huius cesarie manu prehensa, Plenis sicut erat grauem canistris Suspensum rapit, & uehit per auras. Tum raptus Simul ipse prandiumque, Sensim labitur in lacum leonū. Et quas tunc epulas gerebat offert.] CYRILLVS HIERSOLIMITANVS [Quando enim tanquam impossibili ascensionis saluatoris contradicunt, reduc in memoriam quæ de Abacuch translatione dicta sunt, si enim Abacuch trans-

latus

latus est coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus de monte oliuarum per nubem ascēdens propria uirtute ascendere in coelum potentior erat?] BASILLIUS [Vides quod Bel extrinsecus quidem habebat æs, intrinsecus uerò lutum sub fulgente ære occultum] IDEM [Leones quidem præter naturam ieiunabant, uerum huius nutritor Abacuch per aerem ferebatur, Angelo hominem unā cū obsonijs portante, & ut ne fame præmeretur iustus super tantum terræ ac maris spatium in parua temporis particula Propheta delatus est, quantum à Iudæa ad Babilonem usque extenditur.] HILARIUS [Daniel Prophetæ prandio alendus leonum lacum non timet] AMBROSIVS [Quid de puero Daniele loquar, qui tā sapiens erat, ut inter leones fames exasperatos nulla bestialis seuitiæ formidine frangeretur; ita alienus à metu, ut posset epulari, nec uereretur ne ad pastum exemplo sui feras prouocaret] IDEM [Daniel sanctus cum inter leones staret intrepidus, & prandium ei raptus ab Angelo Propheta deferret, non utiq; beatus quia alienum prandebat prandium, sed quia meritis suis in pastaleonum ora claudebat] Præter hæc uerò singulorum Patrum grauissima testimonia totius quoque ecclesiæ consuetudine huius postremæ narrationis Traditio cōfirmatur, cum hæc soleant feria tertia post quintam Dominicam quadragesimæ in ecclesijs publice legi. Quare abunde (ni fallor) demonstratum est omnes Danielis partes, illas quas explorandas proposueramus, ueras & germanas illius esse, atque pro diuinis & sacrosanctis ab ecclesia Dei semper habitas fuisse.

Hom. habi-
ta i lacris.
Dan. 14.

Hom. in fa-
me, & sicci-
tate.
Dan. 13.

Lib. 10. de
Trinit.
Lib. 2. offi.
cap. 4.

Li. 2. de Ia-
cob. c. 9.

Machabæorum primi & secundi Traditio dilucidatur. Cap. XI.



INTER veteris autem testamenti minus notæ traditionis volumina postremo loco numerabantur Machabæorum libri duo, qui quidem in ecclesijs legi consueuerunt sabbato post primam dominicam Quadragesimæ, atque in missis pro defunctis ex secundo libro recitatur historia Iudæ Machabæi, donaria pro peccatis mortuorum offerentis, fratres uerò Machabæos ob patrias leges, piasque traditiones acerbè necatos, non solum laudat, admiratur, & illorum historiam amplectens ad imitandum proponit ecclesiæ, sed singulari etiam quodam privilegio, ut inquit Bernardus, solis illis, ex iustis antiquis omnibus, diem festum anniuersarium consecrauit. ORIGENES autem ex his libris testimonia sumens inquit [Sed quid agēt, quia inuenimus & in lege martyres multos? legant Machabæorum libros, ubi cum omni instantia beata mater cum septem filijs martyrium suscepit] IDEM [Scriptum nanq; est in Machabæorum libris ita, Hic est Ieremias Propheta Dei, qui semper orat pro populo] CYPRIANVS [Cuius præcepti & uigoris memor Mathathias interfecit eum, qui ad aras sacrificaturus accesserat] IDEM [Quid uerò in Machabæis septem fratres natalium pariter & uirtutum forte consimiles?] IBIDEM [Rex Antiochus infestus, imò in Antiocho Antichristus expressus, ora martyrum gloriosa, & spiritu confessionis inuicta, contagio suillæ carnis maculare quærebat] IBIDEM [Nec Eleazarus tacendus est, qui cum sibi à ministris Regis offerretur facultas, ut accepta carne, qua liceret sibi uesci, ad circumueniendum Regem simularet se edere, quæ de sacrificijs atque illicitis cibus ingerebantur, consentire ad hanc fallaciam noluit dicens, nec ætati suæ, nec nobilitati suæ conuenire id fingere, quo cæteri scandalizarentur] E V S E-

B I V S

BIVS CESARIENSIS [sic certè de Ieremia traditum fuisse Iudæi contendunt, & Machabæorum historia retulit uisum ipsum fuisse orare pro populo] GREGORIUS uerò NAZIANZENSIS septem fratrum, & Machabæorum historiam recitat, explicatque, & illorum diem festum ab ecclesia quotannis agi testatur. THEOPHILVS quoque ALEXANDRINVS eorundem historiam breuiter complectitur, atque illam ubique in ecclesia decantatam testatur. Ambrosius præterea tum Iudæ Machabæi & fratrum illustra & gloriosa facta recenset, tum Eleazaris historiam, ac septem fratrum & martyrum oppetitas mortes recitat, quos etiam, (ut decet) in cœlum laudibus extollit. Quæ quidem omnia ex his duobus Machabæorum libris prolata esse manifeste deprehenduntur. Quid uerò AVGVSTINVS? nonne is tum singularis doctrinæ, tum acerrimi iudicij uir, sæpius ecclesiæ traditionem hanc peruulgat, hos libros suscipit, ueneratur, ac uelut diuinos & sacros agnoscit? [Hanc quidem scripturam (inquit) quæ appellatur Machabæorum non habent Iudæi sicut legem, prophetas, & psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tãquam testibus suis, dicēs; Oportebat impleri omnia quæ scripta sunt in lege, & prophetis & psalmis de me, sed recepta est ab ecclesia] IDEM [Machabæorum libri, quos non Iudæi sed ecclesia pro canonicis habet] IDEM horum librorum testimonio Dogma illud confirmat de mortuorum suffragijs inquit [In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium] Quid plura? enumerationem canonicorum librorum IDEM ipse percensens, huius etiam uoluminis, ut sacri, mentionem fecit, & inter diuina, & canonica illum expresse numerat, CASSIODORVS uerò eiusdem historię secundum librum ueluti sacrum agnoscit, atque ipsius etiam Ambrosij testimonium producit inquit [Nam & sanctus Ambrosius in libro Patriarcharum, ubi de persona Efdra ipse loquitur, secundum librum Machabæorum exempli

Li. 2. euāg. præpar.

Oratiō de Maccab.

Li. 4. Pasch.

Lib. 1. Off. c. 40. 41.

Lib. 2. de Iacob. c. 10. 11. 12.

Lib. 2. contra ep. Gaud. c. 13

Lib. 18. de ci. Dei. c. 36

Lib. de corrupto mortuis. c. 1. 2. Macc. 12.

Li. 1. de Diuinis lect. cap. 6.

2. Macc. 12.

2. Macc. 7.

In epist ad Rom. c. 5.

Hom. 2. in cant. cant.

Lib. de exhortat.

Mart. c. 4.

1. Macc. 2.

Lib. de exhort.

Mart. c. 11.

2. Macc. 7.

2. Macc.

Li. 2. de do-
ctr. chr. c. 8
Ser. de de-
functis.

2. Mach. 12

In epist. ad
Heb.
Heb. 11.
2. Macc. 7.

causa commemorat, cuius maximam partem ad demonstra-
dam tolerantiam eloquentiæ suæ dulcissimo liquore patefe-
cit] Quam scripturam IOANNES DAMASCENVS eo dem no-
mine suscipit ac ueneratur dicens [Scitis enim quid dicat di-
uina scriptura, quomodo Iudas ille Machabæus in ciuitate
sion Regis magni, ut cognouit populum sibi subditum à pa-
lestinis hostibus occisum, & scrutatione facta inuēta idola in
sinibus suorum, statim pro vnoquoq; eorum ad Dominum,
qui ad miserandū facilis est & paratus, munera propitiatoria
attulit; sane ob summam religionem, fraternamque charita-
tem in hoc facinore ut in omnibus alijs à diuinissima scriptu-
ra & magnificus & admirabilis habetur] THEODORETVS
verò putat Paulum Apostolum dicentem [Alij dissenti sunt
non suscipientes redemptionem] Machabæorum martyrum
cedem in his libris narratam intellexisse; illis enim ipsa Apo-
stoli uerba optime congruunt. His itaq; testimonijs satis pro-
batam putamus horum librorum traditionem; ut propterea
ad noui testamenti uolumina sermonem nostrum transfer-
re liberè iam possimus.

Euangelij particularum aliquot Traditio ex-
plicatur. Cap. XII.

Marci cap.
ultimum.
Mach ult.
Quest. 3. ad
Heulbiam.

In Matth.
cap. 16.

Lib. 8. con-
stit. apoff.
cap. 1.



INTER euangelij quidem partes minus notæ tradi-
tionis apud quosdam diximus esse MARCI CA-
PUT VLTIMUM, non quidem integrum, sed ab il-
lis verbis [Surgens autem Iesus mane prima fab-
bati] usq; in finem. De quo dubitatum olim fuisse HIERONY-
MVS & EVTHYMIVS testantur; legitur autem publice in eccle-
sij caput istud solennibus festis Resurrectionis, & Ascensionis
Domini, & in ueteri vulgata latina editione habetur, atq; CLE-
MENS ROMANVS ex eo testimonium fumens inquit [Merito
tobis simul omnibus ueluti perfectis de charismatibus,
quæ

Marc. ult.

Lib. 3. ad-
uer. hæc.
cap. 11.
Marc. ult.

Epist. 1.
Marc. ult.

In synopti.

Li. 3. de cõ-
sen. euang.
cap. 24.
In euang.
hom. 21.
& 29,
Comm. in
Mar. c. 16.

Sent. 37.

Marc ult.
Luc. c. 22.
Luc. 22.

Lib. 10. de
Trinit.
Li. 2. aduer-
sus Pelag.

quæ ab ipso per spiritum dantur, dicit, Signa eos, qui credide-
rint hæc sequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, linguis
loquentur nouis, serpentes tollent, siquid mortiferum bibent
non eis nocebit, super ægros manus imponent, & bene ha-
bebunt] atque IRENEVS etiam de illo capite mentionem fa-
cit, & integrum Marco ascribit dicens [In fine autem euange-
lij ait Marcus, & quidem Dominus Iesus postquam locutus
est eis, receptus est in coelos, & sedet ad dexteram Dei] ALEX-
XANDER PRIMVS [Ipse enim Saluator tribuendo nobis exē-
plum, discipulis suis ait; In nomine meo Dæmonia eijcite, in-
firmos curate, ægros sanate, leprosos mundate &c. super in-
firmos etiam manus imponite, & bene habebunt] ATHANA-
SIVS summam huius euangelij complectens, postremi quo-
que capitis sensum breuiter explicauit, & totius veram & ger-
manam partem hanc esse professus est. HIERONYMVS uerò
hoc caput transtulit, & exposuit. AVGVSTINVS cum cæteris
euangelistarum dictis totum illud congruere demonstrat, vt
nulla omnino sit diuini uerbi discrepantia. GREGORIUS PRI-
MVS totum hoc caput tanquam diuinam scripturam duabus
homelijs diligentissime exposuit. Similiter & BEDA, qui illud
Marci germanum agnoscens inquit [Marcus ad illud usque
tempus narrando peruenit, quo Apostoli idem euangelij
verbum totum prædicâdo disseminauere per orbem] Quod
quidem in postrema huius capitis parte narratur; quam deni-
que CONCILIVM CARTHAGINENSE Cyprianitempore ha-
bitum, agnoscit, atque illius testimonium profert dicens [Ha-
beamus utique regulam ueritatis, quam Dominus præcepto
Diuino mandauit Apostolis dicens, Ite in nomine meo ma-
num imponite, Dæmonia expellite.] Nec minus clara & apud
Patres peruulgata traditio est eius HISTORIAE, qua Christū
sanguineo sudore manasse, & ab Angelo confirmatum esse
narratur, quamuis olim teste HILARIO atque HIERONYMO
nonnulli de ipsa dubitauerint, illam tamen uetus latina ædi-
tio

tio habet, & ecclesia catholica agnoscit ac suscipit. **DIONYSIVS** VERÒ **AREOPAGITA** inquit [Prætermitto enim dicere, vt scienti, ea quæ sacrosanctis nostris institutis tradita sunt de Angelo, qui Iesum confirmavit] **IRENEVS** non multo post illum de Christo scribit [Nec sudasset globos sanguinis, nec dixisset quòd tristis est anima mea, nec percusso latere exisset sanguis & aqua; hæc enim omnia signa carnis, quæ à terra sumpta est] **ATHANASIVS** deinde historiam hanc tam ueram & sacrosanctam putat, vt de illa dubitare nephas omnino existimans dixerit [Si quis negauerit verum hominem, quem filius Dei assumpsit, sanguinem sudasse, Anathema illi] **GREGORIUS NAZIANZENSIS** [Superat iam de mortis pauore, & sanguineo sudore, ac precatione, ac si quid aliud eiusdem est generis pertractare, nisi cui vis perspicuum esset huiusmodi nomina perpetenti humanitati tribuenda esse, non autem immutabili illi naturæ, atque omni dolore, atque cruciatu sublimiori] **EPIPHANIUS** [Fleuit etiam Christus, velut in Euangelio secundum Lucam habetur in exemplaribus incorruptis, & utitur eo testimonio sanctus Ireneus in opere contra hæreses, aduersus eos, qui Christum in apparentia apparuisse dicunt, Verum orthodoxi quidam sustulerunt verbum timentes, & non intelligentes ipsius finem, ac vim & robur; constitutus enim Christus in anxietate sudauit, & fuit sudor ipsius velut guttæ sanguinis, & conspectus est Angelus confortans ipsum] **CASSIANVS** [Quem statum Dominus quoque inter illarum supplicationum formulas, quas uel solus in montem secedens, uel tacite sudasse describitur, similiter figurauit. Cum in orationis agonia constitutus, etiam guttas sanguinis inimitabili profudit exemplo.] **AVGVSTINVS** tandem singula illa euangelij uerba recitat, & tanquam diuina eloquia suscipit, ac ueneratur. Reliquum itaque iam solùm erit, ut **DE MULIERE ADULTERA** à Ioanne conscriptæ **HISTORIÆ** traditionem dilucidemus; quam quidem narrationem nouimus

Li. 3. aduersus hæret. cap. 32.

Lib. 6. de beat. filij Dei.

Oratiõ 4. de Theol.

In Ancora 10.

Collat. 9. cap. 24.

Lib. 3. de consueu. euang. 4.

Historiæ muliere adultera. Ioan. 8.

uimus in ecclesia ubique legi solitam sabbato ante quartam Dominicam Quadragesimæ, & tanquam Dei uerbum Christiano Populo diligenter in concionibus explicari; **CLEMENS** VERÒ **ROMANVS** eam breuiter recitans inquit: [Quandam aliam peccatricem statuerunt seniores coram eo, & reiecto in eum iudicio exierunt, cognitor uerò cordium Dominus, cum quæfisset ab ea, num seniores eam condemnassent, illaque negasset, dixit mulieri, uade, neq; ego te condemno] **AMMONIVS ALEXANDRINVS** euangeliorum monotasserõ cõscribens, hanc narrationem complexus est; similiter & **ATHANASIVS** Ioannis euangelium summatim narrans eandem historiam breuiter retulit. Quam etiam fusius recitat ac totam explicat & ueneratur **AMBROSIVS** ad studium scribens. **HIERONYMVS** uerò ita testatur [In euangelio secundum Ioannem in multis & Græcis & latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum] **AVGVSTINVS** Ioannis octauum caput explicans, hanc quoque historiam ut euangelicam, & à Ioanne conscriptam accurate explicauit, **CYRILLVS** quoque **ALEXANDRINVS** in suis commentarijs in Ioannem non secus ac cæteras eius euangelij partes hanc totam narrationem explicauit, nec ut adulterinam repudiauit; quam nos pariter cum eo cæterisque antiquis Patribus suscipiamus, & ab Apostolis traditam pro certo habeamus, singulis autem euangeliorum controuersis partibus iam confirmatis, ad Apostolorum Actuum explorandam Traditionem nos conuertamus.

Li. 2. de cõf. Tit. apost. c. 20.

In synopti. Ep. 58. lib. 2. cont. Pelag.

Traç. 33.

lib. 5. in Io.

Actuum



MIRABILITER fortasse aliquis, nos inter minus perspectæ traditionis libros Apostolorum Acta à Luca conscripta numerasse, quod à nemine hucusque factum legatur, cum eorum traditio à nullo auctore in dubium reuocetur. Quod nos quoque animaduertentes, fatemur equidem diu suspenso ancipitique animo in deliberando fuisse, tandem uero Chrysoctomi grauisima auctoritate ducti, in hanc sententiam omni abiecta cunctatione discessimus: Quis enim notum & perspectum esse illud affirmare audeat, quod sanctissimus & doctissimus vir ignotum & ambiguum prædicat? ego certe hanc temeritatis notam uitare, & Chrysoctomo credere, quam recentioribus scriptoribus consentire malo. Dicit itaque antiquissimus hic auctor [Complures sunt, quibus hic liber ad eum ignotus est, ut non solum ambigant de auctore, à quo conscriptus sit, verum ne id quidem cognitum habeant, an omnino extet hæc rerum ab Apostolis gestarum historia; atque hac potissimum de causa coactus sum negocium hoc suscipere, ut ignorantes allicerem, neque sinerem tam insignem thesaurum in tenebris abditum latere] Quamuis TERTULLIANVS testetur hunc librum ab aliquibus olim fuisse repudiatum cum ait [Probantibus actis Apostolorum descensum spiritus sancti, quam scripturam qui non recipiunt nec spiritum sanctum possunt agnoscere discipulis missum] & paucis interiectis [Possumus & hic Acta Apostolorum repudiantibus dicere] Quare operæ pretium erit certam ac perspectam magis facere hanc traditionem, præsertim uero usque ad ipsius Chrysoctomi tempora, cuius posteritatem de hac traditione nunquam dubitasse pro certo habemus. Proferemus igitur testimonia ex solis Patribus illo ætate superioribus, nec quidem

In act. apo.
hom. 1.

Lib. de præ-
scriptioni.
li. 2. conf.

quidem omnibus, ne in traditione tot consequentium seculorum ætatibus iam confirmata & perspecta nimis longi uideamur. CLEMENS igitur ROMANVS de scripturis sacris in ecclesia legendis sermonem habens nomine quidem Apostolorum inquit [Post hæc acta nostra, & epistolæ Pauli cooperato- ris nostri, quas ad ecclesias misit secundum institutionem spiritus sancti] IGNATIUS uir etiam Apostolicus ad Ephesios scribens ex hoc libro testimonium his uerbis profert [Dominus autem noster & Deus Iesus Christus, qui est filius Dei uiui, primo uidelicet fecit, & sic docuit sicut testatur Lucas] EVARISTVS PRIMVS [Quod si ita est, quomammodo idem filius ad dexteram Patris astans à Beato Stephano dicitur conspici?] ELEFTHERIUS PRIMVS, [& in actibus Apostolorum de mundis eccis legitur ita, Postera autem die iter tribus faciētibus domesticis cum Petro, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora ut oraret circa horam sextam] IRENEVS [Quem (spiritum sanctum scilicet) & descendisse Lucas ait post ascensum Domini super discipulos in Pentecoste] VERBANVS PRIMVS [sicut in actibus legitur Apostolorum, Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una] FABIANVS PRIMVS [Porrò legitur in Actibus Apostolorum, Erat eo tempore inter fideles cor unum, & anima una] CLEMENS ALEXANDRINVS [Quin etiam Petrus in actibus, in ueritate comprehendo, inquit, quod Dominus non est acceptor personarum, sed in omni gente qui timet ipsum & operatur iustitiam, est ei acceptus] IDEM [Appositissimè ergo & efficacissime ad docendum Paulus in Actis Apostolorum, Deus, inquit, qui fecit mundum & omnia quæ in eo sunt, is cum sit Dominus coeli & terre, non in manu factis templis habitat, neque ab humanis manibus colitur aliquo indigens, cum ipse det omnibus spiritum, & uitam, & omnia] TERTULLIANVS [Probantibus actis Apostolorum descensum Spiritus sancti, quam scripturam qui non recipiunt, nec Spiritum sanctum

l. 2. conf.
apo. c. 61.

Ep. ad Eph.
Act. 1.

Epist. 1.
Act. 7.
Ep. ad Gal-
li. prouin-
cias.

Act. 10.
li. 3. aduer-
sus hæret.
cap. 19.
Act. 2.

Ep. ad oēs
episcopos.
Act. 4.
Epist. 2.
Act. 4.

l. 6. Strom.
Act. 10.

l. 5. Strom.
Act. 17.

l. de preser.
In Matth.
tract. 30.
Act. 1.

ctum possunt agnoscere discentibus missum] ORIGENS [Ad-
huc autem magis intelliges de qua loquitur textus accipiens
de Actuum uolumine, quod taliter habet; Et cum hæc dixisset,
uidentibus illis eleuatus, est & nubes suscepit eum ab oculis
eorum] CYPRIANVS [Quod postea secundum diuina magisteria
obseruatur in Actis Apostolorum, quando de ordinando in locum
Iudæ episcopo Petrus ad Plebem loquitur. Surrexit inquit Petrus
in medio discentium, fuit autem turba in uno &c.] Idem [Probat
scriptura diuina, quæ dicit; Turba autem eorum qui crediderunt,
anima & mente una agebant, & iterum; Et erant perseuerantes
omnes vnanimis in oratione cū mulieribus & Maria, quæ fuit mater
Iesu & fratribus eius]

Epist. 68. ad
Clerum &
Plebem in
spania con-
sisten.
Act. 1.
De unitate
ecclesiæ.
Act. 4.

Catech. 4.

CYRILLVS HIEROSOLIMITANVS in enumeratione diuinarum
scripturarū huius quoque libri mentionem faciens dicit [Suscipe
autē & actus duodecim Apostolorum] Quam etiam

In synopsi
sacre scrip.
In psal. 2.
Act. 13.

ATHANASIVS in Synopsi sacre scripturæ inter diuina uolumina
numerat. Atque Hilarius testimonium proferens ait [Nanque in libro
Actuum Apostolorum ita dictum est, Nosque uobis euangelizamus
eam quæ ad Patres facta est re promissio, hanc Deus expleuit
filijs nostris suscitans Dominum nostrum Iesum] Quod si placet
etiam ex Chrysostomo equalibus & cœuis patribus testimonia
audire, trium maximè illustriū sententias proferemus, inter
quos GREGORIUS NAZIANZENSIS sacrorum librorum catalogum
scribens dicit. [Post euangelia autem deinceps sequuntur
Apostolorum Acta] BASILIVS [Si enim Beati Petri uoci in
Actibus Apostolorum conscriptæ innititur, ubi dicit, sciat tota
domus Israel, quod Dominum ipsum & Christum fecit Deus
hunc Iesum quē uos crucifixistis] GREGORIUS NISSENSIS [Quem
admodū Paulus ad Athenienses ait; Cum tēpora ignorantie
Deus conuidentibus oculis dissimulasset, ac tolerauisset,
nouissimis temporibus aduenit, cum non esset qui intelligeret,
& exquireret Deum] Si tādē ipsiusmet AVCTORIS testimonium

l. carminū.
l. 2. contra
Eunomiū.
Act. 2.

De Christi
hauitate.
Act. 17.
Act. 1.

nium desideras, uel saltem non spernis, is euangelistam esse
aperte se profitetur dicens [Priorem quidem librum feci de
omnibus o Theophile, quæ capit Iesus facere & docere usque
ad eum diem, quo (cum Apostolis præcepisset per Spiritum
sanctum quos elegerat) assumptus est] Quare diuini uerbi
custos ecclesia hunc librum semper amplexa est, & frequenter
publica lectione uenerata, cuius Traditionem breuiter explicare
ob sanctissimi uiri reuerentiam non recusauimus, id uerò si
minus necessarium uel utile lectori fortasse uidebitur, oculis
& auribus ipse parcat, nostrum autem redundans obsequendi
studium nemini obfuturum, quæso, non reprehendat.

Act. 1.

Pauli Epistolæ ad Hebræos Traditio Explicatur. Cap. XIII.



Or habet traditio hæc aduersarios, & obrectatores, qui illam
uariè oppugnare ac labefactare entuntur, ut digna profecto sit,
in qua dilucidanda neruos industriæ nostræ contendamus, hostibusque
opponamus non paruam militum manum, Sed Ducum & Principum
cohortem, virtute & copia præstantem, operæ igitur & auribus
non parcamus in Patrum grauissimis testimonijs proferendis,
quorum pondere & numero aduersarios omnes opprimamus.
ANACLETVS itaque PRIMVS, uir Apostolicus, hanc epistolam
Pauli esse fatetur dicens [Paulo attestante Apostolo, Cum aut
(inquit) modice minus ab Angelis minoratum uideamus Iesum,
propter passionem mortis gloria & honore coronatum. Et infra,
Propter quam causam non confunditur fratres eos uocare dicens,
Annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te]
HILGINVS PRIMVS [Et Paul. ad Hebr. In eo enim in quo passus
est ipse, & tentatus est, potens est & eis qui tentantur auxiliari]

Epist. 2.

Heb. 2.

Epi. 1. ad
Christifideles.
Heb. 2.

CLE-

CLEMENS ALEXANDRINVS referente Eusebio Cefariense apertè asserit Paulum huius Epistolæ auctorem esse, inquit enim EVSEBIVS [Clemens Alexādrinus in libris. *ὑποτυπώσεων*. Epistolam ad Hebræos scriptam Pauli esse affirmat, & hebraico sermone ad Hebræos ab eo editam] ORIGENES [Videamus tamen quomodo hæc, quæ dicimus, diuinæ scripturæ auctoritate muniantur, ait Apostolus Unigenitum filium imaginem esse Dei inuisibilis, & primogenitum eum totius creaturæ; ad Hebræos uerò scribens dicit de eo, quia sit splendor gloriæ, & figura expressa substantiæ eius [IDEM] Sed est verisimile quendam qui premebatur ab ea quæ in his est demonstratione, usum esse consilio eorum, qui epistolam abrogent, tanquam quæ non sit Pauli, aduersus quem alijs seorsum utimur rationibus ad probandum Pauli esse epistolam] loquebatur autem de hac ad Hebræos epistola, de qua etiam sermonem habens idem ORIGENES referente Eusebio Cefariense suam palàm profert sententiam [Proinde si quæ ecclesia istam habeat epistolam, eam ipsa approbet ut Pauli, idque hac ratione persuasa, non enim temerè ueteres eam Pauli esse traderunt] Ex quibus verbis habemus Origenis tum sententiam, quod maius est, antiquissimæ traditionis testimonium. CYRILLVS HIEROSOLIMITANVS [Miratus sum certe sancti spiritus dispensationem, quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem, antea sui persecutoris, quattuordecim esse concessit] Inter, quas necesse est numerari epistolam ad Hebræos, sine illa enim tredecim profecto sunt Pauli epistolæ: Quòd si eiusdem clarius testimonium desideras, audi illum nominatim hanc Epistolā Paulo inscribentem [In epistola autem ad Hebræos Paulus Apostolus dicit; Purgationem peccatorum nostrorum faciens, sedet ad dexteram magnificentię in excelsis; & rursus, Ad quem Angelorum unquam dixit; Sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum] ATHANASIVS [In

Lib. 5. hist. eccl. c. 11.

Li. 1. perierichon.

Heb. 1. Ep. ad Iul. Africanū.

Lib. 6. hist. eccl. c. 19.

Catech. 10.

[In epistola ad Hebræos ita Apostolus loquitur. Tanto præstantior Angelis factus, quanto præstantius nomen præ illis sortitus est.] & paulo post [Vnde fratres sancti uocationis supercœlestis participes animaduertite Apostolum & Pontificem confessionis nostræ Iesum fidelem existere ei, qui ipsum creauit] EPHRENSYRVS de quo scribit Hieronymus [Ad tantam uenit claritudinem, ut post lectionem scripturarum publicè in quibusdam ecclesijs eius scripta recitentur] Ex hac epistola, Pauli nomine, testimonium sumit dicens [Per patientiam enim, ut inquit Apostolus, ad propositum nobis certamen currimus] HILARIVS [Apostolum dixisse meminimus, Participes Christi facti sumus] DYDIMVS [Vnde & Apostolus in epistola, quam ad Hebræos scripsit, alium esse ab omnibus Angelis demonstrat dicens, Cui enim Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?] BASILIVS [De quo Apostolus dicit, Accessistis ad montem & ciuitatem Dei uiuentis, cœlestem Hierusalem, in qua est conuentus Angelorum, & Ecclesia primogenitorū descriptorum in cœlis] GREGORIUS NAZIANZENSIS, [Atque adeò habenda Paulo fides, postremum terremotum nihil aliud esse affirmanti, quàm secundam Christi præsentiam, mundique huius immutationem, atq; in tranquillum statum, & ab omni motu, & agitatione liberam translationem] GREGORIUS NISSENSIS [Sed putat aliquis fortasse de hypostasi redditam rationem non congruere, neque cõuenire sententiæ Apostoli scripturæ, ubi de Domino dicit, Splendor gloriæ eius, & figura hypostaseos, id est substantiæ] IDEM [idcirco Paulus quoque filium splendorem gloriæ nominat] & paucis interiectis [Apostolus filium dicit effigiem esse patris substantiæ] Quod si adhuc magis apertum EIVSDEM testimonium requiris, ecce proferimus [Quapropter etiam Paulus Hebræis scribens dicebat: Non enim in manu facta sancta introiuit Christus ad similitudinem facta uero-

Oratiōe 2. cont. Aria. Heb. 1. Heb. 3.

Lib. de scrip. pt. eccl.

De Impatentia. Heb. 12. In psal. 118. Heb. 3. Lib. de Spiritu sancto Heb. 1.

Hom. in psal. 14. Heb. 12. In laudem Athanasii. Heb. 12.

De differentia & hypostasi Heb. 1.

li. de fide Heb. 1.

De resurrectione Christi ora. 2. Heb. 8.

D rum]

Pat'hali. 1.
Heb. 13.

rum] THEOPHILVS ALEXANDRINVS [Paulo nobiscum eadē
prædicante, Iesus Christus heri & hodie, ipse & in æternum]
CHRYSOSTOMVS uerò non solum frequentissime ex hac epi-
stola testimonia profert, sed illam quoque præclaris commen-
tarijs explanauit, in quibus ipsam Paulo Apostolo inscriptam
agnouit. Ambrosius quoque Apostolo illam tribuit dicens
[Audi Apostolum dicentem, sed appropinquaſtis ſion moni-
ti & ciuitati Dei uiui Hieruſalem, quæ in cœlo eſt; & decem
millibus lætantium Angelorum & eccleſiam primitiarum,
quæ ſcripta ſunt in Cœlo] HIERONYMVS [Vas electionis lo-
quitur ad Hebræos: Fide qui uocatur Abrahā obediuit egre-
di in locum, quem accepturus erat in poſſeſſionem, & egreſ-
ſus eſt neſciens quò ir et, fide peregrinatus eſt in terra promiſ-
ſionis quaſi in aliena, in tabernaculis habitans cum Iſaac & Ia-
cob coheredibus eiufdem promiſſionis; expectauit enim fun-
damentum habètem ciuitatem, cuius artifex & creator deus
eſt] & nonnullis interiectis [Illud noſtris dicendum eſt, hanc
epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab eccleſijs
orientis, ſed ab omnibus retrò eccleſijs Græci ſermonis ſcri-
ptoribus quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi] IDEM teſtatur Hære-
ticos auctores fuiſſe huius epiſtolæ repudiandæ, cum huius fa-
cti nullam probabilem cauſam attuliſſet præter hanc, quòd
eorum falſis dogmatibus illa aduerſaretur, inquit igitur [Hæ-
retici quidquid contrariū ſuo dogmati viderunt, eraſerunt, nō
nullas integras epiſtolas repudiandas crediderunt, ad Timo-
theum videlicet utramque, ad Hebræos, & ad Titum, quam
nunc conamur exponere; et ſi quidem redderent cauſas, cur
eas Apoſtoli non putarent, tentaremus aliquid reſpōdere, &
forſan ſatisfacere lectori; nūc autem cum hæretica auctori-
tate pronuncient, & dicāt, illa epiſtola Pauli eſt, hæc non eſt, ea
auctoriſtate refelli ſe pro ueritate intelligant, qua ipſi no-
erubescunt falſa ſimulare] RVFFINVS [& iterum ad Hebræos ſcri-
bens Apoſtolus dicit, quia per ipſum ſecula inſtituit & ipſum

con-

Lib. 2. de
Cain, & A-
bel. c. 2.
Heb. 12.

De terra p
miſſionis,
Heb. 11.

In prog. in
ep. ad Titū

In ſym. ap.
b. 1.

cōſtituit uniuerſorum hæredem] ESAIAS ABBAS [Rapinam
bonorū noſtrorum, ut Paulus ait, cum gaudio ſuſcipientes,
quandoquidē meliorem, & manētem ſubſtantiam habemus
in cœlis] IOANNES CASSIANVS [De quibus Apoſtolus, Cir-
cuiuerunt, inquit, in melotis & in pellibus caprinis, egentes,
angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus] CYRIL-
LVS ALEXANDRINVS [Paulus ergo ad Hebræos ſcribens hoc
modo dicit, Non enim in manufacta introiuit Ieſus exempla-
ria ueritatis, ſed in ipſum cœlum, ut appareat uultui Dei
pro nobis; Iterum dicit de hoſtijs. Hoc enim fecit ſemel
ſeipſum offerendo hoſtiam, ſed quid de his ſingillatim quæ-
rimus teſtimonium? omnem epiſtolam ipſam ad Hebræos
ſcriptam ſi quis recenſeat, & præcipuè eum locum, ubi Pon-
tificem legis confert Pontifici repromiſſionis, de quo ſcriptū
eſt, tu eſ ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchife-
dech, inueniet quomodo omnis hic locus Apoſtoli exempla-
ria, & formas oſtendit eſſe rerum uiuarum, & uerarum, illa
quæ in lege ſcripta ſunt] Quod ſi hæc commentaria Orige-
nis potius quàm Cyrilli eſſe alicui uideantur, nos non repu-
gnabimus, ſed aliud CYRILLI teſtimonium proferemus; di-
cit igitur [Porro hi ſacræ ſcripturæ teſtimonijs hanc ſuam af-
fertionem fulcire annuntur, & illud Pauli aſſumunt ad He-
bræos ſcribētis, Impoſſibile eſt eos, qui ſunt ſemel illuminati,
guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt ſpi-
ritus ſancti, guſtauerūt nihilominus bonum Dei uerbū, virtu-
tesque ſeculi uenturi, & prolapſi ſunt ruruſ renouari ad pœ-
nitentiam: ecce inquit Apoſtolus dicit, eos qui poſt ac-
ceptam Dei gratiam prolapſi ſunt, ad pœnitentiam reno-
uari non poſſe, ſed non intelligunt Paulum ibidem uer-
ba facere &c.] THEODORETVS qui hanc epiſtolam accura-
te explanauit, inter cætera hæc quoque ſcribit [Nihil faciunt
qui morbo Ariano laborant, ſi aduerſum litteras Apoſtolicas
ſuriant, & epiſtolam ad Hebræos à reliquis ſeparent, & eam

D 2 adulte-

Ad eos qui
iniciantur.
Heb. 11.

Lib. 1. de in-
ſtitutis cœc
nob. c. 8.
Heb. 11.
In Lcu. 1. 9.

In euang.
Ioan. lib. 5
Heb. 6.

In arg. ep.
ad Heb.

adulterinam appellent; qui enim aduersus Deum & Saluatorem nostrum linguas mouent, quid non ausi fuerint aduersus eius beneuolos, & grandiloquos ueritatis præcones? ipsius enim Domini uox est, si me persecuti sunt, & uos persequentur: oportebat autem ipsos & si nihil aliud, temporis quidem certe diurnitatem reuereri, quo hanc epistolam in ecclesijs perpetuò legerunt alumni ueritatis. Ex quo enim litterarum Apostolicarum fuerunt ecclesiæ participes, ex illo etiam Epistolæ ad Hebræos utilitatem recipiunt, quòd si ne hoc quidem ad eos persuadendos satis est, Eusebio quidem Palestino oportebat eos credere, quem patronum suorum decretorum appellant; nam is etiam hanc esse diuinissimam Pauli epistolam confessus est; sed his omnibus ualere iussis aduersus ueritatem impudenter decertant, Apostolicæ Theologiæ, qua procœmium exornauit, splendorem nõ ferentes; cum. n. non possent ijs quæ devnigeniti diuinitate apertè dicta fuerant, resistere, ausi sunt totam epistolâ reijcere, cum tamen eius & decreta & sententiæ magnam habeant cognationem cum alijs eiusdem epistolis] Tot autem Theodoretum uerba hic describere non recusauimus, cum singula sint ad huius epistolæ traditionem probandam apposite admodum prolata, in primis enim Theodoretum sententiã apertè significant, Eusebium deinde idem sensisse testantur, in ecclesia etiam nascente epistolam hanc semper legi solitam fuisse, & pro diuina habitam commemorant, eamque cum ceteris Pauli epistolis ita conuenire asserunt, ut eundem omnino auctorem præferat; cuius denique repudiandæ auctores fuisse Arianos, quia ab illorum dogmate dissidebat, palam testantur ac docent. Huic autem coæuus LEO PRIMVS tum sæpissime ex hac epistola testimonia profert, tum etiam nõ obscure Paulum Apostolum illius auctorem agnoscit dicens [Nam qui ait impossibile est placere sine fide Deo, idem ait, si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam,

nihil

Ser. de qua
dragesima
Heb. 11.

nihil sum] IDEM [Paulo nobiscum eadem prædicante heri & hodie, idem ipse & in æternum] PROSPER AQUITANICVS [Aut cum Apostolus ait, nouissimis istis diebus locutus est nobis in filio, quem cõstituit hæredem uniuersorum] Quoniã uerò hoc opusculum Ambrosio etiam inscriptum legitur, non deerit aliud PROSPERI testimonium, qui ait [Eadem & Apostoli uox est dicentis, Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei, & summatorẽ Iesum; quibus & plurimis alijs testimonijs diuinarum scripturarum &c.] THEOPHILACTVS [Non possum equidem non admirari multorum hominum imprudentiam, qui cum intelligant per epistolæ huius exordium tam multas hæreses fuisse confutatas, haud tamen desistant affirmare, hanc epistolam Beato Paulo non conuenire, seu à cæteris epistolis alienam; uelim autem non esse hos nescios epistolæ huius, & sensum & profunditatem & uim illam inconfutabilẽ nullius esse alterius posse, quàm Pauli, qui Christum habet in se loquentem] CEREALIS EPISCOPVS [Idem ad Hebræos sic de filio dicit Apostolus, Qui cum sit, inquit, Splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris] MARIUS VICTORINVS [Idcirco adiecit Paulus, Quousq; ponat inimicos oēs eius sub pedibus ipsius] VIGILIVS [Illo utitur Apostoli testimonio Nestorius ad Hebræos ita scribentis, Nam paulominus quàm Angelus minoratũ uelimus Iesum, gloria & honore coronatũ] FVLGENTIUS [Apostolus de filio Dei dicit, Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius] IDEM [Paulus nobis beatus ostendit, qui ad Hebræos scribens, ait Abraham nanque promittens Deus, quoniã neminem habuit, per quem iuraret, maiorẽ, iurauit per semetipsum] CASSIODORVS Epistolas Pauli enumerans inquit [Ad Hebræos uerò Epistolam, quam Sanctus Ioannes Constantinopolitanus Episcopus triginta quatuor Homilijs Attico sermone tractauit, Mutianum uirum doctissimum transferrefecimus in Latinum, ne Epistolarum ordo continuus in

1. Coi. 13.
Epif. 97. ad
Leonem
Augo.
Heb. 13.
Li. 1. de uo
gent. 9.
Heb. 2.
Ad Genuẽ.
dub. 5.
Heb. 12.

Ad Maxi
mimum.
Heb. 1.

De diuinis
lect. 1. c. 8.
Mor. lib. 2.
cap. 2.
Heb. 1.

Cont. Aria
Heb. 10.
Li. 2. cōtra
Eutychem.
Heb. 2.
Responſio
ne contra
Arianos.
Heb. 6.
In epiſt. ad
Heb.
Arg. 2.

decore termino ſubito rumpe-
retur] GREGORIUS PRIMVS
[Sed cum illis per Paulum dicitur, Nonne omnes ſunt admi-
nistratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hēre-
ditatem capiunt Salutis.] OECUMENIVS [teſtatur autem in
ſequentibus ipſa quoque Pauli epiſtola, quōd Pauli ſit ex eo
quod dicit, etiam afflictionum quæ ex uinculis meis contige-
runt, participes fuiſtis; & cū dicit, magis precemini quia cele-
rius reſtituar uobis; prætereà cum ait, ſcitis fratrem noſtrum
Timotheum dimiſſum, cum quo, ſi celerius uenerit, uidebo
uos; nemo enim præter Paulum, ut opinor, dimiſerat Timo-
theum in miniſterium, atque hunc celerius expectans, ſuum
ac illius pollicetur eis aduentum, quemadmodum frequen-
ter facere ſolet; multa quoque alia oſtendunt nobis eſſe ip-
ſius epiſtolam, quemadmodum lectio ipſa in progreſſu do-
cet] IDACIVS CLARVS [Paulus Apoſtolus ad Hebræos ſcri-
bens, inquit, In eo enim in quo paſſus eſt ille tentatus eſt, nam
potens eſt eis qui tentantur auxiliari] Prætereà uerò à Patri-
bus omnibus enumerationem ſcripturarum recensentibus
in ſacrorum uoluminum numerum hæc quoque Epiſtola re-
lata fuit; in primis quidem ab ORIGENE referente^a Eusebio,
deinde à^b CYRILLO HIEROSOLIMITANO in catecheſibus,
ab^c Athanaſio in ſynopſi, ab^d EPIPHANIO contra Anomeos,
ARVFFINO in ſymbolum Apoſtolorum, ab^e AVGVSTINO
in ſecundo de doctrina chriſtiana, & à^f DAMASCENO in li-
bris orthodoxæ fidei. Imo & magnum EPHEſINVM CON-
CILIVM ex hac Epiſtola teſtimonium protulit dicens [Pon-
ficem & Apoſtolum cofenſionis noſtræ factum eſſe Chri-
ſtum ſcriptura dicit] Propterea hinc frequenter eccleſia lectio-
nes profert, atque ſolenni Natiuitatis feſto huius epiſtolæ ini-
tium, Pauli nomine recitat; cuius lectionem in eccleſia anti-
quiſſimam eſſe Theodoreti teſtimonio iam nouimus, quod
etiam HIERONYMVS atteſtatur, qui de ipſa ſermonem ha-
bens inquit [& quotidie eccleſiarum lectione celebratur] ſed

&

Aduerſus
Var m. A-
rianum.
Heb. 2.

a Li. 6. hiſt.
cap. 19.
b Catech. 4.
c Synopſi
ſacr. ſcrip.
d Heb. 76.
e Lib. 2. de
doct. chriſt.
cap. 8.
f L. 4. orth.
fid. c. 18.
Anathema
tiſmo 10.
Heb. 3.

Ep. ad Dar-
danum.

& PETRVS APOSTOLVS eidem Epiſtolæ teſtimonio eſt, cum 3. Pet. 3.
ad Hebræos ſcribens dicit [Propter quod chariſſimi hæc ex-
pectantes ſatagite immaculati & inuiolati inueniri in pace,
& Domini Ieſu Chriſti longaminitatem ſalutem arbitrami-
ni, ſicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam
ſibi ſapientiam ſcripſit uobis] Quod quidem in hac epiſtola
Paulum accuratè feciſſe certum & perſpectum eſt; quæ tan-
dem ex eo etiam Pauli Apoſtoli germana agnoſcitur, quōd
eā habet notam, qua ſuas epiſtolas ab adulterinis internoſci
poſſe ipſe PAVLVS teſtatur dicens [Salutatio mea manu Pau-
li, quod ſignum in omni epiſtola ſcribo. Gratia Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti cum omnibus uobis amen.] Hoc autem *ou-*
lor. ep. cum notata inſpiciatur hæc epiſtola, cuius nam ipſa ſit, co-
gnoſci ſua ſponte poteſt. Quam redudantem probationem
iam perſpectæ Traditioni annectere libuit, ut ſuimet confeſ-
ſio teſtium dictis ueluti cumulus accederet.

Theſ. ult.

Earum, Quæ controuerſæ ſunt, Epiſtolarum Catho-
licarum Traditio probatur. Cap. XV.



PISTOLAM in primis IACOBI ita cuſtodit ac uene-
ratur Eccleſia, ut ex ea lectiones frequenter publi-
ce recitet; legitur autem Quarta & Quinta domini
ca poſt Paſcha, feria ſecūda rogationum, & Mar-
tyris feſto; Atque inde cepto exordio DIONYSIVS AREO-
PAGITA de Cæleſti Hierarchia librum inchoauit dicens [Om-
ne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum
eſt descendens à Patre luminum,] illi coæuus ANACLETVS
PRIMVS ait [Quicumque autem, ut ait Iacobus Apoſtolus, to-
tam legem ſeruauerit, defecerit autem in uno, factus eſt om-
nium reus] ALEXANDER PRIMVS [Multum enim (ut ait
Beatus Iacobus Apoſtolus) ualet deprecatio iuſti aſidua]

Iaco. epiſt.

De cœleſti
Hier. c. 1.
Iacob. 1.
Epiſt. 1.
Iacob. 2.

Epiſt. 1.
Iacob. 5.

D 4 VRBA-

Epist. 1.
Jacob. 2.
In epist. ad Rom. lib. 4.
Jacob. 4.
Epist. 2.
Jacob. 5.
Jacob. 4.
Ep. ad No- uatianum.
Jacob. 4.
De iracun- dia.
Jacob. 1.
Hom. 22.
ad populu Antioch.
Jacob. 4.
Devoc. om- nium gent.
Jacob. 1.
Collar. 16.
cap. 16.
Prol. Retra.
De fide & oper.
Jacob. 2.
Jacob. 2.

VRBANVS PRIMVS [Quid prodest fratres mei, Iacobus Apo- stolus ait, si fidem quis dicat se habere, opera autem non ha- beat?] **ORIGENES**. [Nec solus hæc Paulus in suis epistolis scri- bit, audi & Iacobum fratrem Domini similia protestantem, cum dicit, Qui uoluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituetur] **IDEM** [Denique & Iacobus Apostolus ita di- cit, Resistite Diabolo, & fugiet à uobis, appropinquate Deo, & appropinquabit uobis] **CORNELIVS PRIMVS** [Summo- pere ergo sanctus Iacobus Apostolus prohibens sacramen- tum loquitur dicens, Ante omnia fratres mei nolite iurare neque per Cœlum neque per terram, neque aliud quodcun- que iuramentum] **CYPRIANVS** [Non legitis, quia Dominus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam?] **EPHREM SY- RVS** [Audiat Apostolum Iacobum ita dicentem, Ira uiri iusti- tiam Dei non operabitur] **CHRYSOSTOMVS** [Propterea dicit Apostolus, Resistite Diabolo, & fugiet à uobis] **DYDIMO** hanc epistolam explanauit. **AMBROSIVS** ait [Iacobus Apo- stolus ita loquitur, Nolite errare fratres mei dilecti, omne da- tū optimū & omne donum perfectū desursum est descendēs à Patre luminū] **CASSIANVS** [Eoq; fit ut iudicantes eū impof- sibilità uel incongrua præcepisse, efficiamur secundū Apo- stolū non factores, sed iudices legis] **AVGVSTINVS** hanc episto- lam commentarijs explanauit, atque alibi illius testimonium profert dicens [Vnde & eius Apostolus Iacobus, Sit inquit, omnis homo uelox ad audiendum, tardus autem ad loquen- dum; & alio loco, Nolite, inquit, plures fieri magistri fratres mei, sciētes quoniam maius iudicium sumitis] & alio in loco [Iacobus autem uehementer infestus est eis, qui sapiunt fi- dem sine operibus ualere ad salutem, ut illos etiam dæmo- nibus comparat dicens, Tu credis quoniam unus est Deus, benefacis, & dæmones credunt, & contremiscunt] **INNOCEN- TIVS PRIMVS** [Adiecit etiam filius meus Cælestinus Diaco- nus in epistola sua esse à tua dilectione positum illud, quod in

Beati

Beati Apostoli Iacobi epistola conscriptum est, Infirmatur quis in uobis? inducat presbiteros ecclesiæ, & orent super eū] **PROSPER AQUITANICVS** [Omne enim, inquit Apostolus Iacobus, datum optimum, & omne donum perfectum de- sursum est descendens à Patre luminum] **LEO PRIMVS** [Di- cente Beato Apostolo Iacobo, Si quis uestrum indiget sa- pientia postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non impropere, & dabitur ei] **CYRILLVS ALEXANDRINVS** [Bea- tus quoque Iacobus in epistola sua, Estote, ait, factores uer- bi, & non auditores tantum, fallentes uosmetipfos] **IDEM** [Accedit eodem & Iacobus dicens, scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi] **NILVS ABBAS** [Certe non audierant Christi mandata, quæ post baptisma tradita sunt, legem esse libertatis, ut ait scriptura, ita loquimini, atque ita agiter, tanquam per libertatis legem iudicandi] **ESAIAS AB- BAS** [Et Iacobus, Si quis inquit uidetur religiosus esse, non re- frænans linguam suam, huius uana est religio] **GREGORIUS PRIMVS** [Hinc Iacobus attestatur dicens. Quicumque totam legem seruauerit, offendet autem in uno, factus est omnium reus] **FERRANDVS CARTHAGINENSIS** [Præfertim Iacobo Apostolo confirmante, in multis enim offendimus omnes] **FVLGENTIVS**. [Nec ad mortem animæ primam, in qua nascuntur paruuli, uel in quam, sicut Beatus Iacobus ait, concupiscentia sua abstracti, & illecti recidunt criminosi] **IDEM** [Beato Iacobo dicente de Deo Patre, Voluntarie genuit nos uerbo ueritatis, ut simus initium aliquod crea- turæ eius] **IDACIUS CLARVS** [& in Canonicis, uoluntarie ge- nuit nos uerbo ueritatis, ut simus aliquod initium creaturæ eius] **CEREALIS EPISCOPVS** [Item Apostolus Iacobus di- cit, Tu credis quia vnus est Deus, bene facis, & Dæmones cre- dunt, & contremiscunt] In enumeratione autem sacrorum li- brorum etiam huius epistolæ mentio fit à **CYRILLO** ^a **HIE- ROSOLIMITANO**, ^b **ATHANASIO**, ^c **GREGORIO NAZIAN- ZENO**

Ep. 1. c. 8.
Iacob. 5.Ep. ad Ruf-
finum.
Iacob. 1.
De Quadr.
serm. 11.Lib. 6. euan-
ge. Ioan.
Iacob. 1.De sancto
baptismate
Iacob. 2.De poenit.
Iacob. 1.
Moral. li. 1.
cap. 3.
Iacob. 2.
Li. 1. ad Mo-
nimum.
Iacob. 1.
Parent. ad
Reginum.
Iacob. 3.
Respon-
sione contra
Arianos.
Iacob. 1.Aduersus
Varim. A-
rianum.
Iacob. 1.
Aduersus
Maximinū
cap. 2.
Iacob. 2.
a Catech. 4
b Synopsi.
c l. carmi.

4. de Dec.
chrif. c. 8.
e in symb.
apost.
1. 4. ortho.
f. c. 18.
Can. 7.
Moral. li. 1.
Iacob. 4.
Ep. 2. Petri.
2. Petr. 1.
2. Petr. 3.

Epist. 3.
2. Petr. 3.
In Leuit.
h. m. 4.
2. Petr. 2.
De fing. de
ricorum.
2. Petr. 2.

Ep. 2.
2. Petr. 3.
Quæf. cōp
explicatis.
2. Petr. 2.
Lib. 5. cont.
Funomiū.
2. Petr. 2.

ZENO^d AVGVSTINO, RVFFINO, & IOANNE DAMASCE-
NO] Atque antiquissimum CONCILIVM MILEVITANVM
huius Epistolæ auctorem Iacobum Apostolum agnoscit di-
cens [Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus, cum di-
cebat, in multis enim offendimus omnes] Quo grauiſſimo te-
stimonio huic demonstrationi finem imponentes, ad SECVN-
DAM PETRI EPISTOLAM sermonem nostrum conuertamus, quæ quidem festo transfigurationis Domini in eccle-
sia legi solet, eique Simonis Petri nomen AVCTOR inscripsit,
& Transfigurationis testem se nominans dixit [& hanc vo-
cem nos audiuiſimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo
in monte sancto] & in fine ait [Sicut & chariſſimus frater no-
ſter Paulus secundam datam sibi ſapientiam scripsit uobis] vt
neceſſe fit dicere huius Epistolæ auctorem vel ipsum Petrum
eſſe, vel impium nebulonem, cuius scripta non quidem uenerā-
da, sed maxime execranda, & detestabilia propterea eſſent;
in tanto autem errore ecclesiam uersari, abſit ut ſuſpicemur,
sed Singulos præterea Patres idipsum attestantes iam audia-
mus; in primis uerò Apostolicum uirum ANACLETVM PRI-
MVM ex hac epistola uerba recitantē [Propter quod chariſſi-
mi expectantes ſatagite immaculati ei inueniri in pace, & Do-
mini nostri Iesu Christi longanimitatem ſalutem arbitrami-
ni] ORIGENES [& iterum Petrus dicit; Conſortes, inquit, facti
eſtis diuinæ naturæ] CYPRIANVS [Quos ſanctus Petrus Apo-
ſtolus designauit dicens, in conuiujs luxuriantes, oculos ha-
bentes plenos mechationibus; & inceſſabilibus delictis capiē-
tes animas infirmas] CORNELIVS PRIMVS [Vnum uerò cha-
riſſimi, ut ait Beatus Apostolus Petrus, non lateat uos, quia
vnus dies apud Dominum ſicut mille anni] BASILIVS [De
hoc ſcriptum eſſe arbitror, ſi te rogabit inimicus magna vo-
ce, ne credideris ipſi, ſeptem enim malitiæ in anima ipſius, &
alibi. Quemadmodum canis cum reuerſus fuerit ad uomi-
tum ſuum] IDEM [iuxta illud, angelis qui peccaſſent, non pe-
per-

percit] DYDIMVS secundam hanc Petri Epistolam commen-
tarijs auſit, AMBROSIVS uero ait [Vnde dicit Petrus Apo-
ſtolus, omnis ſcriptura indiget interpretatione] IDEM [Quid
illa attexam, & quaſi toto ſtudio te urgeam, quòd hominem
Deus diuinę fecit conſortem naturæ, ſicut in epistola Petri le-
gimus] & rurſum [Idem Beatus Petrus in epistola ſecunda,
Gratia, inquit, uobis adimpleatur in recognitione Domini
noſtri Iesu Christi] CASSIANVS [Secundum Apoſtoli nam-
que ſententiam, à quo quiſque ſuperatur, ei & ſeruus addici-
tur] NILVS ABBAS [Sicut diuina nos ſcriptura coarguit, Ca-
nis, inquit, conuerſus ad proprium uomitum] & paucis in-
teriectis [Rurſum Petrus Apoſtolus, miniſtrate, inquit, in fi-
de ueſtra uirtutem, & cum alia quæ ſequuntur dixiſſet ſubie-
cit, Cui enim non præſto ſunt hæc, cœcus eſt, & manu tentans,
obliuionem accipiens purgationis ueterum ſuorum delictor-
um] AVGVSTINVS [Vnde & ipſe Petrus dicit: Liberi nõ ſicut
uelamentum malitiæ habentes libertatem: ait de illis, & in ſe-
cunda epistola ſua: Hi ſunt fontes ſicci, & nebulæ à turbine
exagitatae, quibus caligo tenebrarum reſeruata eſt; ſuperba
enim uanitatiſ loquentes illiciunt &c.] CYRILLVS ALEXAN-
DRINVS [Beatus item Petrus inquit de cognoscentibus di-
uinam legem, non tamen illam obſeruantibus, quòd melius
erat illis non cognoscere uiam iuſtitia, quàm poſt agnitio-
nem retrorſum conuerti ab eo, quòd illis traditum eſt, ſan-
cto mandato] LEOPRIMVS [Hinc Petrus ait; Melius erat illis
non cognoscere uiam iuſtitia, quàm poſt cognitionem re-
trorſum conuerti ab eo, quòd traditum eſt illis ſancto man-
dato] PROSPER [Idem Petrus in Epistola ſecunda, Gratia, in-
quit, uobis adimpleatur in recognitione Domini noſtri Iesu
Christi, Qui nunc omnia nobis &c.] GREGORIUS PRIMVS
[Hinc Petrus magnis Loth laudibus extulit, quia bonū inter
reprobos inuenit dicēs, Et iuſtum Loth oppreſſum à nephan-
dorum iniuſta conuerſatione eripuit] IDEM [Petro atteſtan-
te,

2. Petr. 2.
In epist. ad
Timot. c. 2.
2. Petr. 1.
Ep. ad Ho-
rontianū.
2. Petr. 1.
Ep. ad De-
metriadē.
2. Petr. 1.
De S. Ba-
ptiſmate.
2. Petr. 2.
2. Petr. 1.
Collat. 7.
cap. 25.

De ſi. & op.
2. Petr. 2.

In euang.
Io. lib. 5.
2. Petr. 2.

De cōſtitu-
uit. & uirt.
cap. 15.
2. Petr. 2.
Ep. ad De-
metriadē.
2. Petr. 1.
2. Petr. 2.
Moral. li. 8.
cap. 11.
2. Petr. 2.

De ratione
fidei.
2. Pet. 1.

a Catec. 4.
b Synopsi.
c l. carm.
d in symb.
e 2. de doc.
christ. c. 8.
f Li. 4. ort.
fidei. c. 18.
Epist. 2. & 3.
Ioan.

Lib. 7. hist.
cap. 20.
Sent. Conc.
Carth.
2. Ioan. 1.
in 2. ep. Io.
cap. 1.

Ep. Iudæ.
Ep. 1.

te, qui ait, Deus Angelis peccantibus non pepercit] **FAVSTVS**
EPISCOPVS [Dicente Beato Petro Apostolo in epistola sua,
Non inquit ex hominibus allata est prophetia, sed Spiritu san-
cto inspirante locuti sunt sancti Dei homines] Tandem uerò
à **CYRILLO** ^a **HIEROSOLIMITANO**, ^b **ATHANASIO** ^c **GRE-**
GORIO NAZIANZENO, ^d **RUFFINO**, ^e **AVGVSTINO**, & **IOAN-**
NE DAMASCENO scripturarum enumerationem recensenti-
bus, in sacrorum uoluminum numerum relata legitur hæc
epistola, atque ab iisdem inter diuinas pariter scripturas nu-
meratur **SECUNDA** & **TERTIA IOANNIS EPISTOLAE**, & præ-
ter illos **DIONYSIVS ALEXANDRINVS** libro secundo de pro-
missionibus, his uerbis, ab Eusebio recitatis, utramque non
obscurè Ioannis germanam esse indicat dicens [Quin etiam
neque epistolæ secundæ, & tertiæ, quæ dicuntur esse Ioannis,
licet per breues sint, Ioannes nominatim præponitur, sed præ-
biter inscribitur, uacans nomine] Atque in sententijs **CONCI-**
LII CARTHAGIENSIS tēpore **CYPRIANI** habiti, eodem re-
ferente legitur [Ioannes Apostolus in epistola sua posuit
dicens, Si quis ad uos uenit, & doctrinam Christi non habet,
nolite eum admittere in domum uestram, & aue illi ne dixe-
ritis, Qui n. dixerit illi, aue, cōmunicat factis eius malis] **CLE-**
MENS ALEXANDRINVS secundam Ioannis Epistolam ex-
planauit, **DYDIMVS** uerò secundam & tertiam commentarijs
auxit **OBECVMENIVS** tandem, qui in utranque epistolam
commentaria conscripsit & Ioannem Apostolum auctorem
agnouit, nobis etiam notas indicat, quibus illas Ioannis ger-
manas esse facile intelligamus, inquit igitur, [Ostenditur au-
tem & à denunciatione ac promissione, & à reliqua sermonis
dispositione, quòd germanæ sint Ioannis Apostoli epistolæ,
quandoquidem in his quoque frequenter sermonem repe-
tit, eadē dicens de iisdem, ubi modica occurrit occasio, & hac
via sermonem confirmat.] Quare una **IUDÆE EPSTOLA** iam
reliqua est, cuius traditionem dilucidemus; eius uerò testis

in

ftis in primis erit **ANACLETVS PRIMVS** Iudæ ferè coęuus
qui ait, [Vos autem charissimi memores estote uerborū, quæ
prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui di-
cebant uobis, quoniam in nouissimo tempore uenient illuso-
res secundum desideria sua ambulantes in impietate, hi sunt
qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes]
ALEXANDER PRIMVS [Ecce, ait Iudas Apostolus, ueniet
Dominus in millibus suis facere iudicium, & perdere omnes
impios, & arguere omnem carnem de omnibus impietatibus
eorum] **ANICETVS PRIMVS** [Et iuxta alium Apostolum, fra-
tres memores estote uerborum, quæ prædicta sunt ab Apo-
stolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant uobis, quo-
niam in nouissimo tempore uenient illusores, secundum de-
sideria ambulantes impietatum, Hi sunt qui segregant seme-
tipos, animales spiritum non habentes] **TERTVLLIANVS**
[Enoch apud Iudæ Apostolum testimonium possidet] **CLE-**
MENS ALEXANDRINVS & **DYDIMVS** eandem epistolam
commentarijs auxerunt. **ORIGENES** [Sicut & Iudas dicit in
epistola sua, Tunc quod clarum est apparebit in cœlo, & om-
nis qui probauit imaginem cœlestis] Idem [Quomodo etiam
quod Iudas Apostolus in epistola catholica dicit, poterit ex-
planari? ait enim, Angelos quoq; qui non seruauerunt prin-
cipatum suum, sed dereliquerunt domicilium suum, in iudi-
cium magni Dei æternis uinculis cōstrictos sub caligine refer-
uauit] **CORNELIVS PRIMVS** [Vos autem charissimi, dixit Iu-
das Apostolus, memores estote uerborū, quæ prædicta sunt
ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant nobis,
quoniam in nouissimo tempore uenient illusores] **CYPRIA-**
NVS [Sicut scriptum est: Ecce uenit cum multis millibus nun-
ciorum suorum facere iudicium de omnibus, & perdere om-
nes impios, & arguere omnē carnē de omnibus factis impio-
rum, quæ fecerunt impie, & de omnibus uerbis impijs quæ
de Deo locuti sunt peccatores] **AMBROSIVS**, siue **PROSPER**
[Dicat

Epist. 1.
Iud. 1.

Epist. 5.
Iud. 10.

Ep. ad Gall.
episcopos.
Iud. 1.

De habitu
mul.
Iud. 1.
In Matth.
tract. 30.
Iud. 1.
In epist. ad
Rom. lib. 5.
Iudæ 1.

Epist. 2.
Iudæ 2.

Epi. ad No-
uatianum.
Iudæ 1.

Li. 1. de uo.
gen. c. 19.
Iudæ 1.

Her. 16.

De vir. illu-
stribus.

Ep. ad Mar-
cellam.
Iudæ 1.

Collat. li. 3.
cap. 8.
Iudæ 1.

Li. 12. Thef.
Iudæ 1.

a Cath. 4.
b Synopt.
c l. carmi-
num.

d In sym-
e de Doct.
christ. c. 8.

f 4. ortho-
fidei c. 18.
Ep. ad Pau-
linum.

Pro. ep. ca-
the. ad Eu-
stochium.

[Dicat Iudas Apostolus, quid agat uel ignorantia imperito-
rum, uel doctrina sapientium. Hi autem, inquit, quæcunque
quidem ignorant blasphemant, quæcunque autem naturali-
ter, ut muta animalia norūt, in his corrumpuntur] **EPH I P H A**
N I V S [Quare de his arbitror commotus est Spiritus sanctus
in Apostolo Iuda, in catholica, inquam, epistola ab ipso scri-
pta, Iudas autem hic est, qui frater Iacobi & Domini dicitur]
H I E R O N Y M V S [Iudas frater Iacobi paruam quidem,
quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit, & quia de li-
bro Enoch, qui apocryphus est in ea assumit testimonia, à ple-
risque reijcitur, tamen auctoritatem iam uetustate & usu me-
ruit, & inter sanctas scripturas computatur] **I D E M** [In episto-
la canonica Iudas Apostolus frater Iacobi scribit dicens, Cō-
monere autem uos uolo &c.] **C A S S I A N V S** [Vnus quoque
Apostolorum euidentius dicit, Angelos uerò, qui non serua-
uerunt suum principatum, sed reliquerunt domicilium suum
in iudicium magni Dei, uinculis æternis sub caligine reserua-
uit] **C Y R I L L V S A L E X A N D R I N V S** [Cōmonere autem, Iu-
das inquit, uos uolo, scientes semel omnia, quoniam Iesus po-
pulum de terra Aegypti saluans, eos qui non crediderunt per-
didit] Deniq; inter sacros libros numeratur à **C Y R I L L O** ^a **H I E**
R O S O L I M I T A N O, ^b **A T H A N A S I O**; ^c **G R E G O R I O N A Z I A N**
Z E N O, ^d **R V F F I N O**, ^e **A V G V S T I N O**, ^f & **I O A N N E D A M A**
S C E N O in catalogis ab ipsis conscriptis, in quibus de singu-
lis septē Catholicis epistolis expressa fit mentio; præter quos
H I E R O N Y M V S quoque sigillatim illas enumerat dicens [Ia-
cobus, Petrus, Ioannes & Iudas, septem scripserunt episto-
las tam mysticas, quam succinctas, breues, & longas, bre-
ues in uerbis, longas in sententijs] **I D E M** [Non ita est or-
do apud Græcos, qui integre sapiunt, fidemque rectam se-
ctantur, epistolarum septem, quæ canonicæ nuncupantur,
sicut in latinis codicibus inuenitur, ut quia Petrus est pri-
mus in ordine Apostolorum, & primæ etiam sint eius episto-
lae

læ in ordine cæterarum, sed sicut euangelistas dudum ad
ueritatis lineam correximus, ita has proprio ordini Deo
iuuante reddimus, est enim prima eorum una Iacobi, Duæ
Petri, tres Ioannis, & una Iudæ] **O E C V M E N I V S** quo-
que ut singulas est interpretatus, ita illas inter sacros libros
numerat, & ueneratur. **C A S S I O D O R V S** quoque singu-
las septem epistolas pariter recenset, & qui illas commen-
tarijs auxerint, sigillatim docet. Quibus testimonijs non so-
lùm singularum, quæ controuersæ erant, epistolarum, sed
omnium acruatim una complexione demonstrata tradi-
tio uidetur.

In epist. ca-
tholicas.

De diuinis
lect. l. 1. c. 8.

Ioannis Apocalipsis Traditio explicatur.

Cap. X V I.



Ic liber non paucos habet aduersarios illum uehe-
menter oppugnantes, ut postea cognoscemus
quare in eius traditione nunc exploranda, erunt
Patrum testimonia diligenter conquirenda, & in
medium proferenda, orationis enim longitudinem rei utili-
tas compensabit. **D I O N I S I V S** itaque **A R E O P A G I T A** scribit
[Aut obscuram, mysteriorumque plenam discipulorum cha-
rissimi, uatisque uisionem, summamque ac celestem Iesu
Theologiam ijs, qui ad diuinitatem adipiscendam apti sunt,
eaque digni, tum exposuit, tum sanctis, diuinisque sacramen-
torum institutionibus, introductionibusque confirmauit] **I V**
S T I N V S M A R T I R [Apud nos etiam uir quidam Ioannes no-
mine, Christi Apostolorum vnus, mille annos commoratu-
ros Hierosolymis eos qui Christo crediderunt reuelatione, quæ
ei facta est spiritu prophetico, prædixit, deinde generalem, &
ut paucis absoluaui, æternam omnium resurrectionem futu-
ram ac iudicium] Hanc uerò Apocalypsin **I D E M I V S T I**
N V S ^a **E V S E B I O** & ^b **H I E R O N I M O** testibus, commentarijs au-
xit,

De ecclesia
Hier. c. 4.

Dial. cum
Triphone.
Apoc. 20.

a In chro-
nicis.

b. Deui. il-
lustribus.

Cap. dcma
Ieficis.
Apoc. 1.
Lib. 2. Ped.
cap. 12.
Apoc. 11.
In Ezech.
hom. 6.
Apoc. 8.

lib. 6. hift.
cap. 19.

In Leuit.
hom. 4.

xit, quod etiam Ireneum fecisse iisdem testantur. Qui quidem IRENEVS frequenter huius libri testimonia profert ad arguendos & conuincendos hæreticos, atque illum à Ioanne Apostolo conscriptum esse non obscure his verbis asserit [Sed & Ioannes Domini discipulus in Apocalypsi sacerdotalem & gloriosum Regni eius videns aduentum, Conuersus sum, inquit, videre vocem, quæ loquebatur mecum, & conuersus uidi septem candelabra aurea] Quam narrationem cum longo sermone explicet, in ijs quæ sequuntur verbis palam, asserit Ioannem hunc Domini discipulum eundem esse cum eo, qui supra Domini pectus in cœna recubuisse narratur. Quod etiã CONCILIVM ANCYRANVM imperãte Diocletiano habitũ, aperte testatur inquit [& Ioannes Apostolus Apocalypsis sacramentum in spiritu non in corpore uidit, & audiuit, sic ut ipse dicit, Statim, inquit, fui in spiritu,] CLEMENS ALEXANDRINVS [Ex sanctis autẽ lapidibus supernam Hierusalem fuisse constructam accepimus, & duodecim portas cœlestis ciuitatis lapidibus præciosis assimilatas suscipiendam Apostolicę uocis gratiam significare admittimus] ORIGENES [Scriptura docente didicimus, quia sanctorum oratio sit incensum, ait enim: Incensum autem orationes sanctorum sunt] eiusdem etiam hæc uerba recitat EVSEBIVS [Quid attinet dicere de Ioanne, qui supra pectus Domini recubuit, qui licet se tot uolumina potuisse conficere, quot uniuersus orbis uix potuisset capere, ingenue fateatur, unum tamen euangelium solum posteritati tradidit, scripsit item Apocalypsim] Præter quæ uerba in commentarijs, quæ extant, IDEM scribit [Ioannes quidem Apostolus in Apocalypsi dixit esse euãgelium æternum] DIONYSIVS ALEXANDRINVS episcopus referente Eusebio de hac Apocalypsi ita scriptum reliquit [Ego uerò quantum ad meam sententiam pertinet spernere aut abijcere scripturam libri huius nullatenus audeo, maxime cum multi ex fratribus ita mecum sentiant, sed hoc magis de eo iudi-

co,

co, quòd excedant, atque emineant, quæ in eo scripta sunt humanæ auditionis modum, & fit in eo arcanus quidam & reconditus, atque admirabilis sensus, quem & ego admiror, & ueneror, etiam si non intelligo, atque ita sentio, quòd diuina aliqua sacramenta sermonibus cõtegantur humanis, non tam iudicio meo discernens, quam fide credens, & ita non reprobo quæ non intelligo, sed tanto magis admiror, quanto minus assequor] TERTVLLIANVS [Si Apocalypsim Ioannis Marcion respuit, ordo tamen episcoporum ad originem recensens in Ioannem stabit auctorem] IDEM [Nam & Ioannes Apostolus in Apocalypsi, ensẽ describit ex ore Dei prodeuntem bis acutum præacutum] CYPRIANVS uerò frequentissime ex hoc libro testimonia protulit, eumque tanquam sacrã scripturã ubique est ueneratus, ut cum dixit [Dominus in Apocalypsi loquitur dicẽs; Ne signaueris uerba prophetiæ libri huius, quia iam tempus in proximo est] & infra [In Apocalypsi Angelus Ioanni uolenti adorare se resistit, & dicit, Vidẽ ne feceris, quia conseruus tuus sum, & fratrum tuorum, Iesum Dominum adora:] ATHANASIVS ALEXANDRINVS librorum sacrorum enumerationem percensens dicit [Est præterea & Apocalypsis Ioannis Theologi à priscis sanctis, & spiritu Dei imbutis Patribus, ueluti quæ illius sit, accepta & approbata, cuius principium est, Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus] BASILIVS [Sed ipse euangelista nobis in alio sermone huiusmodi, erat, uerbi significatum ostendit, dum dicit. Qui est, & qui erat, & qui omnipotens est] IDEM [Omnem autẽ ipsorum contentionẽ excludunt diuinæ scripturę, cum Moyses quidẽ clamet de filio, Qui est, misit me, & Euangelista, In principio erat uerbum; & non semel dixit erat, sed quater; & rursus alibi, Qui est ex Deo, & qui est ex sinu Patris, & in alijs, qui est in cœlo & in Apocalypsi, Qui est & qui erat, & qui uenturus est] GREGORIUS NAZIANZENSIS [Nec enim dubium quin alii Angeli aliarum ecclesiarum præ-

E fides

Li. 4. contra
Marcionẽ.
Li. 4. aduer-
sus Marcio.

Li. de bono
patientiæ
Apoc. 19.

Synopsis
scripturarum.

Li. 2. cõtra
Eunom.
Apoc. 1.

Li. contra
Eunom.

Apoc. 1.

Oratione ad episcopos. Prol. in pf. Apoc. 3. In epist. ad Rom. c. 24. Apoc. 29. Ep. ad Chr. Apoc. 2. In epist. ad Gal. c. 2. Li. de uiris Illust. Li. 5. de Instit. c. 17. Apoc. 3. In euang. Io. trac. 12. Apoc. 29. Li. de sancta Virg. cap. 27. In euang. Io. li. 6.

fides ac patroni sint, quemadmodum in Apocalypsi Ioannes docet] **HILARIUS** [Tamen nequaquam psalmodum librum nisi per fidem aduentus eius posse intelligi ita, Beati Ioannis Apocalypsi docemur, Et Angelo Philadelphie ecclesie scribe, Hæc dicit sanctus & uerus, qui habet clauas Dauid] **AMBROSIUS** [Denique Ioannes Apostolus infcius, cum Angelum ut Deum uellet adorare, audit ab eo, Ne feceris, quia conseruus tuus sum, Deum, inquit adora] **IDEM** [Sicut euidenter etiam in Apocalypsi scriptum Ioannis euangelistæ est, dicente Domino Iesu ad Angelum ecclesie Pergami, Habes illic tenentes doctrinam Balaam] **HIERONYMVS** [Columnæ igitur sunt ecclesie Apostoli, maxime Petrus, Iacobus, & Ioannes, ex quibus duo cum Domino ascendere merentur in montem, Quorum unus in Apocalypsi saluatorem introducit loquentem, [Qui uicerit faciã eum columnam in templo Dei mei.] **IDEM** [Quartodecimo igitur anno secundã post Neronẽ persecutio nem mouente Domitiano, Ioannes in Pathmon insulam relegatus scripsit Apocalypsim, quam interpretatur Iustinus martyr & Ireneus] **CASSIANVS** [De quo aduentu Dominus in Euangelio, ego, inquit, & Pater meus ueniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Et iterum, Ego sto ad ostium & pulso, si quis audierit uocem meam, & aperuerit ianuam, in troibo ad illum, & coenabo cum illo, & ipse mecum] **AVGVSTINVS** [Plus erat omnibus hominibus, & angelis, Nam Angelum inuenimus prohibuisse ne homo illi ad pedes caderet, cum enim quædam in Apocalypsi Angelus ostenderet Ioanni, qui scripsit hoc euangelium, conterritus magnitudine uisionis cecidit ad pedes Angeli] **IDEM** [Sic enim uos uidit in Apocalypsi quidam præ cæteris dilectus Agno, qui discumbere super pectus eius solitus erat] Qui præterea Augustinus librum hunc ita est amplexus & ueneratus, ut totum etiam sit accurate interpretatus. **CYILLVS** uerò **ALEXANDRINVS** eiusdem auctorem palàm fatetur esse euangelistam Ioannem dicens,

dicens [Demum Beatus Ioannes qui hoc nobis conscripsit euangelium, in spiritu cognoscens, & perspiciens quonam modo factus est lapsus Diaboli inquit in Apocalypsi, Et factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone] **CASSIODORVS** [Hæc quoque Apocalypsis, id est Reuelatio, probatur Ioannis Apostoli] Idemque paucis interiectis testatur, Victorinum, Vigilium, & Tirenium antiquos scriptores ipsam Apocalypsim commentarijs auxisse. **GREGORIVS PRIMVS** ait [Vnde & Ioannes Apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait, Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis] Nec solus Athanasius hunc librum in scripturarum numerũ (ut uidimus) retulit, catalogum cõscribens, sed præter ipsum ^a **EPHIPANIVS** quoque, ^b **RUFFINVS**, ^c **AVGVSVINVS**, & ^d **DAMASCENVS**. **CONCILIVM** uerò **TOLETANVM** quartum non solum dat huic libro illustre testimonium, sed conciliorum quoque, & Pontificum plura testimonia simul completitur, cuius uerba hunc in locum reijcienda putauimus, ut in orationis nostræ quasi finibus firmissimum hoc propugnaculum aduersarijs obijceremus, inquit igitur [Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, & synodica sanctorum Præfulum Romanorum decreta Ioannis euangelistæ esse præscribunt, & inter diuinos libros recipiendum constituerunt; & quia plurimi sunt, qui eius auctoritatem non recipiunt, eumque in ecclesia Dei prædicare contènant, si quis deinceps aut eum non receperit, aut à Pascha usque ad Pentecosten missarum tempore in ecclesia non prædicauerit, excommunicationis sententiam habebit] Propterea hic liber in ecclesia catholica frequenter legi consueuit, præsertim uerò solennibus festis Omnium sanctorum, Innocentium, Michaelis, Lucæ, & ecclesiarum dedicationis. Hæc quidem dicta sint à nobis pro ea librorum aliquot canonicorum traditione dilucidanda, quæ nonnullis minus nota ac perspecta uide-

E 2 batur,

Apoc. 12.

De diuinis lect. li. 1. c. 9.

Mor. 31. cap. 9. Apoc. 29.

In synopt. a Hæresi. 76. b In sym. Aposto. c 2. de doc. Christ. d 4. orth. fid. c. 18.

cap. 26.

barur, si autem quod longo sermone, & diligens opera tenuimus, iuuante Deo effecimus, uehementer gaudemus; affert enim huius traditionis completa explicatio ad veritatem catholicam confirmandam, atque hæreticos conuincendos momentum maximum. Nostris autem iam confirmatis ad obiecta crimina diluenda, atq; aduersariorum impetum propulsandum orationem conuertamus.

Quot & quæ sint genera eorum, quæ libris Canonicis obijciuntur, & ad quæ respondere sit hoc loco propositum. Cap. XVII.



LIBRI omnes canonici iam pridem in duas classes à nobis sunt distributi, notioris nimirum, vel minus notæ traditionis, atque in hoc solo postremo librorum ordine Traditionem dilucidantes elaborauimus, nunc uero aduersariorum argumentationes diluentes, & ad singula, quæ obijciuntur, respondentes, utriusque classis pariter operam præbebimus, cum neutra obtrectatorum calumnias, & maledicta effugiat. Genera autem eorum, quæ ab aduersarijs obijciuntur, plura sunt; quædam enim eo spectant, ut doctrinam ipsam oppugnent, ea enim labefactata, librorum quoque auctoritatem conuelli ipsi putant, nec id quidem temere, cum librorum sacrorum tanta sit sanctitas & maiestas, ut ne leui quidem labecula aspergi patiantur, & quod in humanis scriptis tolerabile videtur, id in diuinis perniciosum iudicatur; in illis enim si quid forte vel falsum & absurdum, uel prauum & ineptum, uel etiam cum altero pugnant animaduertamus, id totum humanæ naturæ & imbecillitati condonamus, nec propterea libros, & suppositos & falsò inscriptos reijcimus, etiam si Plato vel Aristoteles illorum auctor dicatur; omnis enim homo mendax est, obliuiosus, & inconstans, Deus autem summè bonus, uerus, stabilis, & immu-

Primū genus obiectorum.

immutabilis, Quare illius quoque sermones, ueros, sanctos, inter se cohærentes, perfectos, & omnibus numeris absolutos esse oportet: Necessaria igitur erit hæc consecutio. In hoc libro est aliquid minus uerum, uel sanctum, uel diuino uerbo consonum, aut saltem leuiter est erratum, uel quid parum apposite dictum, ergo suppositus liber est, nec in sacrorum numerum referendus. Cuius argumentationis vim in diuinis scripturis labefactandis, ac conuellendis nos animaduertentes, animum statim appulimus ad omnes istas argumentationes accurrate diluendas, atque in eam curam & cogitationem toto pectore incumbentes, cum iam voluminis magnitudo satis creuisset, cepimus non iam suspicari, uel animo cerere, sed manibus ipsis tractantes sentire, immensum opus illud esse, quod moliebamur, & Methodo huic nostræ parum congruere, cum totam ferè Theologiam illud complecteretur, ad quam capescendam nunc uiam munimus. Quis enim ad singula hæc plene respondere unquam poterit, nisi plurima catholica dogmata explicet prius atque confirmet? difficillimos quoque scripturæ locos accuratè interpretetur? inter se quasi pugnantia, uel parum cohærentia componat? scripturarum consensum demonstret? Hæreses denique omnes sigillatim redarguat? cum moris hæreticorum semper fuerit, uel scripturas aliquas respuere, uel mutilas, & quasi decurtatas proferre; quod monens **TERTULLIANVS** dicebat [Hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit adiectionibus, & detractionibus, ad dispositionem instituti sui interuertit, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata conuertit] **HIRONYMVS** uero de scripturis sermonem habens inquit [Hæretici quicquid contrarium suo dogmati uiderunt, eraserunt] Hinc fit, ut si quis, exempli causa, sibi proposuerit Veteris Testamenti libros ab huiusmodi calumnijs ac reprehensionibus uindicare, necesse in primis habeat Si-

Li de præscriptionibus.

Proem. in epist. ad Titum.

monis Magi, Carprocratis, Cerdonis, Marcionis, Seueri, Manichæi, Bogomilorum, Albanensium, Albingensiumque hæreses conuincere. Quòd si præterea singulos ueteris ac noui testamenti libros defendens, huius generis obiecta crimina diluere aggrediatur, redarguendi ab eo statim erunt Nicolaitæ, Gnostici, Paulus Samosatenus, Pelagiani, Ebionitæ, Ptolomeitæ, Ariani, Aeriani, Ariomanitæ, Encratitæ, Alogi, Helceseitæ, Theodociani, Lutherani, Calviniani, Anabaptistæ, & Seruetani, qui omnes, & singuli canonicos libros aliqua ex parte repudiarunt, ut catholicos præfidijs spoliatos facilius opprimerent, ac impia & nefaria placita in tuto, ut sperabant, collocarent. Cum his uerò omnibus de singulis disputare, quàm longum esset ac operosum, inde facile possumus conijcere, quòd Augustinus ipse, ut solius Manichæi hæresim reuinceret, canonicos libros damnantis, triginta tres libros aduersus Faustum conscripsit, præter eos quos contra Epistolam fundamenti, Adimantum, Felicem, & aduersarium legis & Prophetarum scripserat. Immensum igitur opus hoc esse, cum nos ratione & coniectura iudicemus, atque usu ipso experiremur, Totamque hanc disputationem ad id, quod propositum est, non esse necessarium vel opportunam putaremus, eamque propterea Tyroni Auditori, quem instituendum suscepimus, molestam potius quàm utilem fore non temere suspicaremur, ueriti ne uarijs & maximis sponte propositis difficultatibus illos obtundamus ac deterreamus, quos allicere, & docere cogitamus, Sententiam permutauimus, & consilium illius tractationis abiicimus, ea omnia refecantes, quæ sacrorum librorum doctrinam labefactare uel confirmare uidebantur. Hoc tamen palàm profitentes, quæcunque in canonicis libris iam enumeratis leguntur, tanquam à Deo profecta & tradita, ea omnia esse uera, sancta, & inter se optime cohærentia: quod quidem opportunis locis abundè & fusè demonstrabitur; in il-

lud

lud enim tempus hoc referuatur, cum singula Dogmata, & difficiles quosque scripturæ locos examinabimus. Missum igitur faciamus hoc argumentationis genus, de quo tamen excipimus leuem aliquam uerborum discrepantiam cuius obuiam, atque historiam potius uel literam, quàm doctrinam nel dogma tangentem, hanc enim dissimulare uix possemus, tolerare autem erit utile, nec Auditori nouitio difficile uel molestum, sed ut speramus, gratisimum. Alterum autem genus eorum quæ obiiciuntur, illud est, falsò inscriptos esse libros aliquot, cum ab eo non sint conscripti, quem auctorem præferunt; ut propterea tanquàm suppositi & adulterini sint reiiciendi, Quam quidem repræhensionem in humanis scriptis satis ponderis habere fatemur, magni enim interest ad libri decus, & auctoritatem, ab Aristotele potius quàm à CHRYSIPPO illum esse conscriptum; in sacris autem voluminibus nullum eam momentum habere putamus ad ipsorum maiestatem imminuendam dignitatemque labefactandam, ut pote quorum auctorem ipsum Spiritum sanctum agnoscimus [quo inspirante, (ut inquit Beatus Petrus) locuti sunt sancti Dei homines] cum ipsi nihil aliud fuerint, ut docet scriptura, quàm calamus scribæ uelociter scribentis, ut propterea de scriba & calamo non de auctore agatur, cum libri sacri inscriptio in dubium reuocatur; quòd scitè admodum & pie nos commonuit GREGORIUS PRIMVS his uerbis [Sed quis hæc scripserit ualde superuacue quæritur, cum tamè auctor libri Spiritus sanctus fideliter credatur; ipse igitur hæc scripsit, qui & illius operis inspirator extitit, & per scribentis uocem imitanda ad nos eius facta transmisit; si magni cuiusdã uiri susceptis epistolis legeremus uerba, ea quoque quo calamo fuissent scripta quereremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire sensumque agnoscere, sed quali calamo earum uerba imprefa fuerint indagare studeremus; cum ergo rem cognoscimus,

E 4 eiusque

Secundum
genus fal-
sa inscrip-
tio.

2. Pet. 1.

Præf. in li.
Iob. cap. 1.

eiisque auctorem spiritum sanctum tenemus, qui scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?] Quod animaduertentes sancti Patres de Canonicorum librorum scriptoribus non ualde laborauerunt, aut de illis in controuersiam adductis quidquam pertinaciter asseruerunt, sed quod erat dubium, id incertum relinquere maluerunt: Quorum exempla ex libro Iob, Psalmorum & multorum prophetarum uoluminum scriptoribus; in controuersia positis, proferre possemus, idque in epistolis etiam Pauli **HIERONYMVS** obseruauit, palam ipse professus, & fideles præterea admonens, inanem & friuolam esse hanc de scriptore quæstionem, dicens [Illud nostris dicendum est, hanc Epistolam, quæ inscribitur ad Hebræos, nõ solùm ab ecclesijs oriētis, sed ab omnibus retrò ecclesijs græci sermonis scriptoribus quasi Pauli apostoli suscipi, licet pleriq; eam uel Barnabæ, uel Clementis arbitrentur, & nihil interesse cuius sit, cum ecclesiastici uiri sit, & quotidie ecclesiarum lectione celebretur] Quare nos quoque sanctorum Patrum iudicium atque exemplum sequentes, uel potius illorum monitis & præceptis ducti, de librorum scriptoribus non magnopere pugnabimus; si quid tamen huiusmodi obijciatur, non omnino tacite præteribimus, sed quod probabile uidebitur explicantes, breue responsum dabimus; eos tamen libros semper excipiētes, de quorum scriptoribus certa & constans est in ecclesia notitia & traditio, quam diligentissime, ut decet, defendere conabimur; nõ quia scriptores ipsi libro dignitatem tribuant uel detrahant, sed ut temeritati resistamus, atque Ecclesiæ iudicium & testimonium contemni non patiamur. Tertium genus eorum, quæ obijciuntur, illud est, quòd libros aliquot in numerum canonicorum ueteris testamenti retulimus, quos Hebræorum canon excludit, cum tamen congruens & æquum uideatur, ut eorum canonem sequamur, à quibus ipsas scripturas accepimus. Hanc quidem argumentationem

Episto. ad
Dardanū.

Tertium
genus.
Hebræorū
canon.

silentio

silentio non dissimulamus, quam diluendam putamus, sed de ea hoc loco mentionem propterea fecimus, ut simul etiam responderemus; nam post hac molestiam nobis ipsa sæpius exhibente, eadem frequenter repetere cogemur, dum singulos libros ab hac calumnia uindicare studeremus. Negamus igitur canonicos libros ab ipsis Hebræis nos unquam accepisse, sed ab Apostolis, qui à Christo acceperant, traditos illos suscepisse profiteamur, per eosdem enim & fidem accepimus: Quare Hebræorum canone nos astringi negamus, cui etiam nullam fidem adhibendam putamus; ut enim maiores nostri tradiderunt, aliquot diuina uolumina Iudæi iccirco repudiarunt, quia uel Christo Domino illustre testimonium dabant, ut inquit **TERTULLIANVS** his uerbis [Legimus scripturam omnem ædificationi habilem diuinitus inspirari, à Iudæis postea iam uideri propterea reiectam, sicut cætera ferè quæ Christum sonant, nec utique mirum hoc, si scripturas aliquas non receperunt de eo locutas, quem & ipsum coram loquentem non erant recepturi] uel Seniorum, Scribarum, & Iudicum scelera, & flagitia narrabant, qui ne Populo ea paterent, studiose ipsa uolumina abscondenda iudicauerunt, ut testatur **ORIGENES** dicens [Ex ijs quæ Presbiterorum, & magistratum, & iudicum continebant uituperationem, quæcunque potuerunt, sustulerunt eorum sapientes à cognitione populi] & nonnullis interiectis idem repetens dicit [Nõ aliud procurare existimo eos, qui existimabatur sapientes, & principes, & seniores populi, quam ut ea adimerent, quæ eorū continebant accusationem ad populum] Atque hoc putat **ORIGENES** in causa esse, quòd Historia Susannæ in ecclesia peruulgata, inter Hebraica uolumina non inueniatur, inquit enim [Non est ergo mirum, si ueram historiam Susannæ, cui parauerunt insidias impudici seniores, ij qui non longe aberant ab instituto illorum presbiterorum, suffurati sunt, & subtraxerunt à scripturis] Quod autem asserit **ORIGENES** pluribus conie-

Li. de habi
tu mulieb.

Ep. ad Iul.
Africanū.

Præf. in
Tob.
Ep. ad Iul.
Africanū.

ctu-

1. Tess. 2. eturis, ac certis signis confirmatur; certum est enim antiquos
 Prophetas à senioribus & principibus Iudæorum damnatos,
 uarijs supplicijs affectos, & acerbè necatos fuisse, dicente PAV-
 lo APOSTOLO de ipsis Iudæis [Qui & Dominum occide-
 runt Iesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt] Clamante
 etiam STEPHANO [Quem Prophetarum non sunt persecuti
 patres uestri, & occiderunt eos, qui prænuñciabant de aduē-
 tu iusti.] Apertissime verò DOMINO ipso illos de Prophetarum
 nece increpante, cum inquit [Ierusalem, Ierusalem, quæ
 occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt] & rür-
 sus [Vē vobis scribæ, & Pharisei hypocrite, quia ædificatis se-
 pulcra Prophetarum, & ornatis monumenta iustorum, & di-
 citis, si fuissetis in diebus Patrum nostrorum, non essemus
 socij eorum in sanguine Prophetarum] Nec tamen huiusmo-
 di Prophetarum afflictiones, & neces in canonicis scripturis
 usquam legimus; ubi enim quæso, Isaia, Ieremia, Danielis, aut
 alicuius ex duodecim minorū Prophetarum cruciatus & op-
 petitæ mortes sigillatim narrātur? nullibi profectò (quod cer-
 te mirum esse debet) nisi in apocryphis scripturis legantur, in
 quibus Isaiā ipsum inter cæteros sectum fuisse scribitur, quod
 traditione etiam comprobatur, atq; verisimile est PAVLUM
 de eodem intellexisse, ut^a ORIGENES & ^b THEODORETUS
 exponunt, cum secundum Hebraicam phrasim plurali nume-
 ro dixit Prophetas sectos esse his uerbis [Lapidati sunt, secti
 sunt, tentati sunt, & in occisione gladij mortui sunt] hi tamen
 libri multis mendacijs referti sunt, ab hebræis fortasse dedita
 opera insertis, ut nulla illis, tanquam commentitijs, fides ad-
 iungeretur; de quo ORIGENES nos commonuit dicēs [Quod
 quidem fortasse consultò per dolum factum est à Iudæis, qui-
 busdam non decentibus scripturæ iniectis dictionibus, ut
 toti fides abrogaretur] Hinc factum est, ut Iudæi quidem li-
 bris, nos autē Iudæis fidem omnem abrogaremus, nec quid
 illi de libris canonicis, sed quid Ecclesia sentiret obseruare-
 mus,

1. Tess. 2.

Act. 7.

Matt. 23.

Luc. 13.

Matt. 23.

a Epist. ad
Iul. Africanum.In epist. ad
Heb.

Heb. 11.

Ep. ad Iul.
Africanū.

mus; de quibus libris sermonem habens HIERONYMVS dice-
 bat [Melius est Phariseorum displicere iudicio, & episco-
 porum iustionibus deseruire] & ante ipsum ORIGENES mo-
 nebat [Vide ergo ne imprudentes & inscientes abroge-
 mus exemplaria, quæ habentur passim in ecclesijs, & le-
 gem statuiamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui
 apud eos feruntur libros, assententur autem Hebræis] Quod
 (exempli causa) obseruans, NICÆNVM CONCILIVM, in
 numerum sanctarum scripturarum retulit teste HIERO-
 NYMO librum Iudith, quem Iudæi à Canone iam exclu-
 serant, & AVGVSTINVS Machabæorum libros inter
 canonicos numerare non est ueritus, de illis dicens [Quos
 non Iudæi, sed ecclesia pro canonicis habet] Definitum
 itaque & constitutum iam sit in canonicis libris dijudican-
 dis Iudæorum canonem non esse consulendum, sed Ec-
 clesiæ traditionem diligentissime obseruandam; quod si
 posthac molesti nobis erunt, qui Hebraicum canonem
 religiose uenerantur, breuissime respondebimus, arbitran-
 tes hac generali defensione singulis etiam esse abunde satisf-
 factum. Quartum uerò & postremum argumentationis
 genus late admodum patet, atque ex uarijs coniecturis,
 signis, consequentijs, ac Patrum testimonijs sumitur; ad
 quæ singula nos responsuros pollicemur, ut totam hanc
 argumentationem diluamus, atque firmam & ratam osten-
 damus, quam protulimus, Ecclesiæ traditionem, quæ qui-
 dem nulla ui labefactari, aut loco dimoueri unquam po-
 terit.

Præf. in
Tob. ep. ad
Iul. Afric.Præf. in
Iudith.Lib. 2. de
doct. Chri-
stia. c. 8.Quartum
genus ar-
gentis.

Librorum Canonorum parem semper fuisse in ecclesia dignitatem, & auctoritatem, singulosque pro sacris & diuinis semper habitos fuisse. Cap. XVIII.



VT responsiones, quas allaturi sumus, clarius percipiantur, atque illarum momenta diligentius perpendantur, operæ pretium erit in primis cognoscere, an inter canonicos libros aliqui sint, qui cæteris dignitate atque auctoritate fuerint aliquando inferiores, vel etiam pro sacris habitis in ecclesia quandoque non fuerint; de hoc enim uariæ dicuntur sententiæ, ad ea uerò quæ obijciuntur propulsanda, multum profectò interest, hoc ne an illud sentias; Quam quidem dubitationem afferunt aliquot Patrum dicta pie interpretanda, ut est illud **HIERONYMI** de Iacobi epistola [Quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur, licet tempore procedente obtinuerit auctoritatem] & illud [Judith, Tobix & Machabæorum libros legit quidem ecclesia Dei ad ædificationem plebis, sed eos inter canonicas scripturas non recipit] & aliud huic simile eiusdem **HIERONYMI** de Sapientia Salomonis & Ecclesiastico sermonem habentis [Hæc duo uolumina legat ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam] Nec minorem molestiam exhibent **AVGVSTINI** dicta, præsertim uerò Regula illa, quam ipse tradit de libris canonicis dijudicandis, atque singulorum dignitate & auctoritate examinanda, ibi enim gradus quosdam habere illos declarat, ordines assignat, ac notas indicat, quibus cuiusque ordo interno scatur, his uerbis [In canonicis autem scripturis ecclesiarum catholicarum quam plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt, tenebit igitur hunc modum

Li. de uiris
Illust.
Præf. in
Prouer.

Prolog. in li.
Salomonis.

Lib. 2. de
doct. Chri
stianis.

modum in scripturis canonicis, ut eas quæ ab omnibus accipiuntur ecclesijs catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt; in eis uerò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresque accipiunt, eis, quas pauciores minorisque auctoritatis ecclesiæ tenent; si autem alias inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi, quamquam hoc inuenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto] Ex qua Augustini Regula recentiores quidam Hæretici necessaria, ut ipsis uideatur, consecutione concludunt, libros omnes canonicos non esse certissimè, & ut dicunt, infallibilis ueritatis, utpote qui non sint auctoritate pares, sed alij alijs præferantur. Verum oscitantes isti hallucinati sunt, neque enim hæc est Augustini sententia, quam quidem posterius explicabimus, nec fieri potest quin omnes canonici libri sint certissimæ ac exploratissimæ ueritatis, cum a Spiritu sancto dictati sint, qui mentiri nescit, & uerba sint Dei, quæ præteri non possunt: propterea **CONCILIUM TRIDENTINUM** sacrorum librorum canone edito, statim æque de omnibus hæc uerba profert, parem auctoritatem ac certitudinem significantia [Omnes itaque intelligant quo ordine & uia ipsa synodus post iactum fidei confessionis fundamentum sit progressura, & quibus potissimum testimonijs, ac præfidijs in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in ecclesia moribus sit usura] Quod animaduertentes quidam catholici uiri asseruerunt omnes quidem canonicos libros certitudine, auctoritate, ac dignitate inter se pares esse, cum iam in numerum sacrorum relati sint, quandoque tamen impares fuisse, alijs pro Diuinis & sacrosanctis olim habitis, cæteris uerò pro apocryphis, dubijs & controuersis, uel ad summum ecclesiasticis, id est ad solam plebis ædificationem in ecclesia recitandis, ut **HIERONYMVS** commonebat, atque etiam **ATHANASIVS** & **RUFFINVS** quandoque attestati sunt, Qui ecclesiastici libri, ut inquit **HIERONYMVS** [Procedente tempore obtinuerunt

Hæreticorum opinio.
Chemnitii.
Cōfutatio

Seff. 4.

Opinio aliorum.

a Synopt. script. in sym. Apo. Li. de uiris Illustr. Cōfutatio

Cōfutatō. runt auctoritatem.] Hæc quidem sententia, quamuis à Patrum uerbis ne latum quidem unguem uideatur discedere, ab eorum tamen sensu longissime abest, cum à ueritate ualde dissideat, quam sancti uiri in primis profesși & amplexi sunt; error autem istorum ex eo facile depræhenditur, quod Verbum quod libet diuinum à Deo ipso, ut iam pridem explicauimus, certitudinem, auctoritatem, ac dignitatem omnem accipit; (Dans enim formam, ut inquit ille, dat etiam consequentia formam) neque aliunde congruenter accipere certe posset, (absit enim, ut nobis persuadeamus Ecclesiã uerbo Dei certitudinem tribuere, uel etiam auctoritatem) Cum itaque omnes isti libri in numerum sacrorum iam relati, suam omnem secum attulerint certitudinẽ & auctoritatem; quamprimum in lucem editi sunt, pares quoque inter se semper fuisse necesse est, nec aliqua auctoritate tempore consequente auctos fuisse. Iccirco doctiores uiri hanc repræhensionis notam effugientes, eandem responsionem moderatius temperarunt, dicentes, pares quidem semper inter se fuisse libros omnes canonicos, tum certitudine, tum etiam auctoritate & dignitate, cognitione tamen & tempore impares omnino fuisse, cum Ecclesia aliquos semper uenerata, cæteros longo tempore tanquam sacros & diuinos non agnouerit. Quapropter isti libros ipsos canonicos in duas classes distribuunt, in prima eos collocantes, qui ut diximus, cognitione, & tempore cæteros antecedunt, quos propterea protocanonicos appellant; in altera uerò describentes posteriores illos, Deuterocanonicos meritò nuncupandos, qua quidem distinctione Patrum sententias commode conciliari posse ipsi arbitrantur; In eorum tamen sententiã ne discedamus, plura sunt que nos retardant, in primis uerò quia, ut initio huius Opusculi demonstrauimus, traditione ducimur ad sacros libros amplectendos, quæ quidem nulla esset, si aliquibus temporum interualis interrupta ad Apostolos usq; reuocari nõ posset, inde enim

manare

Alia Opinio
fixius
lib. 1. Bib.
sanctæ.

Cōfutatō

manare ipsam necesse est, & continua serie ad nostra usq; tempora fluere, ut Patrum testimonijs, præsertim uerò Augustini contra Faustum, abunde probatum est. Quòd si Apostoli hos libros tradiderunt, profectò etiam ut diuinos sermones Ecclesiæ commendarunt, nisi id occultâtes, Dei uerbum (quod absit) iniuria affecerint, & nobis, (quod Paulus negat) aliquid subtraxerint utilium, quominus omne Dei consilium & uerbum annunciarint. Deinde uerò, cum ecclesia sit custos uerbi Dei, ut suo loco demonstratum est, hos quoque libros Dei uerba complectentes ab Ecclesia oportuit custodiri, & ab ea præsertim quæ Apostolicis temporibus maxime illustris florebat; quod si custoditi illi fuerunt, non quidem quomodolibet asseruati, sed in decenti (altissimo. s. diuinarum scripturarum gradu) collocati intelliguntur; Quare & ab eadem Ecclesia agniti ac uenerati fuerunt, quod nos etiam Patrum testimonijs cumulatè iam demonstrauius, cum illorum librorum traditionem usque ad nascentem ecclesiam reuocauimus; Quos propterea necesse est asserere cæteris libris nec auctoritate & dignitate, nec etiam cognitione & tempore impares & inferiores esse, sed neque Augustini sententiæ, quam paulo ante protulimus, horum responsio congruere uidetur, cui tamen uel consentire, uel eius saltem dicto satisfacere oportebat; is enim non de cognitione & tempore, sed de librorum auctoritate loquebatur, secundum quam alter alteri preferatur, uel cum eo conferatur; quod postremis uerbis non obscure significat dicens [æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto] neque in duas classes canonicos libros, quod isti faciunt, ille distribuēbat, sed in quatuor partiebatur; in prima nimirum eos collocans, quos omnes catholicæ ecclesiæ uenerantur, in secunda quos plures & grauiores ecclesiæ coniunctim, in tertia quos plures uel grauiores disiunctim, in quarta quos pauciores & maioris auctoritatis ecclesiæ suscipiunt, ut iam ex

Augu-

Lib. 2. de
doctr. Chri-
stia. c. 8

Alia Opinio.
Ambrosius
cantarin.

Augustini Sententia non solum sint libri, qui inter se collati dici possint Protocanonici, & deuterocanonici, sed præterea Tritocanonici, & Tetarto canonici. Has igitur difficultates, quas nunc attulimus, uir quidam acutissimus multo ante fortasse prospiciens, & ne delaberetur in illas diligenter cauens, noluit concedere aliquos canonicos libros ab orthodoxis Doctoribus & ecclesiarum pastoribus neglectos unquam fuisse, uel illos latuisse, sed ecclesie distinctionem protulit, ex ipsa quidem scriptura depromptam, in qua non raro ecclesia accipitur pro prælatis & Pastoribus, ut cum præcipit [Vade, & dic ecclesie] Aliquando uero pro subiectis ipsis, fideli scilicet populo, ut ibi, [Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo uos posuit Deus regere ecclesiam Dei] Hoc posito, respondet ipse, Hieronymum cæterosque Patres afferentes Ecclesiam uel ecclesias aliquos canonicos libros non suscipere, locutos esse de ipsis subiectis fidelibus, non autem de Prælatis & Pastoribus, qui Apostolorum traditionem non ignorantes, utpotè quibus admirabili continuatione neccerentur, eandem populo commendabant; sed cum in populo, ut frequenter fit, non deessent seditiosi uiri, Schismatici, atque etiam Hæretici, sanam doctrinam, ut inquit Paulus, non sustinètes, & ceteros prauis opinionibus corrumpentes, atque à sacrorum librorum lectione & ueneratione auertentes, accidit sæpius, ut aliquæ subiectorum ecclesie nonnullos libros repudiarint, & tanquam diuinos non susceperint. Hæc tamen (quod eius pacè dixerim) responsio non uidetur Patrū dictis congruere, qui non obscure de ipsis etiam Pastoribus idem affirmant, ut (exempli causa) HIERONYMVS cum dicit [Iudith, Tobie, & Machabæorum libros legit quidem ecclesia ad ædificationem plebis, sed eos inter canonicas scripturas non recipit] certum est cum dicit [ecclesia legit] loqui illum de Prælatis, qui legunt & interpretantur populo, & ex quorum auctoritate libri publicè leguntur, quod etiam uer-

ba

Cōfutatio

præse. in
Proxi.

ba ista declarant quæ sequuntur [ad ædificationem plebis] cum enim plebs audiendo ædificetur, Prælatus erit qui legendo ædificat, quod si Pastor est qui legit, idem erit etiam qui non recipit, nisi dixeris in uerbis Hieronymi (quod absit) esse uitium illud, quod dicunt æqui uocationem, ut scilicet cum dixit [legit quidem ecclesia] loquatur de Pastoribus, cum uero statim adscripsit [Sed eos non recipit] Sermonem habeat de subiectis, quod quidem uitium nec ferendum, nec de Hieronymo suspicandum est: Præterea uero cum idem HIERONYMVS alio in loco de sapientia & ecclesiastico dicebat [Hæc duo uolumina legat Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam] non poterat loqui nisi de Doctoribus & Pastoribus, ad quos solos pertinet auctoritatem ecclesiasticorum Dogmatum confirmare, libri autem, quibus ea dogmata confirmari non debent, tanquam canonici non suscipiuntur, Quare illa duo uolumina à Doctoribus & Pastoribus ex Hieronymi sententia reijciuntur. Denique etiam ueritati ipsi hæc responsio aduersatur, ut enim posterius apertissime cognoscemus, non defuerunt Doctores & Pastores, qui de nonnullis libris ualde dubitarint, & aliquos etiam apertè repudiarint. Quare ad propositam quæstionem aliter erit respondendum, quid autem dicendum sit in re tot obstructa difficultatibus, non est facile perspicere, operæ pretium tamen erit in primis cognoscere quid significemus, cum librum esse canonicum dicimus; Si igitur proprijsimè loquamur, Canonicus liber is erit, qui in ecclesie canone scripto in numerum diuinarum scripturarum relatus est, sicut electiones, pœnæ, atque his similia canonica eadem ratione dicuntur. Quæ quidem uerbi significatio est maxime usitata, propterea INNOCENTIVS libros canonicos enumerans dicebat [Hi libri recipiuntur in canonem sanctarum scripturarum] & AVGVSTINVS [Neque enim sine causa tam saluber uigilantiæ canon-

F eccle-

Proel. in li.
Salomonis

Opinio au
toris.

Quid sit ca-
nonicus li-
ber.

Episto. ad
Eup. epist.
Tot. Contra
Cres. Gram.
lib. 2.

ecclesiasticus constitutus est, ad quæ certi Prophetarum Apostolorum libri pertineant] minus autem propriè, & usitatè dicuntur canonici, qui cæteros dignitate & præstantia antecedunt, ut propterea illorum quasi *κανών* & norma ac regula sint, quam significationem quandoque usurparunt antiqui Patres, ut **DIONYSIVS AREOPAGITA** cum dixit [Sin autem Diuinorum scriptorum ueritatem sibi habet propositam, nos quoque ac quasi norma & luce adhibita constanter ad defendenda nostra pro uirili parte uenimus] **ATHANASIVS** quoque enumeratis singulis testamenti noui uoluminibus dicebat [Hi sunt & tot noui testamenti libri canonici, & fidei nostræ uelut primitiæ quædam, uel certæ anchoræ & sustentacula, utpote ab ipsis Apostolis Christi, qui & cum illo conuersati, & ab eo instructi sunt, conscripti & expositi, quamuis postea ad istorum normam & consonantiam alij innumeri sint à Patribus elaborati] & **AVGVSTINVS** scribens aduersus Faustum Manichæum, & contra Cresconium Grammaticum affirmat ostenditque libris canonicis utendum esse tanquam norma & regula ad aliorum scripta dijudicanda, in qua significatione appellat etiam canonicos ipsos sacros scriptores, cum cæterorum scribentium *κανών* esse illi debeant, non secus atque ille de quodam dicebat [Heus tu qui *κανών* esse meorum scriptorum soles] Tertiò usurpatur quandoque Canon cum à Patribus pro uero & germano, & quasi dicas legitimo; sicut enim à lege legitimum, ita à canone canonicum illi uerbum duxerunt, ut cum **AVGVSTINVS** inquit [Proinde quia ex Pauli Apostoli canonicis, id est uerè Pauli epistolis, utrumque profertur] His autem canonici significationibus explicatis dicimus libro omni, cuiuscunque prima Canonici significatio congruit, secundam quoque & tertiam conuenire, à quo autem istæ non abhorrent non propterea illi congruere primam: Illud etiam animaduertendum putamus, libros certitudine, auctoritate, & cognitione pares uel impares esse, duobus

De diu.
Nom.

Synopt.
fac. script.

Li. 11. c. 5.
Lib. 2. c. 37.
Lib. 11. cōtra Faustum,
cap. 6.
Cicero.

Cōtra Faustum li. 11.

bus modis accipi posse, ut uel in scriptis, uel quo ad ecclesiam intelligatur. Quò uerò ad Ecclesiam intellecti adhuc bifariam accipiuntur, uel scilicet quò ad ipsam Catholicam ecclesiam, uel quò ad singulares ecclesias, siue subiectorum, siue etiam Prælatorum illæ fuerint; Quibus positis & animaduersis pluribus etiam enuociationibus, totam quæstionem explicantes, in primis dicimus libros Canonicos proprijsime acceptos, postquam in sacrorum numerum relati sunt, pares inter se certitudine auctoritate & cognitione esse, non solum in seipsis, Sed quò ad ipsam catholicam ecclesiam, & quò ad singulas ecclesias, tum Prælatorum, tum fidelium subiectorum. Cuius dicti ratio est, quia eundem auctorem habentes Spiritum sanctum pares omnino in seipsis sunt, Ab ecclesia catholica, ut diuini, suscepti & cogniti, apud eandem quoque in summa sunt æqualitate positi. Singulis uero ecclesijs propositi, & sub anathemate pariter commendati, ab unoquoque fidei Prælato uel subiecto æque agnosci, & in pari honoris gradu haberi debent, ut in posterum illos repudiare uel de iisdem dubitare nemini liceat. Secundò affirmamus libros canonicos secundæ & tertiæ significationis pares certitudine, auctoritate, & cognitione esse in seipsis, & quò ad ecclesiam catholicam, quò uerò ad singulares ecclesias tum Prælatorum, tum subiectorum impares illos esse non solum cognitione, sed etiam auctoritate, & certitudine. Ratio dicti est, quia ab eodem Spiritu sancto dictati, & canonicorum scriptorum ueri & germani, ut aliorum canones esse ipsi debeant, necesse est ut pares in seipsis etiam sint, ecclesiæ quoque catholicæ, Christi sponsæ, uerbi Dei custodi, & fidelium magistræ diuina ipsa uerba concredita esse oportet. Quare Apostolos quidem illos tradidisse, ecclesiam uerò eosdem suscepisse, & traditos libros semper agnouisse atque in pari gradu collocasse fatendum est. Singulares tamen aliquæ ecclesiæ tum Prælatorum, tum subiectorum, quibus hæc Apostolica traditio minus quandoque nota

Prima conclusio.

Secunda conclusio.

ac perfecta fuit, aliquos libros non solum in dubium uocare potuerunt, sed palam se dubitare, uel etiam illos repudiare professæ sunt, ut posterius abundè cognoscemus, idque in multis præterea fidei Dogmatibus euenisse scimus, quæ ab Apostolis tradita, & à Catholica ecclesia custodita, à pijs tamen quibusdam non solum ex uulgo, sed etiam doctoribus & Pastoribus quandoque non agnoscebantur, cum Apostolica traditio illis tunc temporis non esset perfecta, quæ postea in generalibus Concilijs dilucidata, & omnibus exposita, pij ubique uiri omnem prorsus dubitationem abijciantes, illam amplexi sunt, quod & in ipsis libris canonicis contigisse animaduertimus. Iam uerò facilis, ni fallor, erit ad ea quæ obijciebantur, responsio. Augustinus enim in quatuor ordines libros canonicos distribuens, de secundæ & tertiæ significationis libris loquebatur, quos propterea ab aliquibus ecclesijs, tum suscipi, tum non suscipi affirmabat, ab omnibus enim ecclesijs qui suscipiuntur notissimæ traditionis illos esse nos dicimus, qui uerò ab aliquibus repudiantur, ab Augustino in tribus posterioribus ordinibus collocati, nos minus notæ traditionis appellamus, quos mirum non est, si auctoritate impares illos dicat Augustinus, cum ab omnibus ecclesijs in eodem honoris gradu non haberentur. Cum uero Hieronymus, & alij Patres asserunt aliquos canonicos libros repudiari, uel in dubium uocari, ipsi quoque de secundæ & tertiæ significationis libris loquentes, non à Catholica Ecclesia, sed à singularibus ecclesijs id fieri affirmant, ut non obscure illorum testimonia, etiam obiecta significant. Nisi fortasse alicui difficultatem afferat dictum illud **HIERONYMI** [Judith, Tobix, & Machabæorum libros legit quidem ecclesia Dei ad edificationem plebis, sed eos inter canonicas scripturas non recipit] cum enim dicat [ecclesiam Dei] uniuersalem significare uideretur, non aliquam singularem Ecclesiam. Cui respōdemus, nihil nobis obstare indefinitum hunc

Hie-

Responsio-
nes.

Pref. Prou.

Hieronymi loquendi modum, indefinita enim propositio (ut Dialecticorum regulis, ac tritis apud eos uocabulis utamur) æquipollet particulari, ut idem prorsus significet, ecclesia Dei non recipit, quod ista enunciatio; Aliqua ecclesia Dei non recipit. Vel (si magis placet) dicas Hieronymum hoc in loco loqui de scripturis canonicis propriissime acceptis, in quarum numerum illi libri nondum erant relati. Quòd si quis etiam non uereatur affirmare horum librorum traditionem non fuisse Hieronymo usquequaque perspectam, non pugnamus, cum ipsum, & alios quoque Patres de quibusdam libris canonicis olim dubitasse pro comperto habeamus, ut singulos libros posterius examinantes cognoscemus. Nos tamen posthac libros canonicos appellantes propriissime acceptos intelligemus, quos tanquam canonicos in plures classes non distribuimus uel distribuendos putamus, cū (ut diximus) sint omnino pares, & in Conciliorum canonibus æquo ordine numerentur, tanquam uerò traditos, (ita enim potius, quàm minus proprie canonicos, illos nuncupare libuit, ut omnem ambiguitatem sciētij infensam uitaremus) dicimus in eas, quas iam numerauimus, classes distribui, Notissimæ scilicet, uel minus notæ traditionis. Quòd si cuiquam in hanc nostram sententiam illorum dicta perduci posse uideantur, quos ad hanc Questionem respondentes iam confutauimus, erit id quidem nobis gratissimum, & dexteram iungentes amicissime amplectemur; nos uerò, si fortè errantes benignè quis commonuerit, maximo beneficio sibi deinctos is semper habebit.

Responsiones ad ea, quæ libris Esdræ & Tobiaë obijciuntur. Cap. XIX.



Is verò omnibus animaduersis ac notatis, tum nobis aditum comparauimus ad diluendas aduersariorum argumentationes, tum auditorem ipsum instructiorem præstitimus ad breuium responsionum uim percipiendam; Quibus præsidij muniti cõminus iã in acie pugnabimus: Primi aut̃ nobis obuiã fiunt, qui **ESDRÆ LIBROS** oppugnant, qui quidem illis obijciunt Hebræorum & canonem & codices, in quibus unicus est liber Esdræ, ut & proterea ex duobus, qui apud nos leguntur, alter necessario redundet, idemque **ISIDORI** testimonio confirmant dicentis. [Esdræ Liber auctoris sui titulo prænotatur, in cuius textu eiusdem Esdræ Neemiæque sermones pariter continentur, nec quemquam moueat, quòd unus Esdræ dicitur liber, quia secundus, tertius & quartus nõ habentur apud Hebræos, sed inter Apocryphos deputantur] Ad quæ breuiter respondemus totam hanc controuersiam sola sectione dirimentes; Quod enim apud Hebræos & Isidorum unum est uolumen, idem in duas partes diuisum fit apud nos duplex; testatur hoc **HIERONYMVS** dicens [Apud hebræos Esdræ Neemiæque sermones in unum uolumen coarctantur] testatur ipse etiam **ISIDORVS** se idem sentire cum ait [Esdræ liber auctoris suis titulo prænotatur, in cuius textu Esdræ, Neemiæque sermones pariter continentur] secundus igitur Esdræ liber, quem Isidorum respuere dicebant, inde exordium capit [Et fecit Iosias] quem nos quoque, tertio tamen loco numerantes, repudiamus, Primum enim in duos partientes, secundi initium facimus ab illis verbis [Verba Neemię filij Helchię] diuisumque ueneramur eum, quem unum legit cum Hebræis Isidorus. **LIBRVM** uerò **TOBIAE** repudiant Iudæi atque recentiores hæretici; illud in primis ei obijcientes, quod in canone hebræo-

Quæ obijciuntur libris Esdræ.

Li. 6. etym. c. 2.

Responsio.

Præf. in Esdræ. Li. 6. etym. c. 2.

Li. 3. Esdræ. c. 1.

2. Esdræ c. 1.

Quæ obijciuntur Libro Tobie

bræorum non habeatur; Deinde uerò quia inter se non cohærentia in illo legantur, Primo enim narratur Saram Ragueles filiam à iuniore Tobia in matrimonium ducendam habitare Rages, quæ est Medorum ciuitas, postea uerò iam confecto itinere, cum ipse Tobias apud socerum Raguelem, & Saram sibi desponsatam maneret, Raphaelem angelum his uerbis alloquitur. [Obsecro te, ut assumes tibi animalia siue seruitia, & uadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum, reddasque ei chirographum suum, & recipias ab eo pecuniam, & roges eum uenire ad nuptias meas] Ecce quomodo pugnantia loquitur. Sara enim Rages commoratur, apud ipsam manet Tobias, & inde mittit Raphaelem Rages ad Gabelum, ut scilicet, Rages cum ipse sit, Rages tamen mittat, quasi eadem ciuitas à seipsa distet. Tertiò obijciunt **HIERONYMI** testimonium qui ait [Tobiaë librum legit quidem Ecclesia ad ædificationem Plebis, sed eum inter canonicas scripturas non recipit] Quas argumentationes nos diluentes dicimus iam abunde demonstratum esse Hebræorum canonem non esse à Christianis hominibus consulendum; Quod etiam hoc in loco **HIERONYMVS** commonet dicens [Melius est Pharisæorum displicere iudicio, & Episcoporum iussionibus deseruire] Quæ uerò inter se pugnare uidentur, nonnulli conciliant scribarum erratum proferentes, scilicet Rages scribentium, cum altero in loco Ecbatanam scribere debuissent, ita enim in græco codice legitur, quem etiam sequitur **ATHANASIVS** in Synopsi; Hæc tamen responsio nobis minus probatur, tum quia Salmanasar, & Sennacherib Reges, sub quibus Tobiam uixisse narrat scriptura, fuerunt Diocle ætate superiores, à quo Herodotus & Eusebius Ecbatanam ædificatam fuisse commemorant, tum etiam quia in uulgata latina editione legitur Rages, à qua transuersum unguem nos discedere non oportet. Dicamus igitur fieri potius potuisse ut duæ Medorum Ciuitates eodem nomine appellarentur, in altera Gabe-

Brentius in conf. Illi-temberg. Cent. lib. 2. Cen. 1. c. 4. Tob. 3.

Tob. 9.

Præf. in Prou.

Responsio

Præf. in Tob.

Medina li. 6. de recta fide c. 14.

lo commorante, in reliqua Raguele; uel etiam dicamus; cum Raguel in oppido habitaret ipsi Rages proximo, illud ob uicinitatem scripturam nuncupasse eodem, notissime scilicet ciuitatis, nomine, uel dixerimus ipsam Rages ciuitatem non fuisse muris circumdatam, sed pagis diuisam, & uicatim per agros dispersam, Qualem Niniuem ipsam fuisse nonnulli suspicantur, minus uerisimile arbitantes tantam fuisse ciuitatem aliquam muris septam, ut (quod narrat scriptura) iter trium dierum contineret, ac propterea Raguel & Sara in uno Pago habitasse, in altero commorante Gabelo, ad quem inde profectus sit Raphael. Aut tandem si magis placet, dicere possumus, non legi in scriptura Sarę patriam, ac domicilium fuisse Rages, sed id solum de ea narrari, quod ibi tunc temporis fuerit, cum ancilla ipsius septem uirorum interitum illi obiecit, id uerò in aliena ciuitate aliqua occasione contigisse equidem potuit, cum scilicet Raguel aliquando cum ipsa Sara Rages fortè profectus esset, ad uicinam nimirum, & amplam ciuitatem, ut pote qui in proximo oppido domicilium haberet, in quo postea hospiti Tobię fuit desponsata, ut inde Raphael Rages ad Gabelum missus fuerit. Ad id uerò, quod tertio loco obijciebatur, dicimus aliquas Ecclesias hunc librum non suscepisse antequam in numerum sacrorum Ecclesiastico canone esset relatus, ut potè qui minus notæ ac perfectæ traditionis esset.

Defensio Libri Iudith: Cap. XX.



IBRVM Iudith aspernantur Iudæi, in sacrorum numerum illum non referentes, ut pote quem antiquus ipsorum canon non complectatur, Iudæos uerò auctores sequuntur. ^a VV item bergenses & ^b Madeburgenses hæretici, in eundem canonem oculos adijciantes; atque in suam sententiam **H**ERONYMVM ipsum per-

du-

ducetes ad qui ait [Iudith librum legit quidè ecclesia Dei, & edificationem plebis, sed cum inter canonicas scripturas non recipit] Tandem uerò huius historię auctorem mendacij arguetes, quod narret Nabuchdonosor quendam Assyriorum Regem cum nescio quo Arphaxat Medorum Rege bellum gefisse, quod bellum inter potentissimos Reges confectum silentio præteriri non potuit à profanis scriptoribus, qui earum nationum singula gesta, & leuia etiam prælia accuratè conscripserunt, nec ipsorum Regum nomina tacite prætermitti debuerunt ab iisdem succedentium Regum seriem diligentissime explicantibus, in quorum tamen monumentis horum Regum nec nomina nec bella leguntur, ut propterea ab aliquo imperito Iudæo potius, quàm à spiritu sancto hæc omnia tradita esse uideantur. Hæc illi. Nos uerò contra Ecclesię canone & traditioni inhærentes, fallaces aduersariorum argumentationes nihili facimus, in primis enim Hebręorum canonem cum ecclesia pugnantem respuimus, ecclesias illas quibus teste Hieronymo huius libelli traditio quandoque perspecta non fuit, pie excusamus, mendacij autem notam non agnoscimus, sed calumniam facile propulsamus, dicentes nec Reges, nec eorum gesta à profanis scriptoribus esse prætermissa, sed diuersis uocabulis explicata, proprias enim quasdam tum Regum, tum locorum nOppidorumque nomenclationes habuisse Diuinam scripturam à gentium appellationibus discrepantes, quod quidem nos inducentes facile, si opus esset, demonstraremus; quod uerò attinet ad Nabuchodonosor Assyriorum, Atque Arphaxat Medorum Reges, quos Iudith historia commemorat, si quis curiosè percunteretur quinam illi fuerint, uel quibus nominibus à Gentibus, historicisque uocati sint; sciat rem esse (ni fallor) in opinione dubiam, quæ nec firma coniectura explicari, nec testium uel scriptorum constanti consensu probari fortasse possit, hanc uerò difficultatem affert cum rei à nostra memoria remotissi-

mæ

Præf. in
prou.

Iudith. 1.

Responsio

^a Brent.
conf. VV.
^b Li. 2. c. 4.
1-c. 4.

mæ nimia uetustas, tum scriptorum summa dissensio; Herodotus enim, Iustinus, & Orosius celebres historici, Assyriorum, Medorum, atque Persarum gesta narrantes, illorumque Regum seriem explicantes cum Beroso Chaldæo, Metasthene Persa, Chtesia Gnidio, Philone Iudæo, & Diodoro Siculo maxime pugnant; Atque illos quidem auctores sequuntur Iosephus, Afranius, Eusebius, & Hieronymus illustres ecclesiastici scriptores, horum uerò auctoritate ducuntur Annius diligens inuestigator antiquitatis, & Ioannes Driedonis acris iudicij uir, alijque complures ex recentioribus, quibus persuasum est Berosum uetustissimum scriptorem, certum esse antiquitatis testem, Metasthenem ex ipsa Sufiana Bibliotheca erutam historiam conscripsisse, Ehtesiam ex Persarum annalibus, atque ex Regum commentarijs conquisitam antiquitatem (teste Diodoro) Græcis tradidisse, Philonem ex septuaginta seniorum monumentis annales confecisse, Diodorū diligentem ac fidelem esse: Alijs tamen doctis uiris constanter repugnantibus, ac plurimis rationibus, ut ipsi putant, euinentibus suppositos, adulterinosque esse Berosi, Metasthenis, Ehtesiæ, Philonisque libellos, quibus propterea nulla sit fides adhibenda, Diodori quoque historiam mendosam esse demonstrantibus; Nec defuerunt recentiores quidam historicum dissidium istud ita ægre ferentes, ut illos inter se conciliare experti sint, quorum conatus non sunt quidē reprehendēdi, exitus tamen probari non possunt. Rem igitur antiquissimam, & diuersè ab historicis traditam, certò affirmare temerarium uideri posset, eam uerò diligenter rimari labor esset operosus, & nostro Auditori molestus, ac inutilis, atque scriptorum discordias sedare arduum nimis esset, in & periculosum. Quare longa hac & superuacanea disputatione prætermissa, satis nobis erit credere totam hanc Iudith historiam uerissimam esse, quam ipse spiritus sanctus tradidit, & uir grauis & fidelis tunc uiuens scripsit, ut Iudæi ipsi traderunt

Melchior
Cano.

Carion.

derunt, qui propterea mendosam illam esse negant, quamuis inter diuina uolumina non enumerent. An uerò Reges illi Assyriorum atque Medorum, de quibus in ipsa habetur mentio, uel Cambyfes, & Diocles, uel Auerus præscus Artaxerxes, uel Darius, uel quiuis alii uocati sint, nostra nihil profectò interest, cum tamen illud sit exploratissimum, eisdē Reges in ea commemoratos alijs nominibus profanis historicis fuisse appellatos, quorum scriptorum dissidio illorummet auctoritas conuellitur, Diuinæ autem scripturæ constans ueritas magis persuadetur.

Opinio ali
quorum.

Libri Esther, atque illius controuersarum partium defensio. Cap. XXI.



LIBRO Esther obiicitur MELITONIS SARDENSIS episcopi auctoritas, qui in epistola ad Onesimam, quam recitat EUSEBIUS, librorum sacrorum enumerationem recensens, in eorum numerum hunc librum non reulit. ATHANASIVS uerò non modò in canonicorum numero illum nò habuit, sed nominatim etiam exclusit. GREGORIUS quoque NAZIANZENSIS Diuina uolumina enumerans, eundem prætermisit. Quorum quidem Patrum testimonia grauissima sunt. Ad ea tamen respondemus, opposcentes primò aliorum omnium auctoritates, & totius ecclesiæ iudicium ac traditionem, deinde dicentes illos hebræorum canonē quendam secutos esse, ut ex uerbis Athanasii nò obscure conicitur, quibus tamen ipse testatur hebræos antiquiores inter diuina uolumina illum numerasse; ait enim [Quidam autem ex ueteribus apud Hebræos pro canonicis reputari dixerunt librum Esther, & historiam Ruth, quam cum historiis iudicum uno libro comprehendi, Esther uerò ad aliud quoddam uolumen canonicum pertinere, atque ita numerum uigesimum secundum canonicorum librorū apud illos

Li. 2. histo.
Eca. c. 15.
Synopt. sacrae scrip.
Lib. carminum.
Responsio.

Synop. a
crae scrip.

Controuersarum partium lib. Esther op-pugnatio.

Esther. 12.

Esther. 6.

illos compleri uelunt] potuit præterea fieri, ut suspecta istis cum essent postrema libri capita, de toto etiam uolumine ipsi propterea dubitarint, quorum traditio olim obscurior cum iam abundè sit dilucidata, reliquum id unum est, ut illa ab obiectis uitii, & Patrum testimoniis defendamus. Dicunt enim obtrectatores in primis, illa pugnare cum ceteris eiusdem libri partibus, in secundo enim capite narratur Bagatam ac Thares Regis Eunucos de interficiendo Assuero Rege coniurasse, Regni quidem illius anno septimo. Deinde uero xi. & xii. cap. eorundem Eunuchorum in regem coniuratio scribitur, sed in Artaxersem, atque illius Regni anno secundo. Quæ quidem non modò non cohærentia, sed maxime disuncta, & contraria uidentur. Deinde uerò in eodem decimosecundo cap. narratur hæc cõiurationem à Rege opera Mardochei fuisse depræhensam, ipsum uerò Mardocheum statim præmijs liberaliter donatum, scriptum est enim [Præcepitq; ei Rex ut in Aula Palatii moraretur, datis ei pro delatione numeribus.] cum tamè alibi scriptum sit, quòd hac coniuratione longo post interuallo coràm Rege ex annalibus recitata, Rex eos, qui in conspectu ipsius astabant, seruos interrogauerit [Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardocheus consecutus est? dixerunt ei serui eius ac ministri, Nihil omnino mercedis accepit] Hæc autem inter se pugnant; Quibus aliud etiam accedit incommodum, nam Artaxerxis Regis facta in his posterioribus capitibus commemorantur, & ea quidem præsentem Mardocheo gesta, qui, si tunc ut narratur uixisset, ducentimum uitæ suæ annum exigisse oportuisset, quod incredibile & simile portento iudicatur; ex hac tamen narratione id necessariò sequi apertissime demonstratur, certum est enim (scriptura etiam id attestante) Mardocheum in eorum numero fuisse, qui unà cum Rege Ioachim cognomento Ieconia à uictore Rege Nabucdonosor captiui in Babiloniam ducti sunt, octauo scilicet anno, ut narrat EVSE-

B I V S

B I V S in chronicis, Astiagis ultimi Medorum Regis, à quo tempore centum octuaginta nouem anni intercesserunt cum Artaxerxes Memnon Darij nothi filius ea gesfit, teste eodem Eusebio, quibus Mardocheum interfuisse hic scribitur, & quidem uegetum, ac ad munera exequenda probè affectum, ut propterea longius adhuc uitam illum produxisse sit uerisimile, quem etiam, antequam captiuus duceretur, primam saltem suam ætatulam exegisse credendum est, quibus omnibus computatis ad ducentimum annum uitam produxisse necesse est, quod demonstrandum proponebatur; Præterea uerò hæc postrema capita in hebraicis codicibus non leguntur, sed latine & græce solum conscripta inueniuntur, ex quo conijcitur adulterina & supposita illa esse; quod etiam concluditur ex præposteris temporibus, repetitis sententijs, confusis personis, & toto illorum ordine perturbato, in vulgata præsertim latina editione, à græca longe diuersa, & in qua omnia præpostera & perturbata esse HIERONYMVS etiã olim animaduertit, qui præterea affirmat hæc esse additamenta quædam ex fictis, commentitijsque sermonibus composita, cum ait [Librum Esther uarijs translationibus constat esse uitiatum, quem ego de Archiuis Hebræorum reuelans, uerbum è verbo expressius transtuli. Quem librum editio vulgata laciniosis hinc inde uerborum funibus trahit, addens ea quæ ex tempore dici poterant & audiri; sicut solitum est scolaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus uerbis uti potuit qui iniuriam passus est, vel qui iniuriam fecit] Qua auctoritate ducti, & obiectis rationibus succumbentes Dionysius Cartusianus, Hugo Cardinalis, Nicolaus Liranus, alijq; complures doctissimi viri septem hæc postrema capita aperte repudiarunt. Nos uerò Tridentini Concilii præceptum seruantes, vulgatam latinam editionem amplectentes, atque plurium grauissimorum Patrum auctoritatem sequentes, uel potius ecclesiæ, quam probauimus, traditionem suscipientes, eadem

In chronicis.

Præf. in Esther.

Quorundam opinio.

Cõfutatio Sess. 4.

Responſio

Li. 9. antiq.
cap. 6.

eadem posteriora capita, nec adulterina, nec dubia esse concedimus, præpostera tamen illa ac perturbata esse in vulgata latina editione non negamus, quod quidē Hieronymus scitē animaduertit, & græca editio commonet, atque etiam res ipsa demonstrat; caput enim nonum & duodecimum ad libri initium non obscure pertinent, decimum est totius libri finis, reliqua autem in medio sunt collocanda; hinc factum est (conuerso enim ordine respondimus) ut nonnulli de iisdem capitibus dubitarint, Hieronymus autem ex hebraico codice librum in latinum transferens addita illa dixerit, quæ hebraice scripta non inuenit, uel quia interciderint, ut suspicandum est, cum IOSEPHVS duas illas Assueri epistolas recitet, quæ in vulgata latina editione leguntur, uel quia græce scripta sint, ut de Susannæ historia, atque Salomonis sapientia, & secundo Machabæorum aliqui concedunt; Quæ tamē non esse propterea repudianda defendunt, nec etiam Hieronymus hæc capita reiecit, sed potius quæ confusa inuenerat in ordinem redegit, ex qua etiam perturbatione ortæ repugnantia ordine ipsō dirimuntur; dicimus enim eandem coniurationem ubique commemorari, atque in eundem Regem, siue Assuerus ille, siue Artaxerxes uocetur, tempora quoque optime coherere, Quoniam in xi. & xii. c. quæ ad initium libri pertinere diximus, somnium Mardochei recitatur, & illius interpretatio adscribitur, quæ est ipsamet coniuratio anticipatione quadam, scripturæ familiari, tunc narrata, atque hanc quidem in somnijs admonitionem Regni Artaxerxis anno secundo fuisse scribitur, non autem rei euentum somnio præmonstratum, qui postea cap. secundo narratur contigisse anno septimo Regni Assueri, quo nomine generali quosunque Persarum Reges Hebræi nuncupabant, ut propterea nulla sit neque in personis, neque in temporibus, neque in re ipsa discrepantia. Pariter quoque inter se conciliantur quæ in Mardochei remuneratione pugnantia uidebatur; cum enim Mardocheus

chæus futurus esset in magna apud Regem gratia, ac summis honoribus & muneribus afficiendus, in xij. ca. tanquam libri præmio scriptura, ut solet, anticipatione quadam id factum narrat, quod tamen cap. 6. tunc infectum declarat, quoniam non statim post depræhensam coniurationem fuit is à Rege præmijs donatus, sed postea tandem cumulatè illum remuneratum & maxima mercede ipsius meritum expletū fuisse eadem scriptura testatur. His uerò inter se cohærentibus, reliqua una est Mardochei uitæ diuturnitas, quæ nobis molestiam exhibeat, ad quam tamen multiplex potest esse responsio: Quis enim fuerit Artaxerxes ille, de quo hic mentio fit, nō constat inter omnes. Eusebius quidem in ea est sententia, ut putet illum fuisse Dariū Memnonem, sed alii dicunt, hunc fuisse Astyagem, quem Daniel uocat Assuerum; quo concessio, facilis est responsio, ab eo enim tempore, quo Nabuchodonosor Iudæos captiuos duxit in Babiloniam, usque ad ea quæ hic gesta narrantur, uix triginta anni intercessissent. Alii præterea asserunt Artaxersem hunc fuisse Cambysem Cyri filiū, qui pariter obiectas argumentationes facile diluunt; horum tamen sententia minus nobis probatur, quoniam Cambyses ipse septem annos regnasse scribitur, hic uerò Regni Assueri annis xii. commemoratur: Quem alii dicunt fuisse Dariū Longimanum, alii Dariū Hidaspem, quod & nobis magis uerisimile uidetur, cuius regni anno duodecimo Mardocheus olim in Babiloniam captiuus ductus, uix centesimum annum exegisse depræhenditur. Sed dato etiam quòd Artaxerxes siue Assuerus iste fuerit Darius ille Memnon, de quo scribit Eusebius, non quidem unica, sed duplex ad ea quæ obiiciuntur respōsio afferri potest; in primis enim negatur incredibile & inauditum esse quemquam ad ducentesimum annum uitā perduxisse, prætermisissis enim hominibus illis, qui diluuium antecesserunt, certe non defuerunt postea, non solū apud gentes, ut in eorum historiis legimus, sed apud Hebræos quoque

L. 2. Chro-
mographi.

Gen. 35.

1. Esd. 2.

Gen. 46.
Act. 7.

quoque (scriptura teste) qui diutius etiam uixerint, quod si ad ipsa Mardochei tempora descendamus, nonne Tobiam & Iudith, illi ferè coæuos, diutissime uixisse scriptura testatur? hanc scilicet in domo uiri sui 105. annos mansisse commemorans, illū uerò (si græcos præfertim codices, consulamus) 158. annum exegisse narrans; quibus aliquāto longius uitam produxisse Mardocheum mirum esse non debet, ad Hebræorum præfertim salutem referuatū, de quo etiam PHILIVDAEVS ita scribit [Ei successit Ioachim item secundo Pontifex annis 48. usque ad duodecimum annum magni Artaxerxis, qui gesta Esther scripsit, & memoriā Phurim instituit, hortante illū per literas Mardocheo, qui decem & octo annis etatem Isaac superauit] Isaac autem 180. annum exegisse scriptura testatur, ut iam Philone teste ipsum Mardocheum ducentēsimum ferè annum attigisse cognoscamus, qui propterea si alio prægnatis matris tunc continebatur, uel infans erat, cum Iudæi in Babiloniā captiui ducti sunt, commodè potuit his Artaxerxis gestis interesse. Deinde uerò possumus etiam respondere, scripturæ morē esse, ea quæ parentibus contigerunt, filiis quoque nonnunquam tribuere, quasi in parentū lumbis ipsi confisterent, ut dicantur quandoque illi aduenisse, quorum parentes iam uenerunt, atque inter hosmet captiuos in Babiloniam ductos scriptura uidetur aliquando quasi numerasse Zorobabel, cuius quidē parentes translati fuerant, ipse uerò multis post annis natus. Sicut etiā septuaginta interpretes, quos Lucas sequitur, scripserunt. 75. animas in Aegyptū ingressas fuisse, inter quas Machir, Galaad, Sutalaā, Taam, & Edem filii Manasse & Ephraim per anticipationem numerantur, cum tamē nati illi nondum essent, ut propterea Hebraica exemplaria illis prætermisissas solas 70. animas expresserint. Quare fieri etiam potuit, ut Mardocheus transiatus dicatur, quia illius parentes tunc fuerant ducti captiui. Ex his itaque responsionibus eam unusquisque eligat, quam magis ipse probauerit, neque in anti-

tiquissi-

rit, neque in antiquissima historia, & à paucissimis conscripta singulorum euidentiā, & Mathematicam quandam *ἀριθμολογία* requirat, sed coniecturis persuaderi se facile patiat.

Libri Iob ab obiectis calumnijs defensio.

Cap. XXII.

LIBER iste nonnullis suspectus est, nec à Spiritu sancto dictatus uidetur, sed humano potius artificio conscriptus, atque perfectus, cum in eo non ueræ sed uerisimiles res contineantur, personæ quoque sint non à natura factæ, sed ab arte impositæ, & uerè scenicæ, heroum fictos casus, & sermones imitantes; quod quidem nomina singulis personis data facile declarant, si quis enim unde illa ducta sint explicauerit, cur etiam quique appellati sint statim intelliget, ut exempli causa, Iob, dolēs interpretatur; Hus uerò consilium, in quo solo cum ortus & procreatus sit ipse Iob, ex hoc intelligi debet hominem, quem erumnæ uehementer premant, cōsilio ac prudentia dolores & acerbitates omnes perferre debere. Quam quidem personam fictam esse ex eo præterea deprehenditur, quod & quis fuerit iste Iob, & genus ipse, & patria, & quo seculo uixerit incertū est; ORIGENES enim putat illum Arabem fuisse, & in Usfitide paterno solo procreatum, atque Esau genere; natum AMBROSIVS uerò opinatur esse Iosab illum Regem in Edom, de quo fit mentio in Genesi; HIERONYMVS affirmat in errore uersari illos, qui putant Iob stirpe Esau ortum, cum potius sit stirpis Nachor Abrahæ fratris. Non desunt etiam qui dicant illum esse Iasub in libro Paralipomenon inter Israel filios numeratum. Huc accedit quod poeticis numeris, & linguarum uarietate ornatus est liber iste; ut enim testatur HIERONYMVS ex tribus linguis compositus uidetur, Hebraica scilicet, Sy-

In Iob. c. 1.
In epist. ad
Rom.
Gen. 3.
In quaest.
Heb. & in
Iob. c. 1.

Pref. i Iob.

G r i a c a

riaca, & Arabica, quæ quidem exornationes poemati congruunt, ut ex hoc etiam fabulam hanc esse intelligamus, cui propterea tanquam commentitiæ rei auctoritatem nullam, nec fidem adiungere debeamus, quamuis eius lectionem ad dolores perferendos, ac multa consolatione leniendos prodesse sentiamus; quam quidem fabulam ob duplicem bonorum ac malorum conuersionem Tragicomædiam nuncuparunt Hæretici Anabaptistæ, & ante illos Iudæi Talmudistæ. Cui præterea aliud obijciunt uitium, quod eius auctoritatem non parum labefactare illis uidetur, dubius enim & incertus est huius scripturæ auctor, quem, ut ISIDORVS & GREGORIUS referunt, dicunt aliqui fuisse ipsummet Iob, alij eius socios, qui ad eiusdem cruciatus consolatione permulcendos accesserunt, Alij Moysen, Alij denique ex prophetis aliquem. Et hæc quidem toti libro obijciuntur; posteriora autem undecim capita, in peculiarem quandam repræhensionem incurrun, ut enim refert Rabbi Ieu Ben Gerson, fuerunt olim quæ ea refecanda, ac repudianda docuerint, finem libri constituent xxxi. caput, ubi in hebraicis codicibus legitur [Finita sunt uerba Iob.] Quibus uerbis conclusis ac terminatis, necesse est fateri ea omnia quæ sequuntur, adulterina esse ad ditamenta; Nos autem catholicæ ecclesiæ traditionem amplectentes, affirmamus totam hanc narrationem uerissimam esse historiam à Spiritu sancto dictatam, nec aliquid omnino ex libro uulgatæ latinæ editionis refecandum; quare ad obiecta uitia respondentes dicimus in primis, Nomina personis & casibus congruentia solere quidem in humanis scripturis argumento esse ad ostendendam narrationem commentitiam, cum futuri hominum euentus præuideri ratione nequeant; In diuina autem scriptura nihil huiusmodi concludere, Deus enim hominum creator singulis consulit, & quid futurum sit prouidet, atque etiam nonnullis nomina uel imponit uel imponenda docet illorum casibus consentanea, ita vocatus

Ord. 4. tra-
cta. 3.

In præf. in
Iob. lib. 6.
etym.

Responsio.

tus

tus Abraham, Melchisedech, Iacob, & innumeri alij, inter quos non est mirum, Iob quoque atque illius socios numerari, hoc enim est scripturæ familiare & Deo auctori congruens. Quod si de Iob genere, Patria, ac tempore Patres non consentiunt, quos quidem, pace doctorum uirorum, dissentire putamus, nihil etiam nos offendit, cum sciamus liberum cuique esse de huiusmodi rebus à scriptura silentio præteritis, nec traditione perceptis diuersa opinari, quæ tamen nec ipsæ scripturæ, nec traditioni aduersentur, & quæ dubia sunt incerta relinquere tutius, quam controuersa mordicus defendere arbitremur. Nec etiã poetici numeri & carmina ipsa hanc esse fabulam nobis persuadent, cum animaduertamus totum Psalmorum librum, Canticum canticorum, Ieremiæ lamentationes, & Prouerbiorum postremam partem ornatissimis uersibus, & uarijs modis, ac numeris conscripta esse; linguarum autem uarietatem expressam in hoc libro non agnoscimus, quamuis Hæbraismos, Arabismos, atq; Syrisimos in eo animaduertent HEBRONYMVS, significans scripturam hanc illarum linguarum similitudinem quandam gerere, non autem ex dissimilibus linguis mixtam esse & compositam, propterea alibi dicit [Sciendum Iob quoque cum Arabica lingua magnam habere societatem] Id autem ex eo euenisse suspicamur, quod Idumea lingua (Iob scilicet materna) sit hic liber conscriptus, quæ cum Arabica & Syriaca cognitione & affinitate iungitur, ut regio ipsa in utriusque prouinciæ finibus est sita; postea uerò à Moise, ut scribit Origenes, in hebraicam linguam idem liber translatus, præter Arabismos & Syrisimos, quibus refertus erat, Hæbraismis quoque sit auctus, ut iam sit illi cum tribus linguis non parua similitudo. Quis uerò fuerit huius libri scriptor, cum inter omnes non constet, dubium esse facile concedimus, nec tamen quidquam auctoritatis, uel fidei scripturæ derogari propterea putamus, cuius auctorem Spiritum sanctum fuisse non

Prof. in
Dan.

G 2 dubi-

Cap. 17. dubitamus, quo constituto de scriba & calamo quærere superuacaneum omnino iudicamus, ut nos iam fusè declarauimus, & scitè commonet ipse GREGORIUS. Ad illud Præf. in li. Iob. c. 1. verò quod ultimo loco obijcebatur, refecanda. scilicet reiicienda esse posteriora undecim capita, idem ille Rabbi, qui retulit, etiam respondit dicens, finita quidem esse in eo loco Iob colloquia in Elipha, Baldad, & Sophar tribus amicis suis, sequi autem eiusdem sermonem, quem postea habuit cum Heliu amicorum quarto, quod quidem colloquium postremis illis capitibus continetur.

Psalmodum libri ab obiectis reprehensionibus defensio. Cap. XXII.

Cat. hæret. cap. 127.



LIBRUM Psalmodum negant Nicolaitæ, & Gnostici, referènt PHILASTRICO à spiritu sancto dictatum fuisse, quem asserunt ipsum Dauidem humano artificio conscripsisse, idque plurimis argumentis persuadere enituntur; quæ quidem eò spectant, ut doctrinam conuellant, tanquam diuino spiritui minus consentaneam, in aliud tempus erunt à nobis reiicienda, ne, quod iam commonuimus, omnia perturbemus, ac totam Theologiam in hanc Methodum confusè transfundamus; Paulus uerò Samosatenus, ut EUSEBIUS CASARIENSIS testatur, nec spiritum sanctum, nec Dauidem eius auctorem agnouit, cui sententiæ assentiuntur Anabaptistæ, eorum autem argumentationes erunt à nobis diluendæ, non quia de scriba uel calamo laboremus, sed ut tueamur traditionem, & scripturam etiam euangelicam, in qua Christus ipse, & Apostoli ex hoc libro testimonia sumentes illum Dauidi tribuerunt [Quomodo ergo Dauid (dicebat Christus) in spiritu uocat eum dominum dicēs, Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis] & Petrus [Dauid dicit in libro Psalmodum; Prouidebam Dominum

Li. hist. ecc. cap. 25.

Matt. 20.
Psal. 108.
Act. 14.
Esa. 15.

minum in conspectu meo semper] omnes uero Apostoli [Domine, qui spiritu sancto per os Patris nostri Dauid pueri tui dixisti, Quare fremuerunt gentes] Quod negantes Anabaptistæ Samosatenum secuti ita argumentantur; Libri psalmodum inscriptioni non est appositum Dauidis nomen, sed nec in toto ueteri testamento legitur Dauidem librum hunc conscripsisse, cui unicus psalmus ascribitur in 2. Regum. Inscriptionibus præterea psalmodum afficta nomina Asaph, Heman, Idithum, Chore, & filiorum, non obscure indicant ab iisdem compositos fuisse psalmos, quibus illi inscripti sunt, quod HIERONYMI etiam auctoritate confirmatur, qui ait [Errant qui arbitrantur omnes psalmos Dauidis esse, & non eorum quorum nominibus inscribuntur, ut Dauid, Asaph, Idithum, Filiorum Chore, Heman exraite, Moyfi, & Salomonis, & reliquorum, quos Esdras primo uolumine comprehendit] cui consentit AVGVSTINVS dicēs [Dauid ergo solus nouem psalmos ore proprio cecinit, reliqui autem ab illis quattuor principibus iuxta titulorum inscriptionem sunt dicti] A quibus Hebræorum etiam Rabbini Dauid Kinki, & Aben Ezra non dissentiunt, ut propterea concludendum sit, libri huius non esse auctorem Dauidem, cui merito non est inscriptus. Id uerò alio etiam argumento demonstratur ex temporibus sumpto, in hoc enim libro multa narrantur, & tanquam gesta recensentur, quæ tamen non uiuo Dauide, sed multis post eius obitum annis ac seculis contigerunt, atque illorum uiuorum nomina Psalmodum inscriptionibus apponuntur, qui fuerunt Dauide ætate longe posteriores; Hæc uerò exemplis demonstrantur. In psalmo LXXII Hierosolomitani excidium tanquam præteritum recitatur, In CXXXV. Reditus captiuorum ex Babilonia scribitur. In CXXXVI. Captiuorum luctus exprimitur iuxta Babilonis flumina. A CXL. usque in finem, qui sunt psalmi numero xxxix. Omnes inscripti sunt [Reuerfiones Aggei & Zaccariæ] Quoniam hi duo

Act. 13.
Psal. 2.
Epi. ad Cyprianum.

De Tit. p. Psal.

Responsio. Prophetæ illos cecinerunt, Dauide quidem longo interuallo posteriores; & hæc quidem sunt, quæ ab Hæreticis obijciuntur. Ad quæ nos respondentes possemus plures ac uarias Patrum opiniones recensere, & ex cuiusque sententia probabilem responsionem afferre, breuitati tamen studentes, eam seligemus, quam à Patribus magis probari, & scripturæ aptius congruere arbitramur. Dicimus itaque, spiritum sanctum omnium psalmorum sensum Dauide menti instillasse, qui quidem diuino afflatu concitatus, psalmos quosdam ipse composuit, & aliquos etiam cecinit, reliquos uerò illis uiris tradidit componendos atque canendos, quos ad id munus exequendum instituerat. Quod quidem consentaneum maxime uidetur ijs, quæ scripta sunt in Libro Paralipomenon; & propterea psalmi omnes Dauidi iure tribuuntur, ipse enim illorum sensum ac prophetiam diuino instinctu cæteris fudit: aptè quoque iisdem psalmi, ut dicebat Hieronymus, illis inscripti sunt, qui eos non solum cecinerunt, sed idoneis etiam uerbis, numeris, ac modis ad inuentionem accommodarunt; ipsorum igitur dicuntur, quia elocutio & pronuntiatio illorum est, Dauidis sunt, quia sensus, ac inuentio ipsius est, auctore tamen spiritu sancto, qui ut Dauide menti sensus, ita cantoribus uerba fudit, & numeros, uel saltem illorum delectui astitit. Ad id uerò quod obijciebatur aliquorum nomina Prophetarum psalmorum inscriptionibus affingi, Dauide ipso ætate posteriores, audiamus AVGVSTINVM doctè respondentem [Neque mouere debet ad hoc non credendum, quòd nonnulla Prophetarum nomina, qui post tempora Regis Dauide fuerunt, quibusdam in psalmis in eo libro leguntur inscripta, & quæ ibi dicuntur uelut ab eis dici uidentur, potuit enim spiritus prophetanti Dauide, hæc etiam futurorum Prophetarum nomina reuelare, sicut Rex Iosias regnaturus post annos amplius quam trecentos, cuidam Prophetæ cum suo nomine reuelatum est] Quod autem futura tanquam gesta

De ciuitate Dei. c. 14.

sta in psalmis narrantur, mirum etiam nobis esse non debet, si meminerimus Propheticum hunc esse librum, nec obliuiscerimus Regulæ, quam aliquando docuit HIERONYMVS dicens [Quod autem quasi præteritum dicitur quod futurum est, consuetudinem sequitur prophetalem, in qua tam certa sunt quæ futura dicuntur, ut putentur esse præterita.]

In Esa. c. 5.

Salomonis Librorum aliquot defensio.

Cap. XXIII.



ANTICO in primis canticorum illud unum obijci solet, quòd nullum in eo diuinum nomen legatur, cum in Testamento ueteri Diuina nomina frequentissima sint, & nullum in eo uolumen sit, in quo aliquod Dei nomen non inueniatur, hoc igitur inuisitatum in Canticorum cantico animaduersum, non obscure indicat inter diuina uolumina illud non esse numerandum, sed prophanium potius, & uere amatorium iudicandum. Ad quod respondemus, negantes nullum Dei nomen hoc libro contineri, imò sepius uariisque nominibus Deum in illo uocari affirmantes, sed obiectatores nullum in ipso ex ijs nominibus inuenientes, quæ in testamento ueteri legi solent, ausi sunt obijcere, nullum omnino diuinum nomen in eo scriptum esse, cum tamè sint plurima, & ea quidem admodum grata & iucunda. Hoc uerò nõ temere, sed singulari consilio & ratione factum est, cum enim Deus ipse synagogam loco ancillæ haberet, & propterea de illa dictum est Abrahæ [Eijce ancillam, & filium eius] in ipsam non modo auctoritatem, sed etiam seuerum quoddam imperium tenebat, ea propter nominibus quoque ab ea semper nuncupari uoluit Dominatui ac Principatui accommodatis, quibus illi terrorem quendam incuteret, quod quidem legi seruitutis optime congruebat; hinc dictus est Adonai, quia Dominus; Zebaoth, armipotens; El, fortis; Sad-

Cantici Canticorum opugnatio.

Responsio.

dai, robustus. In hoc uero cantico, siue Epithalamio, spon-
sam Ecclesiam Deus alloquitur, in quam non imperij seruitu-
tem, sed amicitiae charitatem tenet charis; itaque amoris uer-
bis utitur, & nominum conuersione facta, Amicum, Deside-
rabilem, Pastorem, Dilectum, Fratrem, sponsum denique se
uocari mauult, & quidem frequentissime, ut propterea plu-
rima diuina nomina hoc libro contineantur, eaque, ut dixi-
mus, iucundissima.

Libri Sapi-
entiae oppu-
gnatio.

Prol. in li.
Salomonis

Prol. in lib.
Salomonis
Lib. 2. de
doct. Chri.
cap. 1.

Lib. 18. de
ciuit. Dei.

Lib. 14. de
praedest.
sanctorum

In synopt.
In symbo.
Apo.

Li. 4. orth.
fid. c. 18.

Librum autem Sapientiae omnino repudiant Pelagiani, A-
nabaptistae, & Lutherani, eo in primis argumento persuasi,
quod hic liber in hebraico codice non inuenitur, id etiam at-
testante HIERONYMO cum ait [Secundus, id est liber sapientiae
apud Hebraeos nusquam est, quin & ipse stylus graecam clo-
quentiam redolet] Deinde uero quia Patres aperte asserunt
Salomoni illum falso inscriptum, dicit enim idem HIERONY-
MVS [Fertur & liber alius pseudepigraphus, qui sapientia Sa-
lomonis inscribitur] cui consentit AVGVSTINVS inquit
[Illi duo libri, primus qui Sapientia, & alius qui Ecclesiasticus
inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur;
nam Iesus filius Syrach eos scripsisse constantissime perhibe-
tur] IDEM [Alii duo libri quorum unus Sapientia, alter uero
Ecclesiasticus, propter eloquij nonnullam similitudinem ut
Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo, non autem esse ip-
sius non dubitant doctores] Qui praeterea AVGVSTINVS li-
brum hunc in numerum tractationum potius, quam diuina-
rum scripturarum retulit, cum dixit [Qui sententijs tractato-
rum instrui uolunt, oportet ut istum librum Sapientiae ubi le-
gitur, Raptus est ne malitia immutaret cor eius, omnibus tra-
ctationibus anteponant] eo que aetate superiores ATHANA-
SIVS & RVFFINVS, libros canonicos accuratè enumerantes;
hunc praetermiserunt, DAMASCENVS uero post omnes istos
sacris libris ordine numeratis inquit [Qui autè omnium uir-
tutum doctrina referti sunt, hoc est Sapientia Salomonis, &
Sapien-

Sapientia Iesu, quam pater Syrach composuit hebraicè, grae-
ce interpretatus est nepos Iesu & filius Syrac, studiosi qui-
dem hi libri pulchrique & honesti, sed non numerantur in pro-
pheticis libris, neque ponebantur in arca] Quibus Patrum te-
stimonijs instructi aduersarij, huius libri auctoritatem uehe-
menter oppugnat, liberèque praedicant, Salomoni illum falso
fuisse inscriptum; quod si ab iisdem quaeramus, cui nam igi-
tur erat inscribendus? Philoni statim respondent, cui etiam
ueteres illum tribuisse testatur HIERONYMVS dicens [Non-
nulli scriptorum ueterum huc esse Iudaei Philonis affirmant]
apud Iudaeos uero cum duo Philones commemorentur, am-
bo doctrina & eloquentia praestantes, quorum unus Oniae
Pontifici, alter Apostolis coaevus fuit, uterque fautores suos
habet, nam in eodem omnes non consentiunt: Nos autem
ecclesiae traditionem iam dilucidatam amplectentes, Inno-
centij & Gelasij Decretis obtemperantes, Cartaginensem, Flo-
rentinum, ac Tridètinum canonem uenerantes, librum hunc
inter sacros numeramus, & Salomoni inscribendum affirma-
mus, nec obiectas argumentationes diluere dubitamus; Co-
dices enim Hebraeos, qui nobis opponuntur, nihili facimus,
cum Iudaeorum malitiam & caecitatem non ignoremus, ut
fusse iam declarauimus, praesertim cum in hoc libro multa il-
lis crimina obijciantur: praeterea uero ecclesiasticos codices,
& vulgatam in primis latinam editionem nos studiosè sequa-
mur. Ad Hieronymi autem testimonium dicentis librum
hunc pseudigraphum esse, multi respondent, ex aliorum sen-
tentia id ipsum protulisse, nos tamen in eadem sententia il-
lum fuisse uehementer suspicamus, utpotè qui eo in loco his
uerbis sententiam concludat [Sicut ergo Iudith, & Tobiae,
& Machabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed eos inter
canonicas scripturas non recipit, sic & haec duo uolumina le-
gat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasti-
corum Dogmatum confirmandam] cum autem dicit [Legat]
quid

Prol. 1. Sa-
lomonis.

Responso

quid ipse sentiat, aperte declarat; senserit igitur hoc, si placet, Hieronymus, quid tum? Canone ecclesie nondum fuerat liber iste in sacrorum numerum relatus, eiusdem traditio non erat usquequaque perfecta; liberum igitur fuit Hieronymo diuersè opinari, ea libertate ipse est usus, nec ausus est sacrum & diuinum illud affirmare, quod ei abundè exploratum non erat; nec igitur ipse reprehendendus, nec eiusdem hæsitatio ecclesiasticæ assertioni est opponenda. Sed dices, imò maxime est obijcienda, cū Hieronymi sententiam sequi sancta Romana ecclesia ita profiteatur, ut amplectatur respuatue omnes libros, quoscunque ipse Hieronymus se repudiare uel suscipere fateatur. Id uerò nos negamus, si de scripturis sacris sit sermo, quas quidem non Hieronymus, sed Apostolo ecclesie tradiderunt; si autem de Tractatorum libris dijudicandis loquaris, concedimus Hieronymi sapientissimo iudicio ecclesiam id tribuisse, quod quidem ad rem nostrā nihil pertinet: Hanc uerò fuisse eo in loco Ecclesie sententiam, uerba ipsa declarant, Decretum enim illud quod obijciebatur, ita incipit [Sancta Romana ecclesia post illas ueteris testamenti & noui scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet] Missam itaque faciamus Hieronymi sententiam in hoc libro dijudicando, certum Ecclesie iudicium sequentes, quòd si cum ipsa illum sentire quis defendat, erit hoc nobis gratissimum, sicut illud in eo non erat reprehendendum. Ad AVGVSTINI uerò obiecta testimonia aliter respondemus, qui quidem illud in primis aperte retractat, quod ex 2. de Doctrina christiana obijciebatur, dicens [In secundo sanè libro de auctore libri, quem plures uocant Sapientiam Salomonis, quòd etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Iesus filius Syrach scripserit, non ita constare sicut à me dictum est, postea didici, & omnino probabilius comperi non esse hunc eius libri auctorem] Nec mirum si ipse senior & in concilio id didicerit, quod iu-

Dubitatio.

Dist. 15. c.
sancta Romana.
Solutio.Dist. 15. c.
sancta Romana.Lib. 2. Re-
tract. c. 4.

nior ante concilium ignorabat; libros enim de doctrina christiana presbiter conscripsit, ut ipsemet testatur, episcopus uerò cum esset, Cartaginensi Concilio interfuit, in quo liber hic Sapientie in canonem receptus est, & Salomoni tributus: EIVSDEM uerò testimonium ex libris de ciuitate Dei ab aduersarijs prolatum est mutilum & decurtatum, desunt enim hæc uerba, quæ sententiam concludunt, ac nobis maxime fauent [Eos tamen in auctoritatem maxime occidentalis antiquitus recepit ecclesia] Mutila pariter illa est sententia, quæ ex libris de Prædestinatione sanctorum afferrebat, cui addenda sunt hæc sequentia uerba [Quem sibi anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores, qui eum testè adhibentes, nihil se adhibere, nisi diuinum testimonium crediderunt] & paulo ante dixerat [Non debuit repudiari sententia libri sapientie, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu electorum ecclesie Christi tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usq; ad extremos laicos fideles, poenitentes, catechumenos cum ueneratione diuinæ auctoritatis audiri] Quid quæso poterat dici pro huius libri auctoritate profitenda, Traditione q; afferenda, apertum magis atque perspicuum? quamuis eiusdem Augustini sententiam huic consonam ex alijs ipsius scriptis non obscure protulimus, dum huius libri traditionem paulò ante dilucidarem; Athanasius autem Hebræorum canonem sibi præposuerat, ut ex eius uerbis manifeste colligitur, propterea non est mirum si libros canonicos enumerans, huc tacitus prætermiserit; Idem fecit DAMASCENVS, nec quidem ob aliam causam, cum dicat [Nec ponebantur in arca] Quod nos libere concedimus, asserentes præterea quòd si illis etiam ut fortasse Ruffino, perspecta non fuisset ita Ecclesie traditio, quam dilucidatam exposuimus, ab ea tamen nobis non esset discedendum, ut in cap. xvii. fusè declarauimus. Responsio autem, quam illi afferunt de huius libri auctore interrogati

Lib. 2. Re-
tract. ca. 4.
Conc. Car.
3. c. 47.Lib. 18. de
ciuit. Dei.Lib. 1. de
Præd. sanc.
cap. 14.Lib. 1. de
Præd. sanc.
c. 14.Lib. 4. orth.
fid. c. 18.

Sap. 9.

rogati, cum eadem scriptura pugnat, in qua auctor ipse Regem se fuisse, & Hierosolomitano templum Dei iussu edificasse aperte profitetur dicens [Tu elegisti me Regem populo tuo, & iudicem filiorum tuorum, & filiarum, & dixisti me edificare templum in monte sancto tuo, & in ciuitate habitationis tuæ altare, Similitudinem Tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio] Hæc autem neutri Philoni congruunt, imò soli Salomoni conueniunt. Iunioris uerò Philonis fautores alia præterea difficultate premuntur; nam iste liber ad Vetus Testamentum pertinere dignoscitur, cum de Christi passione multa in eo prænuncientur, nec inter noui testamenti uolumina quisquam illum numerauerit, & **DIONISIVS AREOPAGITA** ex eo testimonium sumens dixerit [In primis scripturæ sanctæ institutionibus inuenies quendam hæc dicentem de diuina sapientia, amator factus sum pulcritudinis eius] fuit autem is iuniori Philoni æqualis, imò ipso natu grandior, Philo enim adolescens, ut ipse narrat, ad Cæsarem Caium missus est, qui præterea gentis suæ studiosissimus fuit, & illi ob eam causam ualde charus, à Christi autem fide alienus; Quare nec huius passionem, & cruciatus accurate scripsisset, nec illis tot crimina & culpas propterea obiecisset; ut taceamus quòd nec Eusebius nec Hieronymus huius Philonis uolumina diligenter enumerantes, ullam de hoc mentionem fecerint; Quare non dubitemus asserere Salomonem post spiritum sanctum huius libri auctorem fuisse, quod si cui fortasse probabile uideatur, Salomonem quidem singulas sententijs protulisse, quæ hoc uolumine continentur, quempiam tamen alium studiose illas à se collectas, & dispositas, hebraico uel græco sermone conscripsisse, nos quidem non pugnabimus, ut aliquot Patrum dicta facilius inter se conciliantur; cum præsertim non ignoremus idem contigisse potestem capitibus Prouerborum Salomonis, teste **SCRIPTURA** quæ ait [Hæc quoque Parabolæ Salomonis quas transtulerunt

De diu. no.
cap. 4.

runt uiri Ezechia Regis Iudæ] Quod etiam de Ecclesiastico uolumine dicere possumus, & quidē uerisimilius, quare inane hanc quæstionem (de calamo scilicet) prætermittamus, & spiritum sanctum, ut decet, auctorem utriusque libri agnoscamus; ambobus autem communia cum fuerint, ut uidimus, obiecta crimina pariter quoque diluta existimentur.

Prou. 25.
Ecclesiastici
defensio.

Libri Baruch & Danielis controuerfarum partium Defensio. Cap. XXV.



BARUCH libello & **IEREMIAE** epistolæ cum id solum obijciatur, quòd in Hebræorum codicibus & canone non inueniantur, breui satisfaciamus responsione, Ecclesiasticis scilicet uoluminibus & canonibus contineri. Quidam etiam obijciebant, Patres testimonia ex illis non protulisse, id uerò quam temerè obiectum sit, ex eis, quas adduximus, Patrum sententijs, dum hanc traditionem dilucidarem, manifeste deprehenditur. Quare ad **DANIELIS** particulas defendendas nos conuertamus; quibus in primis obijcitur **HERONYMI** auctoritas dicentis, [Liber Danielis apud Hebræos nec Susannæ habet historiã, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconisque fabulas] & rursus [Miror quosdam *μερμημορφος* indignari mihi, quasi ego detruncauerim librum, cum Origenes & Eusebius & Apolinarius, alijque ecclesiastici uiri, & Doctores Græciæ has, ut dixi, uisiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec se debere respondere Prophirio pro his, quæ nullam scripturæ sanctæ auctoritatem præbeant] ex quibus Hieronymi uerbis colligitur, nec apud Hebræos istas particulas inueniri, & fabulas esse, atque scripturæ sanctæ nullam auctoritatem mereri. Iosephus etiam Danielis res gestas narrans, hæc omnia, ut fabulosa prætermisit, **IULIANVS** uerò **AFRICANVS** de **SUSANNÆ HISTORIA** ad Orige-

Vide superius
c. 21.Dan. particularum.
oppugnatio.
Præf. in Dan.
Præf. in com. Dan.lib. antiq.
Susannæ
historia.
Ep. ad orig.

Origenem scribens dicit [Miror autem quemadmodum tē latuerit hanc libri partem esse adulterinam; nam hæc pars est alioqui quidem scriptum elegans & lepidum, sed esse nouum & confictum ostenditur, & multis modis conuincitur] Præter quas Patrum auctoritates non defunt etiam exquisitæ rationes idem confirmantes, In hac enim Susannæ historia scribitur puerum tunc temporis fuisse Danielelem, quem tamen octuagesimum saltem uitæ suæ annum exegisse oportebat, id uerò hac ratione concluditur; scriptura teste compertum est, Danielelem una cum Rege Ieconia captiuum ductum fuisse in Babiloniam, Postquam uerò narrata est hæc Susannæ historia, hæc uerba statim adscribuntur [Et Rex Astiages appositus est ad partes suos, & suscepit Cyrus regnum eius] Sed à tempore captiui Ieconia septuaginta anni intercesserunt cum Cyrus regnare cepit, Spiritu sancto in Esdra id etiam attestante, apud quem Cyrum senex Daniel in magna gratia fuit. Cum itaque paulò ante huius Regnū sub Astiage contigerit hæc Susannæ historia, necessariò concluditur, cum hæc gesta sunt, septuaginta ferè annos intercessisse, à quo tempore ductus fuit captiuus puer Daniel, cuius pueritiæ anni si istis apponantur, iam octuagesimum annum illum attigisse tunc oportuit, cum puer senes iudicare narratur, quare ficta uidetur omnino hæc historia. Quod etiam persuadet, ut Africanus commonet, Prophetiæ genus, Danieli inusitatum, quem tribus solis Prophetiæ generibus dinasse legimus, Somnio nimirum, uisione, & Angelica specie; hic autem diuino afflatu, quem inspirationem uocant, quarto scilicet Prophetiæ genere diuinasse scribitur [Cumq; duceretur ad mortem, suscitauit Dominus Spiritum sanctum pueri iunioris, cui nomen Daniel, & exclamauit &c.] quæ quidem diuinandi ratio ab ipso Daniele aliena depræhenditur, styli quoque diuersitatem animaduertebat in hac historia idē Africanus, & quod difficultatem maxime auget, à græco homine illam

con-

conscripam ac fictam fuisse probabat, quoniam auctor ille ex arborum græcis nominibus utriusque senis interitum apte Danielelem significasse fingit, cum ἀπό τῆς ὀφύης ὀφίσσα, καὶ ἀπὸ τῆς γλυκῆς γλώσσης deriuetur, quæ quidem Græcarum uocū etymologia Hebræis nominibus nulla ratione congruit, Danielelem uerò non græca sed Hebraica lingua locutum fuisse certum ac omnibus compertum est. Ad hæc accedit, quòd ista narratio cū Ieremia pugnare uidetur, qui scribit Regē Babilonis hos senes frixisse in sartagine in igne, ut notat etiam Hieronymus dicēs [Sed illud quod in præsentiarū dicitur, Quos frixit Rex Babilonis in igne, uidetur Danielis historiæ contraire, ille enim asserit eos ad sententiam Danielis à populo esse lapidatos, hic uerò scriptum est, quòd frixerit Rex Babilonis in igne, unde à plerisque ac penè omnibus Hebræis, ipsa quasi fabula non recipitur, nec legitur in synagogis eorum; Qui enim inquit fieri poterat, ut captiui lapidandi principes, & Prophetas suos haberent potestatem?] & ORIGENES inquit [A quo Iudæo etiam didici seniorum nomina, ut quæ sita sint in Ieremia, & hoc modo se habeant; te faciat Dominus ut Sedechiam, & ut Achiab, quos Rex Babilonis frixit in sartagine in igne propter iniquitatem, quam fecerant in Israel. Postremò huic historiæ obijcitur, quòd narrata inter se non cohæreant; Prædicat enim Daniel, & minatur sententiam ferens in senes, hunc quidem secandum, illum uerò scindendum fore, cum tamen saxi lapidatione facta uterque postea interemptus narretur. BELIS autem & DRACONIS HISTORIÆ in primis opponitur sextum Danielis caput, cum quo maxime pugnare uidetur; in eo enim scribitur semel in lacu leonum Danielelem pernoctasse, postero autem die inde emissum fuisse, in hac uerò narratur sex cōtinuis diebus noctibusq; illum ibi iacuisse; Cui præterea aliud adscribitur minus credibile, ut potè quod nec aliàs contigisse legitur, nec fieri potuisse uidetur, Abacuch scilicet

In Iere.
ca P. 29.Ep. ad Afri
canum.Belis & Dra
conis histo
ria.

cet

cet Prophetam in sublime latum unà cum parato prandio
 ex Iudæa in Chaldæam statim conuolasse, quod quidem cor-
 porum ponderi, quæ suo motu in terram feruntur, & ma-
 ximo interuallo congruere nequaquam potest. Ad singula
 autem obiecta nos respondentes, in primis dicimus, ex Hie-
 ronymi prolatis testimonijs probari quidem in Hebræorum
 canone & codicibus has Danielis particulas non inueniri,
 quod facile concedimus, nec propterea illarum auctorita-
 tem labefactari putamus, quamuis non temerè suspicari pos-
 simus, ipsas quoque in hebraicis uoluminibus olim extitisse,
 cum eas in Septuaginta interpretum atque Theodotionis
 translationibus legamus, & ORIGENES dicat [Quidam in-
 terpretati de Susanna hebraicum, in arcanis, ut est uerisimi-
 le, iam olim apud eos habitum] quod quidem ab ipsis He-
 bræis dedita opera fuisse sublatum putat is dicens; Ad hæc
 dicendum quod ex ijs quæ presbiterorum, & magistratum,
 & iudicum continebant uituperationem, quæcunque po-
 tuerunt sustulerunt à cognitione populi, quæ quidem seruan-
 tur in arcanis] Huius uerò facti plura ponit exempla idem
 ORIGENES eo in loco, & paucis interiectis hæc uerba adscri-
 bit [Non est ergo mirum si ueram historiam Susannæ, cui pa-
 rarunt insidias impudici seniores, ij qui non longe aberant
 ab instituto illorum presbiterorum suffurati sunt, & subtra-
 xerunt à scripturis] Quod uerò ex iisdem Hieronymi testi-
 monijs secundo loco obijciebatur, illud erat, particulas istas
 appellatas fuisse fabulas, cuius quidem nomenclationis ius-
 tas causas afferre possumus; non enim fabulæ illa sola di-
 cuntur, quæ falsa & ficta sunt, sed ueræ etiam narrationes,
 quales esse possunt ipsorum quoque Poematum fabulæ, ut
 celebris ille Poetices magister commonet, fabulari præte-
 rea dicuntur, qui etiam de rebus ueris, & gestis inter se col-
 loquuntur, ut discipuli illi de quibus Lucas scribit [Dum fa-
 bularentur inuicè] propterea M. Minutius Felix apud Arno-
 bium

Responsio.

Ep. ad Iul.
Afric.Epist. ad
Afric.Arist. in li.
Poetici.

bium fabulam uocat uerissimam quandam narrationem;
 CLEMENS uerò ALEXANDRINVS apud Eusebium Ioan-
 nis Euangelistæ factum narrans [Audito inquit fabulam]
 quam tamen statim interpretatur, docetque rem ueram, &
 gestam esse; ueligitur in hanc sententiam accepit fabulam
 HIERONYMVS, uel ex Iudæorum sententia narrationes istas
 tanquam fictas fabulas appellauit, cum sæpius ita se excu-
 set, quod has Danielis particulas repræhendisse uideatur,
 ut illi Ruffinus obiecerat, inquit enim [De Daniele autem
 breuiter respondebo, me non negasse eum Prophetam, quæ
 statim in fronte Prologi Prophetam esse confessus sum, sed
 quid Hebræi dicerent, & quibus argumentis suam niteren-
 tur probare sententiam uoluisse monstrare] & paucis interie-
 ctis [Quod autem refero, quid aduersum Susannæ historiam,
 hymnum trium puerorum, & Belis & Draconis fabulas,
 quæ in uolumine hebraico non habentur, Hebræi soleant
 dicere, qui me criminatur, stultum se Sycophantam pro-
 bat; non enim quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos di-
 cere soleant explicauit, quorum opinioni si non respondi in
 Prologo breuitati studens, ne non præfationem, sed librum
 uiderer scribere, puto quod statim obiecerim, dixi enim, de
 quo non est huius temporis differere] Cum itaque se ipsum
 Hieronymus apertè defendat, illius prolata auctoritati
 abundè satisfactum putamus, nec mirum nobis uidetur, si Io-
 sephus uir Iudæus sola apud Hebræos canonica uolumina
 recensens, eas prætermittat narrationes, quas illi respue-
 bant, quorū iudicium sequi ipse palàm profitetur. AFRICA-
 NVS autem ad Origenem scribens plura obiecit, non asse-
 rens sed opponens, nullum suum iudicium interponens, sed
 exquirens alienum, ut Origenis potius staret iudicio, quàm
 suo, in fine enim illius epistolæ inquit [Pulsauit, tu sona, &
 rescribens erudi] cui abundè ipse satisfecit Origenes, ad obie-
 ctas enim repræhensiones doctissime respondens, ueram

Lib. 3. ecc.
hist. c. 17.Apo. aduer.
Ruffinū.Lib. 10. an-
tiq.

H &

& canonicam esse Susannæ historiam demonstravit. Iam igitur argumentationes à ratione sumptas diluamus, Danielis in primis pueritiam defendentes, qui quidem multo ante Cyri Regnum in impudicos fenestententiam tulit, errori autem obrectatorum ordo ipse perturbatus occasionem præbuit; sciendum est enim Susannæ historiam apud Græcos primo Danielis capite contineri, cū autē in hebraicis codicibus non inueniretur, fuit apud Latinos translata, & in alieno loco collocata; post scilicet hebraica omnia, quæ duodecimo capite terminantur, ut etiam Hieronymus ipse testatur, **BELIS** autem & **DRACONIS HISTORIAE** postremus locus iure debetur, cum sint hæc regnante Cyro gesta, & ad ea pertineant præcedentia uerba paulo ante obiecta [Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Regnum eius] fatemur itaque hanc Belis, & Draconis historiam ad Cyri tempora esse referendam, sene iam ipso Daniele, cum Susannæ iudicium iam pridem factum fuisset ab eodem Daniele puero. Ad Prophetiæ uerò genus Danieli, ut Africanus obijciebat, inusitatum, respondemus cum Origene, non defuisse qui uarijs diuinationum generibus olim prophetauerint, ut Iacob, exempli causa, qui ait [Vidi in somnis ascēdentes mares super foeminas uarios & masculos, & diuersarum colorum] idem etiam vigilans uidit [hominem qui cum eo luctabatur usque mane] & singulis filijs benedicens dicebat [Congregamini, ut annūciem quæ uentura sunt uobis in diebus nouissimis] ut propterea somnio, & uisione, & diuino afflatu prophetauerit; Quare mirum non sit, si ipse quoque Daniel præter somnia & uisiones diuino etiam mentis instinctu quandoque fuerit concitatus; Styli autem diuersitatem in hac Susannæ narratione idem **ORIGENES** non agnoscit, propterea Africano respondet [Præter hæc dixisti etiam dictionis stylum differre, quod mihi quidem nequaquam est uisum] Qui etiam arborum græca nomina eorumque etymolo-

Dan. 13.

Ep. ad Iul.
Afric.

Gen. 31.

Gen. 32.
Gen. 49.Ep. ad Iul.
Afric.

mologiam huic historiæ non obesse scitè admodum docet, pluresque ad obiectam difficultatem responsiones affert, in primis uerò dicit [An autem hæc, quæ in græcis uocibus consonant, in lingua hebraica distent, ego adhuc dubito; nā cum de ijs, quæ sunt in hoc loco, essem sollicitus, ut qui de ijs ipse dubitarem, cum non paucis hebræis contuli, rogans quemadmodum apud eos nominetur *απίρος*, & quemadmodū dicant *απίρειν*, præterea autem pro quam accipiunt *απίρον* plantam, & quomodo nominant *απίρειν* alij autem dicebant se ignorare uocem græcam *απίρον* & *απίρον*, petebant autem ut sibi ostēderentur arbores, ut iudicent, quas nā uoces eis tribuant; ego uerò non dubitavi (amica est enim ueritas) ipsa signa in eorum conspectum adducere; alius autem dicebat, quæ nusquam sunt nominata à scripturis, se non posse affirmare, quæ admodum dicantur hebraice, in promptu autem esse, ut qui dubitauerit, Syriaca uoce usus sit pro græca; Dicebat et apud ualde doctos dictiones aliquas aliquando quæri, si ergo (dicebat) potes ostendere, quomodo sit nominata *απίρος* uel *απίρος*, illic inuenimus quod quæritur, & quæ nam sit ad ea allusio nominis; si uerò nusquam sunt nominata, id quoque nos latet. Cum hæc ergo, quod attinet ad historiam, dicta sint ab hebræis, cum quibus habui consuetudinem, ego quidem caueo ne pronunciem, utrum etiam apud Hebræos seruetur eadem uis nominum in his allusionibus] & hæc quidem prima est Origenis responsio, ad quam confirmandam possumus uti euangelicæ scripturæ exemplo, non ualde fortasse dissimili, certum est enim Christum Dominum cum alloquens Petrum dixit [Tu es Petrus, & super hæc petram ædificabo ecclesiam meam] nec græcè nec latinè locutum fuisse, eum tamen allusionis sensum habuisse nemo dubitat, in eandem prorsus allusionem in lingua ipsius Domini (syriaca scilicet, ut uidetur) esse certum est, quam in græca & latina deprehendimus. Quare mirum etiam esse non

Ep. ad Iul.
Afric.

debet, si in arborum illarum nominibus eadem esse dicatur allusio, quæ in græcis earundem uocabulis obseruatur. Sequitur alia ORYGENIS responsio [In nostris scripturis sunt quædam uelut etymologiæ, quæ apud hebræos quidem proprie, & conuenienter se habent, apud nos autem non itidem; non est ergo mirandum, si qui Susannæ historiam sunt interpretati, procurarunt ut esset uerbum consonans hebraico, non. n. existimō deſignatiuū habere proportionem, & cōuenientiam cum consonante hebraico nomine] & paucis interiectis [Non est ergo mirum, quòd quidam interpretati de Susanna hebraicum, in arcanis, ut est uerisimile, iam olim apud eos habitum, apud studiosos autem, & ueritatis amantes conseruatum, aut propriè ediderunt dictiones, aut inuenerunt quod responderet hebraicis denominationibus, ut possimus nos græci assequi; nam in multis quoque licet inuenire quædam certo cōsilio fuisse edita ab interpretibus, quæ quidem nos obseruamus inter se cōferentes omnes editiones] HIERONYMVS præterea in latinis quoque uocibus similem proportionem quadam ei, quæ in græcis est, allusionem inuenire studet cum inquit [Cuius rei nos intelligentiam nostris hanc possumus dare, ut uerbi gratia dicamus de arbore Illice dixisse eum, Illicòd pereas, & à lentisco in lentem te comminuat Angelus, uel non lente pereas, aut lentus, id est flexibilis ducaris ad mortem, siue aliud quid ad arboris nomen conueniens] quo exemplo facile intelligimus fieri potuisse ut interpres quoque græcus animaduertens hebraicam allusionem græcis nominibus minus fortasse congruere, aliam similem proportionem aliqua excogitauerit aptam & congruentem, quod Hieronymus in latinis experientauit, & in græcis factum fuisse ab interprete Origenes est suspicatus. Hac itaque sublata difficultate, Daniel erit Ieremiæ conciliandus, cum quo pugnare uidebatur, sed nulla est re uera inter ipsos repugnantia, nam Origenes & Hierony-

mus

mus Iudæorum sententias referētes dicebant, Sedechiam & Achiab, quos Rex Babilonis frixit in sartagine in igne, illos senes esse, qui Susannam adulterij ream fecerant: cum itaque Patres illi Iudæorum dicta recitent, & nullum suum iudiciū interponant, ipsorum testimonio hæc dissensio non confirmatur, quæ propterea à nobis negari facile potest, qui etiam utrumque tueri commode possemus, dicentes eosdem senes lapidibus obrutos Regem Babilonis in sartagine in igne postea frixisse, ut etiā apud nos moris est, aliquos ob nefaria crimina iam necatos incendio conflagare. Vt autem cum Ieremia Daniel non pugnat, ita sibi ipsi optime constat, cum alia mortis genera senibus denunciaret, in quos postea lapidationem factam esse scribit, dicit enim ORIGENES [Quomodo autē alter quidem ab Angelo secatur, alter uerò discinditur? dicendum est non in præfenti seculo hoc eis prædici, sed in Dei iudicio futuro post eorum hinc decessum] Belis quoque & Draconis historia nihil cōtinet quod repugnet, bis. n. Daniel in lacum leonum coniectus fuit, primò quidem à Dario Istaspe ob contemptum Regij edicti; ibiq; cum pernoctasset, postero die est liberatus, ut cap. 6. narratur: Rursus uerò à Rege Cyro in eodem lacu inclusus fuit ob euersum Bel, & interfectum Draconem, nec inde ante septimum diem emisus. Quamuis sint etiam qui asserant, teste Hieronymo, duos fuisse Danieles, unum quidem Prophetam, à Dario missum in lacum, alterum uerò Susannæ liberatorem, & Draconis interfectorem à Cyro leonibus obiectum; cui sententiæ fauere uidetur septuaginta interpretum translatio, in qua legitur Danielem hunc fuisse ex tribu Leui, illum uerò scriptum est fuisse de tribu Iuda. Vltimò loco obijciebatur ABACVC ex Iudæa in Chaldæam transportatus, quod factum nescio quis defendere studens, referente Hieronymo, dicebat simile exemplum proferri posse ex ipsa scriptura, in qua legitur Ezechielem ex Chaldæa in Iudæam translatum pariter fuisse;

H 3 is

Præf. in
Dan.

Præf. in
Dan.

Dan. 1.

Præf. in
Dan.

is tamen animaduertere debebat Ezechielis translationem spiritalem fuisse, Abacuc uerò corpoream, quare, & dissimile, & longe difficilioré. Paulus quoque Apostolus se raptum fatetur, an uerò in corpore uel extra corpus ignorat. Quare proferendum erit insigne Christi exemplū, qui à Diabolo ex Deserto in templi pinnaculum, & inde rursus in montem est transportatus, & quidem uno temporis puncto, ut Lucas scribit, quod quidem difficilius est, quàm breui aliquo temporis interuallo ex Iudæa in Chaldæam ab Angelo transferri, quod ipsi contigit Abacuc; cui motui non sunt etiam fortasse dissimiles Eliæ, & Enoch translationes, si tamen plura essent ad idem confirmandum adiungenda exempla. De Dei autem omnipotentia dubitare impium, & de ipsa hoc loco disputare superuacaneum. Quare de his satis.

Responsiones ad ea, quæ libris Machabæorum obijciuntur. Cap. XXVI.

Lib. 3. inf.
c. 15.



MACHABÆORVM libris uariæ sunt obiectæ calumniæ ab ipsis nostri præsertim temporis, hæreticis, & in primis à Caluino. Sumuntur autem repræhensiones istæ tum ab auctore ipso, & horum librorum scriptore; tum ab historijs tam profanis, quam sacris; tum uerò ex repugnantijs, quæ in illis aperte deprehendi uidentur; postremo denique loco orthodoxorum etiam Patrū testimonijs ipsorū auctoritas, & sanctitas oppugnatur. Quæ autem scriptori opponuntur, hæc sunt. Prophetam illum non esse nec uirum sanctitate aut nomine illustrem, sed obscurum potius, & ignotum, uel saltem incertum, quem alij græcum aliquem hominem fuisse suspicantur; alij, (ut Hieronymus) Iosepho Hebræo potius inscribendos libros conijciunt; quos etiam compendarios esse, & summatim ex alijs descriptos constat, cum auctor ipse dicat [Ab Iasone Cyrenco.

Li. de ecc.
script. & 2.
contra Pe-
lagianos.

2. Mach. 2.

neo quinque compræhensos libros tentauimus uno uolumine breuiare] Quiquis denique fuerit auctor, suo, ut dicitur, Marte, non diuino afflatu hos libros conscripsisse fatetur, cū excusatione utatur, & suos ipse labores, uigilias, & sudores in illis perscribendis prædicet, inquit [Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiandi causa suscepimus, non facilem laborem, imò uerò negocium plenum uigiliarum, & sudoris assumpsimus] excusatio autem Spiritui sancto non est necessaria, aut congruens, nec labore franguntur illi, qui sunt calami scribæ illius uelociter scribentis; propterea de Ieremia scriptum est [Dixit autem eis Baruch, Ex ore suo loquebatur, quasi legens, ad me omnes sermones istos, & ego scribebam in uolumine atramento] Libris autem ipsis multa plura & grauiora obijciuntur; in primis uerò cum multa in eis commemorentur ex prophanis historijs deprompta, non pauci errores in ipsis deprehenduntur, qui illos mendacij coarguant; in illis enim scriptum est, Alexandrum Macedonem fuisse Græciæ primum Regem, cum tamē certum & compertum sit ex omnibus historiarum scriptoribus plurimos in Græcia ante Alexandrum regnasse, qui xxiiij. græcorum Rex numeratur: Deinde uerò narratur, Antiochum Epiphanem regnasse anno 137. Regni græcorū, sed in ipsis græcorum historijs, cum quibus etiam Eusebius in chronicis consentit, scribitur ab Alexandri Regis tempore 153. annos intercessisse, cum Antiochus ille regnare cœpit. De cuius etiam Antiochi morte quædam narrantur, quæ falsa esse ex omnibus græcorum historijs conuincuntur; scribunt enim inter cæteros, Diodorus Siculus, & Polybius Megalopolita, illum, cum Fanum Dianæ Elymaidi expilare moliretur, turpiter fugatum in mare iacuissse, menteque captum graui etiam corporis morbo affectum fuisse, cuius ui consumprum interijssse; hic uerò & plura alia de ipsius morte narrantur, & causam illi dedisse scribitur, quod Hierosolimitanum templum spoliauit, at-

2. Mach. 2

Iere. 3

1. Mach. 1.

1. Mach. 1.

1. Mach. 8. que ex sacro profanum fecerit. Tandem uerò de Romanis scriptum est [Committūt uni homini magistratum suum per singulos annos dominari uniuersæ terræ suæ, & omnes obediunt uni] Quod falsissimum esse nemo est qui ignoret, cum omnes sciant summam rerum à duobus consulibus Romæ administrari solitam, & hæc quidem ex profanis historijs obijciuntur; ex sacris uerò non pauciora opponuntur, scribitur enim hic [Nam cum in Persidem ducerentur patres nostri] Quos tamen in Persidem aliquando translatos esse non legimus, sed in Babilonem transportatos illos fuisse in libris Regum narratur; Deinde uerò ex Ieremia testimonium huiusmodi profertur [Erat autem in ipsa scriptura (libro. S. Ieremiæ) quomodo tabernaculum & arcam iussit Propheta, diuino responso ad se facto, comitari secum usquequo exijt in montem, in quo Moyses ascendit, & uidit Dei hæreditatem, & ueniens ibi Ieremias inuenit locum spelunçæ; & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit, & accesserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire; ut autem cognouit Ieremias, culpans illos dixit, quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc] sed in Ieremia uel Baruch eius scriba nec uerba hæc leguntur, nec huiusmodi sententia inuenitur. Quinimo in tota scriptura nulli legitur Arcam tunc seruata fuisse: Nec etiam fieri potuisse uidetur, ut Ieremias hæc unquam gesserit, quæ hic scribitur; is enim toto obsidionis tempore in carcere iacuit, & in custodias inclusus fuit; postquam uerò ipse uinculis, ciuitas obsidione soluta fuit, direpta statim omnia & uastata ab hostibus fuere, ut Regum historia narrat, & Ieremias ipse testatur; pretiosissimum autem omnium cum esset Tabernaculum, oculos hostium & manus ad se in primis conuertisse, & ad rapinam inuitasse credendum est. Illud quoque falsum

sum esse euincitur, quod Ieremias futurum prædicit, posteros scilicet eorum, qui captiui ducebantur, tunc Arcam inuenturos, cum liberi in patriam reuerterentur; illi enim ex Babilone in Iudæam quandoque redierunt, Arcam tamen ab ipsis uel eorum posteris repertam & templo restitutam nullibi legitur, ut propterea ipse Propheta mendacij conuincatur. Tandem uerò cum Euangelio etiam pugnare libri isti uidentur, in quibus scribitur [Quinto & Quadragesimo, & centesimo anno ædificauit Rex Antiochus abominandum Idolum desolationis super altare Dei] Quibus uerbis significatur id factum esse, quod olim Daniel futurum prænuñciauit dicēs [Et erit in templo abominatio desolationis] id uerò longo post interuallo nondum contigisse, sed futurum testatur, cōmonetque ipse CHRISTVS. inquit [Cum ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, (qui legit intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes &c.] Nec solum scripturis sanctis libri isti repugnant, sed inter se quoque maxime pugnant. In primo enim libro scribitur Templi purgationem à Iuda factam fuisse anno Regni græcorum 148. in secundo uero narratur hæc eadem purgatio post biennium facta, anno s. 150. Rursus libro primo legitur Antiochum in merore uersatum decubuisse, & paulo post uitam amisisse; in secundo autem scribitur è curru illum decidisse, & comminutis artibus, paulatim eodem putrescente, uermes undique ebullire cœpisse, ac tandem & dolore pedore ipsum confectū obiisse. De eodem etiā narratur in primo, quòd in Babilone diuturno morbo consumptus in suo lectulo iacens occubuerit; At in secundo legimus in Perside illum occisum Naneæ templū expilantem, atque ab hostibus dilaniatum, & in membra difcreptum fuisse, infra uerò in eodem libro scriptum est, quòd in itinere Ecbaranam iam prætergressus interierit. In cuius etiā mortis tempore narrationes inter se non cohærent, cum

1. Mach. 1.

Dan. 9.

Matt. 24.

1. Matt. 4.
2. Mac. 10.
1. Mach. 6.
2. Mach. 9.

1. Mach. 6.

2. Mach. 1.
2. Mach. 9.

in

1. Mach. 6.
2. Mach. 1.

in primo libro scriptum est; Anno 149. Regni Græcorum illum interijisse, in secundo uerò 188. anno è uita idem decessisse narretur. Nec minor est repugnantia in Iudæ Machabæi interitus narratione, quem 152. anno Regni græcorum interemptum legimus in primo libro, in secundo autem recitatur eiusdem epistola ad Aristobolum Ptolomæi Regis magistrum missa anno græcorum Regni 188. qui est trigessimus sextus ab ipsius Iudæ interitu, ut necesse sit illum uel superuixisse, uel olim mortuum litteras misisse. Quare mendosam esse hanc historiam fatendum est, nec in factorum numerum referendam: Propterea sancti Patres diuinos libros enumerantes, hos silentio præterierunt, ut MELITO SARDENSIS episcopus in epistola ad Onesimum ab Eusebio recitata, ATHANASIUS in synopti, GREGORIUS NAZIANZENSIS in libro carminum, EPIPHANIUS in lib. de pond. & mens. RUFFINUS in Symb. Apost. PHILASTRIUS Brixienfis in Cat. her. Io. DAMASCENUS in libris orthodoxæ fidei, Nec canone Laodicensi concilij libri isti continentur, GELASIUS uerò & INNOCENTIUS ex illis unum tantum agnoscunt, & inter sacros numerant, HIERONYMUS autem utrunque aperte excludit, dicens [Machabæorum libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit] GREGORIUS tandem Papa PRIMVS horum librorum testimonio utens ait [Non inordinate agimus, si ex libris, licet non canonicis, sed tamen ad Ecclesiæ ædificationem editis, testimonia proferimus] His itaque Patrum auctoritatibus obtrectatorum sententia confirmatur, pluribus antea, ut uidimus, rationibus conclusa. Nos tamen ab ecclesiæ Traditione iam dilucidata, atque à canone in^a Charthaginensi tertio Florentino, & Tridentino Concilij promulgato non discedentes, aduersariorum fallaces argumentationes diluere non dubitamus. De scriba igitur horum uoluminum, quorum auctorem agnoscimus Spiritum sanctum, sine cura omnino sumus;

huiusmo-

huiusmodi enim obiecta, ut initio diximus, nihili ducimus, quamuis HIERONYMUS non asserat Iosephum libros istos conscripsisse, sed aliorum sententiam referens, ipse autem hæsitans dicat [Iosephus Machabæorum fertur scriptor historię] & alibi scribat [Machabæorum primum librum hebraicum reperi, secundus græcus est, quod ex ipsa quoque Phrasi probari potest] Quis igitur fuerit scriba, siue etiam plures extiterint, cum non sit idem utriusque uoluminis stylus, & secundus liber ea repetat, quæ sunt narrata in primo, sitque ille summa quædam librorum Iasonis Cyrenæi, id totum incertum relinquimus. Et Spiritum sanctum auctorem interim profite mur, cuius instinctu scriptor concitatus, sententias omnes ex eo fonte hausit; uerborum quoque delectui, & constructioni idem astitit spiritus, rationis tamen atque naturalium uirium obsequium, & nauam ac industriam operam non recusauit, id enim quandoque solet, ut de Prophetia agentes declarauimus; propterea nec omnes scriptores, ut de Ieremia Baruch scribit, ita sermones diuinos litteris consignarunt, ac si de scripto illos recitaret, nec unus omnium est stylus, nec humanum artificium diuino afflatui repugnat: Quare nec excusatio turpis est, quæ nostrarum uirium imbecillitatem accusat, uel humanam incitiam & infantiam profitetur, quam de seipso Paulus frequenter prædicat; horum autem librorum scriptoricum se excusat, quid aliud quæso agit, quam fateri se tanquam hominem diligentem operam nauasse, ut breuiter & concinne hæc gesta perfringeret? atque in eo præstando multum laboris ac uigiliarum cõsumpsisse? quod quidem est humanam infirmitatem accusare, non diuinum instinctum negare, uel illius operi excusationem parare. Quod quidem factum similiter fuisse nouimus à Iesu filio Syrach in libro Ecclesiastici, quem canonicum esse iam pridem demonstrauius, tum ipsius Traditionem explicantes, tum obiectas illi calumnias propulsantes, is enim Sirach filius.

Pro. gal ca-
to.

1. Mach. 9.
2. Mach. 1.

Lib. 4. h. st.
cap. 15.

a Cath.
hdi. c. 27.
b 4. orth.
fid. cap. 18.
Cõc. laod.
cann. u. t.
Gel. de lib.
can.
Innc. epist.
ad exup.
Præf. in
Prou.
Li. 19. mor.

Responsio.
a cap. 47.
b Inst. At.
c Scil. 4.

lius in Prooemio eiusdem libri dicebat [Hortor itaque uenire uos cum beneuolentia, & attentione studio lectionem facere, & ueniam habere in illis, in quibus uidemur sequentes imaginem sapiētiae, & deficere in uerborum compositione] & paucis interiectis [itaque bonum & necessarium putauit, & ipse aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi librum istum, & multa uigilia attulit doctrinam in spatio temporis ad illa, quæ ad finem ducunt, librum istum dare &c.] & hæc quidem dicta sint de Auctore; ad ea autem quæ ex historijs profanis obijciuntur respondentes dicimus. Alexandrum magnum multis quidem Regibus successisse non solum in Græcia, sed in ipsa etiam Macedonia, primū tamen fuisse, qui toti Græciæ imperauerit, & Monarchiam ad Græcos transtulerit, atque sub cuius imperium ditionemque Syria ipse ceciderit; propter quæ primus Græcorum Rex hic appellatur. A quo tamen Alexandro ipsi hebræi Græcorum Regni annos non numerant, ut Eusebius testatur in Chronicis, sed à Seleuco cognomento Nicanore, qui primus post Alexandrum diuiso imperio in Syria regnauit subductis itaque quinque annis imperij Alexātri, quibus dum uiueret Syria imperauit, atque undecim aliis, qui ab Alexandri morte intercesserunt, cū Seleucus regnare cepit, profectò ex illis 153. annis, quos ab Alexandri Regno aduersarij numerantes obijciebant, restant 137. totidē autem hic scripti sunt, quare in hoc quoque annorum numero nullus est error; sicut nulla est repugnantia inter ea quæ de Antiochi interitu hic narrantur, & quæ ab historijs de eodem scribuntur; quod enim fanum Dianæ expilare cogitans pulsus sit, atque mœrore & morbo confectus obierit, ut ab illis narratur, ita in his libris legitur; conijciūt deinde Idololatræ illi scriptores, penas ipsum dedisse flagitij conceptæ expilationis; testatur uerò Spiritus sanctus, supplicium illud pœnam potius fuisse sceleris in ueri Dei templum editi, quàm flagitij in Idola meditati,

2. Mach. 19.

ti. Morem tandem Romanorum in dando uni soli imperio aliqui excusantes, dicunt ad Iudæos ita perlatum fuisse, sed non aduertunt isti Spiritus sancti hanc esse sententiam, qui inanes, & falsos rumores nō aucupatur, sed omnia cernens, nec fallit, nec fallitur; quare potius dicendum est, uel de Dictatoribus illum loqui, quorum summa potestas erat omnium rerum, & eorum aliquot in Machabæorum tempora inciderunt, uel de Consulibus quidem sermonem habere, quibus frequenter accidisse legimus, ut unus in urbe omnia sua auctoritate administrarit, alter uerò foris bella summo cum imperio gesserit; quare si ad urbana respicias, ab uno illa pendere dicas, si uerò ad externa oculos adijcias, unius pariter auctoritatem agnoscas. Sequuntur nunc sacræ historiæ, cum quibus Machabæorum gesta pugnare uidebantur; in primis uerò obijciebatur, quòd in Persidē olim hebræos translatos esse, in his libris scribatur, quod tamen nullibi factum legitur, & falsum esse compertum est: hæc autem obiecta calumnia, quæ multos torquet, a nobis facile, ni fallor, propulsatur; si aduertamus Persidem in hoc libro etiam uocari, quæ illi uicinæ, & finitimæ sunt regiones, ut est ipsa Babylon; de qua scribitur, [& reuersus est in Babyloniam, & uenit qui nunciaret ei in Perside.] quod etiam Patres usurparunt, ut Chrysostomus, qui in Matthæum scribens Chaldæam Persidem appellauit. Testimonium deinde, quod ex Ieremia profertur, dicimus non esse sumptum ex illius, uel Baruch libris, qui nunc inter canonicos numerantur, sed ex Descriptionibus, quæ uel ab Hebræis dolo subductæ, aut adulteratæ in apocryphis iacuerunt, cum Hieronymus ipse Ieremiæ librum quendam apocryphum se legisse testetur, in quo scripta erant illa uerba [& acceperunt triginta argenteos pretium appretiati.] Quæ in libris canonicis non habentur, cum tamen Matthæus dicat scripta esse ab Ieremia; uel alia quapiam occasione Descriptiones illæ deperierunt. Quòd

1. Mach. 6.
in Matt.
hom. 6.

Quòd autem Ieremias Arcam seruauerit, & si alibi non legatur, hic tamen narrari fat est, idque ab eo fieri potuisse non est quod dubitemus, quamuis obsidionis tempore in custodias inclusus ipse fuerit; quid enim prohibet Hierosolyma nondum obsessa, uel obsidione iam soluta, id eum præstitisse, quod etiam dum in carceribus conderetur ipsum effecisse nonnulli asserunt, consilio. s. hortatione, & præcepto, ut per alios egerit, quod per se ipsum præstare non poterat; cui sententiæ uidetur ipsa etiam scriptura fauere, quæ dicit [Inuenitur in Descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quod iussit eos ignem accipere.] id autem cum nobis minus probetur, ipsis scripturæ uerbis palàm indicantibus, Ieremiam per se ipsum ea omnia effecisse; quæ ibi commemorantur, ubi scribitur [Tabernaculum & Arcam iussit Propheta diuino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses ascendit, & uidit Dei hæreditatem, & ueniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ, & tabernaculum, & Arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit] concedimus hæc acta non fuisse obsidionis tempore, affirmamusque uel ea omnia præcessisse regnante. s. Ieconia, & præsentiente Ieremia Urbis, ac Templi direptionem, & uastitatem sub Rege Sedechia futuram, propterea que procurante, ut Arca in tuto poneretur, ne paulo post ad uictorum hostium manus perueniret; uel subssecuta esse hostium uictoriam, illorum tamen permissu, qui cum optime nossent Ieremiam semper fuisse Regi, & populo deditiois hortatorem acerrimum, & in carcerem propterea coniectum, suspicari facile possumus, ipsos illi honesta petenti gratificari uoluisse. Quare Tabernaculū cū Arca liberaliter ei concessisse, præsertim cum nullibi scriptum sit, hæc à uictoribus rapta esse, & in Chaldæam transportata, quæ tamen silentio non erant prætereunda, cum omnium essent pretiosissima, & minuta quæque ac uiliora sacra ablata si-

gil-

gillatim enumerentur, & postea restituta recenseantur, nulla unquam de Arca & Tabernaculo mentione facta; Hæc igitur nec abrepta, nec restituta à Chaldæis putamus, nec ab Hebræis reducibus inuenta credimus, quæ uel re ipsa reperienda, & deposita recuperanda dicimus, cum nouissimis temporibus dispersi Iudæi congregabuntur, ut exponit EPIPHANIVS; uel mystice inuenta asserimus, cum iam Christus aduenerit, cuius arca erat figura, ut RVPERTVS interpretatur. Quòd autem ab Ieremia ea gesta sint, quæ hic commemorantur^a EPIPHANIVS, ^bTHEOPHILACTVS, & DOROTHEVS Tiri episcopus asserunt atque tuentur. Cum euangelio denique illud non pugnat [Aedificauit Rex Antiochus abominandum Idololum desolationis super altare Dei] quid enim gestum sit narratur, ad Danielis uero uaticinationem illud referri non asseritur, quam Adriani Idolo cumulate aliquando explendam fore non negatur, ut quod Christus futurum interpretatur, id factum præiudicetur. Sed neque inter se pugnant quæ in his libris scribuntur (quod quidem ultimo loco opponebatur) templi enim purgationem (quamuis aliqui duplicem illam fuisse affirmantes temporum discrepantiam facile concilient) unicam tamen fuisse nos concedimus, eamque factam asserimus anno 148. Regni Græcorū, ut libro primo scribitur, eadem autem reperitur in secundo, sed ordine præpostero, prius. s. narrata Antiochi morte, quæ tamen Templi purgatio antecesserat, uerba uerò illa [Sacrificia obtulerunt post biennium] ita sunt interpretanda, ut illud [Post] non quidem ad Antiochi interitum, sed ad templi uiolationem sit referendum; illo enim profano facto, non poterant offerri sacrificia, quæ ipso expiato tandem post biennium oblata sunt. Quæ uerò de Antiochi morte uarie scripta uidentur, sunt etiam qui concilient, asserentes duos fuisse Antiochos, quorum interitus in his libris narrantur, & in vno quidem omnes isti conueniunt, in altero autem, de quo

in

In uita Ieremiæ.

Lib. 10. de Iust. uers. 21.

a In uita Ierem.

b In epist. ad Heb. c. 9

c In synop. de uitis prophetarum.

Sixtus sen. Bibl. lib. 8.

1. Mach. 6. 2. Mac. 13.

2 Mac. 10.

Nicolaus
de Livia &
Melchior
cano.

in primo capite secūdi libri scribitur, dissentiunt, affirmātibus his magnū illum fuisse Antiochum Epiphanis patrem, quod nobis minus probatur, tum quia is antea obierat, quā Iudas Machabæus, qui eius recentem mortem narrat, Dux esset Iudeorum; tum etiam quia ipsi nullæ intercesserunt inimicitia cum hebræis, propter quas in eius interitu isti exultarent, quos tamen magna letitia gestire Iudæ epistola non obscure testatur; illis uerò asserentibus Antiochum hunc fuisse Demetrii filium, Triphonem uel Gryphum uocitatum: Quæ quidem sententia eadem difficultate premitur, quā superior cum eo regnante, & uitam ammittente, Dux Iudæorum non esset Iudas, qui illius recentem interitum scribit, nec prætera uiueret Ptolomeus Philometor Rex Aegypti, aut Aristobolus eius magister, ad quæ hæc Iudæ epistola scripta est; Quare nos potius existimamus unum, eundemque Antiochum ubique commemorari, Epiphanem quidem illum, Iudæ coæuum, & Iudæis pertinaciter insensum, qui templum diripuit, & ex sacro profanum fecit, septemque pueros crudeliter mactauit, cui omnia, quæ hic scribuntur, congruere cognoscemus, si ea dispersa colligamus, & confusa in ordinem redigamus, dicentes Antiochum Epiphanem, postquam Templum Hierosolomiticum ex sacro profanum fecerat, Fanum Dianæ, uel Nanæ (quod idem est) expilare molientem, custodum impetu deturbatum, lapidibus apertum, & percussum, fugatum esse, acceptoque deinde tristi nuncio de ipsius exercitu in Iudæa quoque cæso, & fugato, graui mœrore affectum, corpore, & mente grauiter ualuisse, atque in itinere è curru delapsū concussis & fractis membris & in foetore iacentem interiisse; quod autem is Antiochus in Nanæ Templi expilatione interfectus, ac dilaniatus sit (ut obijciebatur) nullibi scriptum est, sed in secundo libro cæsos quidem ac discerptos fuisse illius milites narratur, lapidibus tamen Rege percusso, ait enim scriptura

[Mit-

[Mittentes lapides percusserunt Ducem, & eos qui cum eo erant, & diuiserunt membratim, & capitibus amputatis foras proiecerunt] eam uerò, quæ in huius Antiochi morte uidebatur temporis repugnantia, cum ex Iudæ epistola proferatur, ex qua etiam nō leuis de Iudæ interitu difficultas exoriebatur, commode conciliabimus, & utramq; calumniam unica responsione propulsabimus, si quo tempore scripta epistola illa fuerit aduertamus, quam quidem anno 188. missam fuisse ex ipsamet inscriptione obtrectatores demonstrant, cuius hæc sunt uerba [Anno 188. populus, qui est Ierosolymis, & in Iudæa, senatusque & Iudas Aristobolo magistro Ptolomei Regis] concedentes plerique obiecta crimina diluere diuersis rationibus conatisunt, quorum alij dicunt epistolam hanc non fuisse à Iuda Machabæo conscriptam, sed à quopiam ætate illo posteriore, id uerò nobis minus probatur, cum nullibi legamus Iudam aliquem illis temporibus Iudæorum ducem fuisse præter illum Machabæum, atque huiusmodi præterea responsio, quamuis Iudæ controuersiam dirimere uideatur, eam tamen repugnantiam, quæ in Antiochi obitu inducebatur, non tollat; per hanc enim epistolam anno 188. missam, certior fit Aristobolus de Antiochi interitu, quem eundem Epiphanem esse iam diximus, & anno. CXLIX. obijisse scriptura testatur. Alij uerò concedunt quidem epistolæ huius auctorem fuisse Iudam Machabæum, sed annos in ipsa à Seleuco numerari negant, quos potius ab Assueri anno XII. numerandos putant, qui annus ob Iudæorum salutem a Regina Esther pro eis intercedente impetratam, ita fuit postea celebris, ut ab ipso posteriorum temporum anni apud quosdam numerati legantur. Quam responsionem ne omnino probemus, illud in primis est in causa, quod uerisimile non uidetur constantem scripturæ, morem a Seleuco annos numerantis, in hac sola epistola immutari; Deinde uerò hoc etiam nouo, & inusitato

2. Mach. 1.

2. Mach. 1.

2. Mach. 1.

Rupertus
lib. de uis.
uerf. c. 15.

Rupertus
lib. 10. c. 6.

I nume-

numerandi more posito, discrepantia omnis non tollitur, nec tempora sibi ipsis valde consentiunt; ab anno enim 12. Afueri 29. anni intercesserunt, cum Darius filius regnare cepit, cuius regni sex anni illis accedentes 35. annorum numerum conficiunt, quibus si addantur anni 148. regni Græcorum (vt illi etiam numerant) 184. annorum numerum explent, cum 188. esse debuissent, quo anno hanc Iudæ epistolam conscriptam esse ipsi fatentur; in diuina autem scriptura, nec leue erratum, nec minimum mendacium est admitendum. Quòd si istis annos 17. adiunxeris, qui inter Darium & Seleucum interiecti meritò addendi sunt. 201. annus iam erit completus, quare vel redundant, vel desunt anni, nec scripturæ numerum complent: huc accedit, quòd huiusmodi rationem, & calculum subducentes, Afuerum penultimū Persarum regem constituunt, id verò falsum esse veteres historici declarant; nam Eusebius tertium adhuc Regem post ipsum numerat, alij autem præterea plures, cum de ipso Afuero variæ sint sententiæ, & quis ille fuerit inter omnes non constet, vt librum Esther a calumnijs vindicantes, fusius declarauimus; superiores itaque responsiones nos missas facientes, vtramque repugnantiam vnica negatione conciliabimus, negamus enim hanc ad Aristobolum epistolam, quam a Iuda Machabæo conscriptam fatemur, anno 188. missam fuisse, ad allatam verò ex scriptura inscriptionem respòdentes, pun-
 2. Mach. 1. ti fallaciam obijcimus, cum enim ibi duæ sint descriptæ epistolæ, prioris quidem postrema verba illa esse dicimus [Anno
 2. Mach. 1. 188.] posterioris verò initium quæ sequuntur [Populus qui est Ierosolimis & in Iudæa, senatusque, & Iudas Aristobolo magistro Ptolomei Regis] ex hac verò posteriori epistola cū omnis repugnantia oriretur, iam interiecto puncto, quo superpositum illud ipsius caput abscinditur, omnia inter se optimè cohærent. Reliquum igitur est, vt ad sola Patrum obiecta testimonio respondeamus, qui quidem notissimæ traditionis
 libros

libros enumerantes, quos minus perspectos habebant, nec ab omnibus suscipi animaduertent, ut sunt ipsi Machabæorum libri, silentio facilè præterierunt, uel canonicos non esse asseruerunt, quia minus notæ traditionis essent, quod nos quoque concedimus; quidam etiam Machabæorum librum unum inter canonicos numerauerunt, uel quia unum cum esset uolumen, in duas postea partes diuisum, duplex apud nos euaserit, quod prioribus etiam Eudræ libris contigisse iam demonstrauimus, uel quoniam primus liber magis notus esset, quàm secundus, paucioresque aduersarios haberet, atque in leuiore repræhensionem incurreret: Aliqui præterea ab Hebræorum canone non discedentes, quod ipsimet profitentur, ut Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, & Damascenus, libros istos ab Hebræis reiectos prætermittere non sunt ueriti, Nunc uerò ipsorum traditione dilucidata, atque Ecclesiæ sententia lata, ac sæpius decantata, ut iam demonstrauimus, illos profanos asserere, & in sacrorum numerum non referre, nephas omnino est, quos
 AVGVSTINVS sæpissime inter cæteros Patres testatur, non quidem à Iudæis, sed ab ipsa ecclesiâ suscipi, cuius sententiam cum soleat MAGNVS GREGORIUS in cæteris studiosissime sequi, uenit mihi quandoque in mentem subuereri ne illius uerba nobis obiecta, ab aliquo sint fortè corrupta, quòd si ipsius utique germana sunt, & a nemine deprauata, sensu catholico, quem paulò ante protulimus, erunt piè interpretanda, & sacris canonibus concilianda.

De ciu. Dei
 li. 18. c. 36:
 Lib. 2. contra
 epi.
 Gaud. c. 13.
 Lib. de cura
 pro mortuis. c. 1.

Responsiones ad ea, quæ Euangelij obijciuntur.

Cap. XXVII.

Aug. cōtra
Faustum.
lib. 17.
Matth. 4.



IN primis MATTHÆI EVANGELIO Manichæi, atque Anabaptistæ obiiciunt, falsò illud Matthæo inscribi, cum in ipso scriptum sit [Et cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem in Telonio Matthæum nomine, & vocauit eum, at ille confestim surgens secutus est eum] qui, si huius auctor esset Euangelij, aptè quidem, & congruenter dixisset, vocauit me, & surgens secutus sum eum, nunc autem tanquam de aliena persona locutus [Vocauit eum] dixit, quem antea Matthæum appellauerat. Huc accedit, quod Hebraicè conscriptum à Matthæo fuisse euangelium testatur^a Ireneus, atque ex sententia^b Papiæ, ^c Pantheni, & ^d Origenis Eusebius refert, in hoc autem Euangelio, quod Matthæo inscribitur, aliquot hebraica nomina interpretatione explicantur, veluti extranea, & inaudita, vt exēpli causa [Emmanuel, quod interpretatur nobiscū Deus] & [Eli eli lamafabathani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?] quæ nomina, cum essent Hebræis nota, & familiaria, nulla apud ipsos interpretatione egebant; quòd si auctor alijs hebraicis nominibus illa est interpretatus, frustra id fecit, cum id quod notum erat, æquè noto explicarit; sin uerò græcis verbis exposuit, aperta obscurauit, ut interpres apud hebræos interprete egeret, nec causam afferre potest, cur hæc potius quàm alia hebraica nomina sit interpretatus. Quare fatendum est huius euangelij auctorem græcè scripsisse, nec fuisse Matthæum Hebraicum, ut diximus, euangelij scriptorem. Quòd si huiusmodi nominum interpretationem græco cuiquam interpreti ascribas, culpam quidem in illum reicies, sed totum

Euan-

Euangelium suspectum reddes, cum diuinis vocibus humanæ admistæ sint. Has verò obiectas calumnias propulsantes dicimus, loquendi morem hunc apud omnes scriptores vsitatum esse, scriptoribus verò sacris valde familiarem, vt de seipsis ita scribant, ac si de alio homine loquerentur; ita exempli causa, IOANNES dicebat [Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine quis est, qui tradet te? hunc ergo cum vidisset Petrus &c.] & nonnullis interiectis. [Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scimus, quia verum est testimonium eius] Imò CHRISTVS ipse hunc loquendi modum frequenter vsurpauit inquit [Cum venerit filius hominis, putasne inueniet fidem in terra?] & [Venit filius hominis manducans, & bibens] ac rursus [& veniet hora quando mortui audient vocem filij Dei] atq; AVGVSTINVS Faustum Manichæum, id huic Matthæi Euangelio obiicientem, coarguens dicebat [Et in historia quidem rerum secularium talis narrationis reperiuntur exempla, sed non opus est, vt ex alio genere litterarum, vel nostros admoneam, vel istum refellā, ipse certè paulo ante de libris Moyssi quædam testimonia ita proferebat, vt non ea negaret scripsisse Moysem, imò & affirmaret, sed ad Christum non pertinere contenderet; legant ergo in eisdem libris, quæ descripsit Moyse, vtrum ita scripserit, Dixi, aut feci, hoc, vel illud, & non potius dixit Moyse, & fecit Moyse, aut vocauit me Dominus, & non potius vocauit Dominus Moysem, & dixit Dominus ad Moysem, & omnia cætera in eundem modum. Ita ergo & Matthæus de se tanquam de alio scripsit] mirum itaque esse non debet, si eadem phrasi vsus Matthæum animaduertamus, quem etiā hebraicè scripsisse concedimus; nominum verò quorundam interpretationem additam quidem fuisse dicimus a græco interprete, vt vim illorum magis declararet, nec tamen suspectum propterea esse

I 3 totum

Responsio.

Ioan. 21.

Luc. 18.
Matth. 11.
Ioan. 5.
Cōtra Fau-
stum. li. 17.

a Li. 3. c. 1.
b Lib. 3. his-
toriarum.
c Lib. 5.
d Lib. 6.
Matth. 1.
Matth. 27.

totum euangelium, cui nihil extraneum est admistum, sed quod Hebraicè auctor scripserat, idem repetitum, in aliam tamen linguam translatum, hebraico nomini est ab interprete adiunctum, quod etiam 70. interpretes sapius fecerunt, hebraicas voces græcis explicando repetentes, ut [Galaad, hoc est tumulus testis] & [Benoni, id est filius doloris mei] & [Beniamin, id est filius dexteræ] & [Phase, id est transitus Domini] quorum tamen interpretatio, & vtriusque linguæ nominum copulatio Mosaicorum librorum auctoritatem non labefactauit, aut maiestatem imminuit, sed scripturæ sacræ speciem, & nomen ipsa quoque induit, quo nomine illam appellat HIERONYMVS dicens. [Hanc consuetudinem in pluribus locis scriptura conseruat, ut hebraicum nomen cum interpretatione sua ponat] Hactenus igitur de euangelio secundum Matthæum. Quod autem SECVNDVM MARCVM est, a nonnullis, præsertim verò ab Anabaptistis, mutilum ac decurtatum legitur, amputatum nimirum vltimo capite, cui vetustiorum græcorum codicum auctoritatem, atque HIERONYMI testimonium opponunt dicentis. [Non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur euangelijs, omnibus Græciæ libris penè hoc capitulum in fine non habentibus, præsertim cum diuersa atque contraria euangelistis cæteris narrare videatur] Ad quos respondent aliqui, fuisse olim huic Marci capiti admistos quosdam apocryphos, & adulterinos periodos, quorum vnus est ille, quem recitat HIERONYMVS aduersus Pelagianos scribens [In quibusdam exemplaribus, & maximè in græcis codicibus iuxta Marcum in fine eius euangelij scribitur, Et illi satisfaciebant dicentes, seculum istud iniquitatis, & incredulitatis substantia est, quæ non finit per immundos spiritus, veram Dei apprehendi virtutem, iccirco iam nunc reuela iustitiam tuam] hos igitur periodos ecclesiam teste Hieronymo non suscipere, atque in emendatioribus codicibus non legi isti concedunt, quæ verò reliqua sunt

in

in eo capite, pro diuinis, & Marci germanis semper habitasse tum ab Ecclesia, tum ab ipso Hieronymo asserere non verentur; quorum sententia, ac responsio nobis minus probatur, atque aduersariorum argumentationem diluere non videtur; quæ enim huic capiti obijciebatur repugnãtia, est ob resurrectionis Domini testimonium; quod quidem ab Ecclesia suscipitur, & tanquam Marci germanum agnoscitur, atque de eodem dicebat HIERONYMVS. [Non recipimus Marci testimonium] quod Hieronymi dictum etiam EUTHYMERII testimonio comprobatur, qui illis euangelij verbis expositis. [Nemini quicquã dixerunt, timebant enim] inquit [Quidam interpretum asserunt hoc in loco completum esse Marci euangelium, quæ verò sequuntur recentiorum esse additionem] Quare dicimus nos, admistos quidem fuisse huic capiti apocryphos quosdam periodos, quorum culpa totum caput quandoque suspectum fuit, ab illis scilicet verbis [Surgens autem Iesus mane prima sabbati] quapropter non soli adulterini periodi, sed etiam diuina verba illis admista a multis repudiabantur, nunc vero apocryphis refecatis, & diuino sermone expurgato, integrum caput Ecclesia suscipit, ac veneratur; quod etiam Hieronymus in latinum ex græco transtulit, commentariis explicauit, ac tanquam diuinum agnouit vnà cum cæteris Orthodoxis Patribus, quos etiam hoc in loco sequuntur plerique ex recentioribus hæreticis, nec illud obstat, quod ad Edibiam scriptum obijciebatur, id enim ex aliorum sententia protulit Hieronymus, qui statim illam Euangeliorum repugnãtiam conciliauit, atque obiecta uerba non affirmatè, sed dubiè enunciauit, præposita [Aut] particula, ab aduersarijs studiose prætermissa, cuius integrum testimonium, ita se habet [Aut nõ recipimus Marci testimoniũ, quod in raris fertur euangelijs] Deinde quasi aliorum responsioni suam adiungens inquit [Aut ad hoc respõdendum quod uterq; (euangelista scilicet)

I 4 uerum

Gen. 31.
Gen. 35.
Exod. 12.In Epi. ad
Gala. ca. 4.Marci cap.
vlt.Ad edibiã.
9.3.Li. 2. aduer
sus Pelagia
nos.Ad edibiã.
9.3.

Mar. 16.

Caluinus
lib. 1. insti.
cap. 17.
Epi. ad edi-
biam. 9.3.Ad edibiã.
9.3.

uerum dixerit] ostenditq; omnia consona esse, atque inter se optime cohærere. Sequitur EVANGELIUM SECUNDVM LVCAM, à quo non desunt, qui narrationem illam refecent de Angelo Iesum confortante, & sudore sanguineo ex sacro corpore effluente; eam enim in quamplurimis codicibus olim scriptam non fuisse asserunt, idq; Hilarij, ac Hieronymi testimonijs probari potest. Qui etiã Sancti Patres de illa dubitasse videntur, dicente HILARIO [Nec sanè ignorandum à nobis est, & in græcis, & in latinis codicibus cõplurimis, uel de adueniente Angelo, uel de sudore sanguineo nihil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur utrum hoc in libris uarijs, aut desit, aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diuersitate librorum) &c.] HIERONYMO uerò testante eandem narrationem in paucis codicibus inueniri, cū ait [In quibusdam codicibus tam græcis, quàm latinis inuenitur scribente Luca, Apparuit ei Angelus de cœlo cõfortans eum, haud dubium quin Dominum Saluatorem] Nos autem eandem historiam unà cum manantis sudoris sanguinei miraculo, atque mysterio, in ecclesiasticis canonibus, codicibusque descriptam, & comprobata esse scientes, atque apostolicam traditionem abundè ex inductis Patrum testimonijs perspectã habentes, quorum neminem apertè illam repudiassè aliquando nouimus, nihil omnino ducimus, si in multis corruptis, mutilisq; exemplaribus descripta hæc olim non esse animaduertentes quidam sancti uiri, nihil certi de ipsis statuere ausi sint, apud quos etiam si minus notæ traditionis ea fuissent, nõ propterea, ut sæpius iam diximus, ac probauimus, essent à canonicis uoluminibus refecanda, sed potius ecclesiæ Iudicio, ac testimonio ueneranda. Reliquum est Ioannis euangelium, à quo amputandum esse DE ADULTERA MULIERE HISTORIAM contendunt curiosi obtrectatores, in primis uerò Erasmus EUSEBII testimonio idè probans dicentis [Papias historiam quandam subiungit de muliere adultera, quæ accusata est

Lucæ c. 22.

Lib. 10. de Trin.

Lib. 2. contra Pelagianos.

Euang. Io. De adultera.
Lib. 3. hist. 439.

est à Iudæis apud Dominum, habetur autem in euangelio, quod dicitur secundum Hebræos, scripta ista parabola.] Hieronymus quoque testatur non reperiri huiusmodi narrationem in omnibus Euangeliorum exemplaribus dicens [In Euangelio secundum Ioannem in multis & græcis & latinis codicibus inuenitur de adultera muliere, quæ accusata est apud Dominum] Chrysostomus denique, Theophilactus, & Euthinius Ioannis euangelium exponentes, narrationem hanc silentio præterierunt. Ad quæ respondentes aliqui dixerunt, narrationem, quæ habetur in Ioannis Euangelio, & ab ecclesia legitur, de peccatrice muliere, diuersam esse ab illa historia, quæ apud Papiam adulteræ cuiusdam factum narrat: Alij uerò asserunt Eusebij Codicem corruptum esse, sunt etiam qui dicant, euangelium secundum Hebræos, de quo mentio fit apud Eusebium, non esse illud Tatiani apocryphum, sed aliud multorum sermone celebratum, quo etiam Iudæi ad Christum conuersi, ut idem Eusebius alibi refert, uti consueuerunt, quamuis inter sacra uolumina ecclesiæ iudicio non numeraretur. Nos tandem missam facientes quæstionem de Euangelio secundum Hebræos, quod quidem apocryphum esse non dubitamus, quãuis à Tatiano non esset lucubratum, cum sit ab ecclesia reiectum, atque Eusebij codicem incorruptum esse concedentes, negamus hanc de adultera narrationem propterea repudiandam, quia in aliquibus apocryphis legatur, in quibus multa uera falsis admista esse poterunt, ut in singulis apocryphis libris est obseruatum; quod si in quibusdam fortè exemplaribus prætermissa olim fuerit hæc historia, quamuis Hieronymus id aperte non testetur, mirum esse non debet, cum id alijs quoque scripturis sacris, atque illarum particulis contigisse iam suis locis demonstraauerimus, quod Hæreticorum fraudi, uel piorum incuriæ tribuendum est; sed integris atq; incorruptis codicibus fides est adhibenda, quos unà cū sacra peccatricis historia suscipimus, uitiosa

Lib. 2. contra Pelagianos.

Lib. 1. hist. cap. 25.

uitiosa aut, ac mutila euāgeliorum exemplaria repudiamus. Quod si Chrysoſtomi explanatio hoc loco nō habeatur, uel dedita opera à quopiam illam subductam, uel quauis alia ratione periſſe, uel tanquam minus perfectæ particulæ ab ipſomet prætermiſſam eſſe dicimus, quem ſecuti ſunt Theophilus atque Eutymius, ut pote qui compendiarij fuerint, & commentaria ex Chryſoſtomo quaſi ſummatim deſcripta confecerint, Qui quidem una cum ipſo hanc narrationem præmittentes, nunquam tamen illam repudiare, & apocrypham aſſerere auſi ſunt, quam illis antiquiores Patres Clemens Rom. Ammonius, Athanaſius, Cyrillus Alexādrinus, & Ambroſius amplexi ſunt, explicarunt, ac Ioannis germanam agnouerunt, ut iam illorū teſtimonia inducentes oſtendimus, quorum dicta, ac ſententias uetuiſſima, & frequens eccleſiæ lectio abunde comprobatur.

Pauli epiſtolæ ad Philomonem Deſenſio.

Cap. XXVIII.



QUAMVIS Marcion, impius olim hereticus, Pauli epiſtolas aliquas repudiaret, alias corruperit, lacera- rit, mutilaritque, eam tamen ſolam, quæ ad Philomonem ſcripta eſt, ſuſcipiens intactam reliquit; Quam poſtea moroſiores Momi quidam repudiare non ſunt ueriti, qui etſi concedant fieri potuiſſe, ut hæc epiſtola à Paulo fuerit conſcripta, negant tamen inter ſacras eſſe propterea numerandam, commendatitiam enim eſſe, de rebus prophanis tractare, humilia quædam continere, ut eſt illud [Simul autem & præpara mihi hoſpitium] nihil denique diuinū ſapere, aut fidei myſterium aliquod docere [At omnis ſcriptura diuinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia] Quare inter humana ſcripta ipſam eſſe collocandam ſtatuunt, Quid enim

Ep. ad Phi.

2. Tim. 3.

enim mirum, dicunt iſti, Paulum ipſum, ut hominem potius quandoque eſſe locutum, quàm ut Dei ſcribam literas ſemper exaraffe, cum ſolus ipſe Chriſtus fuerit hoc priuilegio inſignitus, ut nihil unquã ageret ſine ſancto ſpiritu, quẽ ſemper in ſeipſo manentem haberet, & propterea IOANNES diceret [Quia uidi ſpiritũ deſcendentẽ quaſi columbã, & maſit ſuper eũ] hanc. n. notam acceperat, qua Chriſtum internoſceret; cæteri autẽ ſiue Apoſtoli, ſiue Prophetæ, non habebant manentem ſpiritum, cuius inſtinctu omnia agerent, ſed accedentem quandoque, & paulõ poſt recedentem, ut propterea Verbum Domini ad illos factum eſſe ſæpius ſit ſcriptum, & EIRISEVS diceret [Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.] PAULVS uerò prophetas moneret [Quod ſi alij reuelatũ fuerint ſedenti, prior taceat] loquebantur igitur tum Prophetæ, tum Apoſtoli de leuioribus rebus, ac naturæ neceſſarijs humano more, nulloque diuino afflatu concitati; Quare ne mini mirum eſſe debet ſi ipſe Paulus charum ſibi Oneſimum Philemoni humano artificio commendauerit, quod abſque diuini ſpiritus inſtinctu præſtare commodè poterat. Hæc autem ſunt, quæ huic epiſtolæ olim obijciebantur, quam etiam ob nimiam breuitatem nonnulli teſte Hieronymo aſpernabantur. Eam uerò à Paulo eſſe conſcriptam omnes ortho- doxi Patres teſtantur, atque HIERONYMVS certiffimo argumento confirmans dicit. [Nunquam in toto orbe à cunctis eccleſijs fuiſſe ſuſceptam, niſi Pauli Apoſtoli crederetur] quo etiam argumento demonſtrare poſſumus eandem à Spiritu ſancto eſſe dictatam, quam ab omni eccleſia ſuſceptam atque inter diuina uolumina tum canone, tum traditione numeratam nouimus: omiſſa igitur quæſtione illa, An Apoſtoli, & Prophetæ diuino afflatu ſint ſemper locuti necne, quam in opportuniorem locum reiicimus, palam nunc affirmamus plurima in ſacris ſcripturis reperiri, quæ a Spiritu ſancto ibi dictata, humano etiam ingenio alibi excogitari proferrique potue-

Ioan. 1.

4. Reg. 4.

1. Cor. 14.

Procem. in ep. ad Phil.

Procem. in ep. ad Phil.

nata enim atque expolita, magis est hæc epistola quam ut cū alijs conueniat, uel Paulum ipsum illa scripsisse deceat, qui se imperitum sermone, nec in sublimitate sermonis, ut ipse ait, uenisse profitetur: Ad hæc PAVLVS ipse ad Galatas scribens inquit [Notum enim uobis facio fratres, euangelium quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi] huius uerò Epistolæ auctor a Domini discipulis se edoctum fatetur dicens [Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initiū accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierūt, in nos confirmata est.] Certum præterea est ipsum Paulum cum a Iudæis, sibi pertinacissimè infensis, reus factus esset, ut forum illud declinaret, atque ex illorum manibus elaberetur, Cæsarem appellasse; quomodo igitur fieri potuit, ut dimissus iam & Romam profectus, de reditu postea cogitaret, ac se totum illis iterum tradere non dubitaret? hæc enim summæ leuitatis atque imprudentiæ esset, id ipsum uerò ad illos scribere, quod præstare animum non induxisset, nec Paulum deceret, nec Christianum hominem, sed mendacem aliquem nebulo- nem; scribit tamen auctor hic sub finem epistolæ [Cognoscite fratrem nostrum Timothæum dimissum, cum quo, si ce- rius uenerit, uidebo uos] Tandem uerò non est credibile, nec Apostolatui congruens, Paulum ad Hebræos literas misisse, quem fuisse scimus non Hebræorum, sed Gentium Aposto- lum, & in maximo præterea odio apud ipsos Iudæos, tanquā synagogæ euerforem, & quod a lege discedendum sit do- centem, ut propterea etiam se Petro in faciem restitisse præ- dicet. Quod si Paulus non est (ut abunde uidetur esse demon- stratum) huius epistolæ auctor, cui ipsa sit inscribenda epi- stola incertum relinquitur, quare inter apocrypha erit nu- meranda, præsertim cum eadem scripturæ sacræ repugnet, narrans Mannæ Vnam, & Aaron virgam Arca contineri,

quamuis

quamuis scriptum sit [In Arca autem non erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Ore] Sed nec fieri potest ut ab aliquo Apostolo aut Domini discipulo conscripta fuerit hæc epistola, illi enim omnes hebraicam linguam optime callebant, hic uerò auctor eius linguæ igna- rus depræhenditur, ex eo quod sermonem habens de testa- mento propriè accepto, testimonium profert ex Exodo sum- ptum, ubi MOYSES ait [Hic est sanguis foederis, quod pepi- git Dominus uobiscum] quod de pacto non de testamento est intelligendum, Berith enim ibi legitur, quæ hebraica vox pactum significat non testamentum, in quo sensu auctor epi- stolæ illam accepit, vim nominis non percipiens, quæ inscitia, nec Paulo, nec alicui ex Domini discipulis est tribuenda, sed tota potius epistola repudianda. Hæc autem sunt, quæ a cu- riosis impijsque obtrectatoribus opponuntur, ut huius epi- stolæ ad Hebræos auctoritatem conuellant; Quæ quidem tan- ti ponderis apud pios quosdam uiros olim fuerunt, ut ab il- lorum sententia non penitus ipsi abhorreere depræhendatur; Nos tamen ab ecclesiæ iudicio, ac testimonio non disceden- tes, quod iam inductis canonibus, & Patrum testimonijs apertè protulimus, canonicam esse epistolam asserimus, idq; defendentes, aduersariorum obiectas repræhensiones, Dei auxilio, propulsabimus. Hieronymi igitur dicta piè atque ex eiusdem sententia interpretantes, dicimus nusquam illum te- statum esse antiquissima ecclesiæ cōsuetudine Epistolā hanc ad Hebræos fuisse reiectam, vel Doctissimorum Patrum iu- dicio reprobata; id autem si dixisset, mendacij (quod absit) arguendus ipse esset, cum insigniores, antiquioresque latino- rum Patres, in primis uerò Romani Pontifices nascente ec- clesia huic epistolæ testimonio fuerint, quod in eius dilucidā- da traditione abunde demonstrauius: Idem igitur sensisse Hieronymum quoque credendum est, atque uetustissimum ecclesiæ latinæ usum, nec ignorasse, nec inficiatum esse, sed prauam

3. Reg. 8.

Heb. 9.

Exod. 24.

Caictanus.

prauam potius recentiorum quorundam consuetudinem reprehendisse, quod ex ipsius quoque verbis non obscure conijcitur, inquit enim [Quod si eam latinorum consuetudo non recipit, nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate recipiunt, & tamen nos utramque suscipimus, nequaquam huius temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerunque eius utuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis solent, sed quasi ecclesiasticis, & canonicis] suam igitur sententiam, & veterum iudicium, & usum aperte testatur Hieronymus; quod si aliquando imperitiores aliqui eandem epistolam temere repudiarunt, vel alij verecundiores nihil certi de ea statuere ausi sunt, erunt quidem illi potius accusandi, hi verò excusandi, si que apud ipsos minus notæ traditionis erat epistola, inter canonica volumina non est expresse numerata, sed quasi incerta uerecundè aliorum iudicio relicta. An autè illa sit à Paulo conscripta non omnibus liquet; sunt etiam qui dicant, id sibi non esse curæ, quibus satis sit credere canonicam illam esse, & si ipsius auctorem ignorent, **HIERONYMI** (ut uidetur) auctoritatem secuti, qui de eadem ait [Verum nihil interest cuius sit, cum sit ecclesiastici uiri, & quotidie Ecclesiarum lectione celebretur] & alibi [Relege ad Hebræos epistolam Pauli Apostoli, siue cuiuscunque alterius eam esse putas, quia inter ecclesiasticas iam est recepta] Nos autem, quamuis in sacris uoluminibus diiudicandis, de ipsorum scriptore (calamo scilicet, uel scriba) laborandum aut anxie inquirendum non esse alibi dixerimus, in hac tamen Epistola id obseruandum negamus, cuius constanti ecclesiæ iam dilucidata traditione auctorem Paulum agnoscere debemus, quod etiam in ea regula tradenda expresse tunc excepimus, atque de huius epistolæ auctore nunc dubitare, uel quempiam alium præter Apostolum auctorem asserere, nec pium, nec tutum esse omnino existimamus, neque hoc loco huiusmodi

Epi. ad
Dard. & ter
ra prom.
In epist. ad
Tit. c. 2.

Cap. 17.

modi disputationem dissimulare, atque aliorum opiniones rationesque silentio præterire putamus nobis licere, quod licuit tamen Hieronymo, nondum ecclesiæ Traditione planè perspecta, & Canone toties repetito; quare sententias cum ecclesiæ testimonio pugnantibus redarguere, & quibus confirmantur argumentationes diluere, ut decet, non uerebimur; in primis uerò illi reuincendi sunt, qui hanc epistolam Tertulliano tribuerunt, homini nec Apostolo, nec Apostolico, & Montani præterea hæresi coinquinato, cuius scripta nec ad Dogmata confirmanda, nec ad ecclesiam ædificandam certæ alicuius sunt auctoritatis; quare istorum assertio est penitus damnanda, quæ etiam non minus est improbabilis, quam sit falsa & perniciosa; ut enim taceamus Anacletum. Higinum, Clementem Alexandrinum, cæterosque Tertulliano ætate superiores, uel illi coæuos, quos in huius epistolæ traditione dilucidanda uidimus ex ea tanquam ex scriptura sacra frequenter testimonia sumpsisse, & præter illos etiam **CLEMEMENTEM ROMANVM**, & **EVARISTVM** omittamus, quos tunc breuitatis causa taciti præteriuimus, cum tamen iste ex hac epistola illud usurpauit [Non est creatura ulla inuisibilis in conspectu eius, & omnia nuda sunt, & aperta oculis eius] Ille uerò eam mutuatus sit sententiam [Sine fide impossibile est placere Deo] certè Hieronymus in libro de uiris illustribus testatur Tertullianum ipsum hanc eandem epistolam Barnabæ tribuisse, cuius testimonium uerissimum esse probant illa, quæ supersunt; **TERTULLIANI** monumenta, in quibus scriptum est [Volo tamen ex redundantia alicuius etiam comitis Apostolorum testimonium superadducere idoneum confirmandi de proximo iure disciplinam magistrorum; extat enim & Barnabæ titulus ad Hebræos ad eodè satis auctoritatis uiri, ut quem Paulus iuxta se constituerit in abstinentiæ tenore, Aut ego solus & Barnabas non habemus operandi potestatem? & utique receptior apud ecclesias epistola Barnabæ

Epist. 2.
Heb. 11.
Epi. ad Iac.
Heb. 4.
In Paulo.

Li. 1. de Pu
dicitia.

K bæ

bæ illo apocrypho Pastore moechorum, monens itaque discipulos omissis omnibus inimicitijs, ad perfectionem magis tendere, nec rursus poenitentij fundamenta iacere ab operibus mortuorum, Impossibile est. n. inquit, eos, qui semel illuminati sunt, & donum gratiæ gustauerunt, occidete iam æuocum exciderint, rursus reuocari in poenitentiam, refrigerantes cruci in semetipsum filium Dei, & dedecorantes] aperte itaq; Tertullianus epistolæ huius auctore, non quidē seipsum, sed Barnabam profitetur; in quam sententiā alij discesserunt, & si magnis ipsa quoq; difficultatibus prematur, cui præter ecclesiæ testimonium, quo solo conuinci posset, illud à nonnullis obijcitur, q̄ ex Italia missam fuisse hanc epistolam uerba illa testantur [Salutat uos de Italia fratres] Barnabam autē in Italia quandoq; fuisse non legitur, sed contrariū potius est constanti opinione ac fama peruulgatum, Id uerò nobis minus probatur, qui ipsum Barnabam Romæ fuisse non facile negamus, cum eum ibi prædicasse non obscure significat Clemens Romanus in libris recognitionum, atque multo apertius Simeon Metaphrastes in ipsius uita narret illum primum fuisse, qui euangelium Romæ nunciarit. Quare illud potius opponendum nobis uidetur, quòd huius epistolæ elocutio, elegantia ac dignitatis plena, in primis persuadebat à Paulo illam non fuisse conscriptam, eo igitur eloquentiorem fuisse Barnabam oporteret, si illi auctori congruenter epistola tribueretur, quem tamen uerborum ieiunitate quadam uti solitum atque omnem in dicendo ornatum elegantiamq; aspernatum esse aperte testatur illi coeui ac familiaris CLEMENS ROMANVS inquit [Intelligebam sanè, quòd nihil Dialecticæ artis esset; in homine, sed simpliciter, & absque ullo dicendi fuco, quæ audisset à filio Dei, uel uidisset, exponeret] CHRYSOSTOMVS uerò Paulum ipsum maiori etiam eloquentia, ac uel dicendi instructum fuisse quàm Barnabam palam asserit dicens. [Quamobrem enim Licaones ipsum (Paulum. s.) Mercurium

Heb. 1.

Heb. vii.

Lib. 1. recognit.

Lib. 4. de factis.

curium esse suspicati sunt? Nam quòd Barnabam ac Paulum Deos esse crederent, id à signis editis fiebat, quòd autem Paulum Mercurium esse uellent, id iam non à signis, sed ab eloquentia nascebatur] Alij igitur, multò quidem probabilius, Clementi uel Lucæ hanc epistolam inscribendam putarunt, ut ^a Clemens Alexandrinus. ^b Origenes, ^c Hieronymus atque ^d Theodoretus testantur, quamuis horum quoque opiniones nisi piè interpretentur, damnandæ sint, tanquam cum ecclesia pugnantes, quæ Paulum auctorem constantissime agnoscit: uel igitur piè dicendum est sensus quiddem epistolæ germanos esse Pauli ab eodem, diuino tamen afflatu, excogitados, uerba autem esse Clementis, uel Lucæ; in quam sententiam discedere uidetur ORIGENES, cum ait [Ego constanter affirmo sensus esse Apostoli, phrasim autem & constructionem alterius cuiusdam conciones Apostoli in commentarios redigentis, & uelut dictata ex præceptoris ore scribentis; proinde si quæ ecclesia istam habet epistolam, iam ipsam approbet ut Pauli, idq; hac ratione persuasa, non enim temere ueteres eam esse Pauli tradiderunt: At quis scripserit Epistolam, Deus uerè nouit, nos tamen à quibusdam accepimus Clementem Romanæ ecclesiæ episcopum, eam epistolam perscripsisse, ab alijs Lucam] Vel asserendum est tum sententias, tum etiam uerba, & phrasim ipsam Pauli esse Apostoli, à quo hebraicè scriptam epistolam in græcum sermonem fuisse à Luca, uel Clemente translata; in qua sententia fuisse olim Clementem Alexandrinum refert EUSEBIUS ^{Lib. 5. hist. c. 11.} dicens [Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων epistolam ad Hebræos scriptam Pauli esse affirmat, & hebraico sermone ad Hebræos ab eo editam, Lucam autem eam accuratè in græcum, ut Græcis traderet, conuertisse, illudque planè ex interpretatione ipsa facile intelligi posse, quòd epistola, & Acta Apostolorum idem orationis filium habeant] atque eandem sententiam sequitur ipse EUSEBIUS, quamuis

^a apud Euseb. lib. 5. hist. c. 11.

^b apud Euseb. lib. 6. hist. c. 19.

^c De uiris illust.

^d Prolog. in ep. ad Heb.

Apud Euseb. lib. 6. hist. c. 19.

^{Lib. 5. hist. c. 11.}

^{Lib. 3. hist. c. 37.}

de epistolæ interprete cum Clemente non conueniat, in-
 quiens [Clemens in epistola, quam Corinthijs scripsit, me-
 minit epistolæ Pauli ad Hebræos, & utitur eius testimonij,
 unde constat quod Apostolus, tanquam Hebræis mittendam,
 patrio eam sermone conscripsit, & ut quidam tradunt, Lu-
 cam euangelistam, alij autem hunc ipsum Clementem inter-
 prætatam esse, quod & magis uerum est, quia & Stylus ipse
 Clementis cum hac concordat, & sensus nimirum utriusque
 scripturæ similitudinem seruat] Nos autem de re dubia cer-
 tam sententiam pronunciare non audemus, illud tamen af-
 firmandum putamus, si epistola hæc hebraice scripta ad He-
 bræos est missa, improbable non esse à Paulo perscriptam,
 in græcum statim sermonem uel à Luca, ut Clemens putat,
 uel à Clemente, ut Eusebius, fuisse uersam; sin uerò græcè
 ab ipso auctore est scripta (quod asserunt) quamuis defendi
 fortasse possit sensus quidem esse Pauli, elocutionem & uer-
 ba ipsa Lucæ, uel Clementis, ut Origenes assererat, nobis ta-
 men probabilius uidetur utrumque Paulo ipsi tribuere, ut e-
 iusdem sit elocutio, ac dispositio, cuius & sensus; quod Pa-
 tres sensisse uidentur, præsertim cum hæc epistola sit solita
 Pauli subscriptione notata, quam certissimam suarum episto-
 larum notam esse PAVLVS ipse uoluit, cum ad Thesalonicen-
 ses scribens dixit [Salutatio mea manu Pauli, quod signum
 in omni epistola scribo, Gratia Domini nostri Iesu Christi
 cum omnibus uobis, amen] nec uerisimile uideatur Paulum
 ad extraneos scribentem, sententijs & uerbis suis usum sem-
 per fuisse, suos autem, quos unice diligebat, docentem, alte-
 rius opera ac sermone exaratas litteras ad ipsos misisse, quas
 uel hebraicè scribere poterat, uel etiã græcè, ut ceteras, Nec
 styli quædam dissimilitudo (si qua tamen est) tanti apud nos
 est ponderis, ut diuersum esse scriptorem necessariò propte-
 rea concludamus, quod paulò post aliquot exemplis demon-
 strabimus. Ad opposita igitur argumenta respondentes, &
 quod

2. Theff. vi.

quod perfectum omnino non habemus, incertum relin-
 quentes, an scilicet hebraice exarata sit epistola, uel græ-
 cè, uel, quod fieri etiam potuit, hebraicè, & græcè; ut
 maiorem ex ea fructum ecclesia perciperet; in primis ar-
 gumentationes ipsas perinde diluemus, ac si hebraicè il-
 lam scriptam esse putaremus. Dicimus itaque nominum
 hebraicorum interpretationem potuisse quidem hebrai-
 cam esse, compositam enim uocem, ut exempli causa Mel-
 chisedech, in duas illam constituentes, Melech nimirum,
 & Sedech, distribuere, siue quamlibet uerborum etymo-
 logiam explicare, ut uis nominis clarius appareat, nugari
 non est, sed uocabuli explicatione apposita planius & a-
 pertius dicere, idque unicuique linguæ congruens est, ac
 familiare; concedimus tamen hanc uerborum interpreta-
 tionem in hac epistola adiunctam esse à græco interprete,
 quod quidem licere, ac frequens esse in diuina scriptura
 euangelium Matthæi à calumnijs defendentes abunde pro-
 bauimus, cui etiam interpreti ascribi potest elegantia, ac
 uerborum ornatus, & quæcunque styli dissimilitudo in hac
 epistola depræhenditur, quam animaduertens CLEMENS
 ALEXANDRINVS illam Lucæ interpretationi tribuebat dicens
 [Quod epistola, & acta Apostolorum idem orationis stylum
 habeant] EUSEBIVS uerò Clementis uersioni eandem ascri-
 bens dixit [stylus ipse Clementis cum hac epistola concor-
 dat] cui subscribens OECUMENIUS ait [Et quidem manife-
 sta est causa, cur stylus fuerit immutatus, nam ad Hebræos
 scripta, pariter ipsorum lingua, postmodum uersa dicitur, ut
 quidam sentiunt; à Luca, ut plerisque autem uiderur, à Cle-
 mente, huius enim characterem etiam seruat] sed dicet quis-
 piam, si epistola hæc à Paulo hebraicè esset exarata, quæ in ea
 ex ueteri testamento proferuntur testimonia, hebraicè lectio-
 ni utique congruerent, sed ex 70. interpretatione desumpta
 illa omnia ibidem depræhenduntur, quare græcam esse epi-
 stolam

Cap. 27.

Euseb. Lib.
5 hist. c. 11
Lib. 3. hist.
c. 38.
Arg. 2. in
ep. ad Heb.

Dubitatio.

Responsio.
Act. 13.

stolam non obscure demonstrant. Ad quod respondemus græcum interpretem usum fuisse recepta 70. interpretum versione, sicut Lucas in Actis dicta Profetarum à Paulo hebraicè prolata, ita recitauit, ut 70. interpretes transfulerant; vel fieri potuit, ut interpres hebraica iterum transferens, ab illorum tamen uersione non discreparit. Quòd si quis Græce scriptam fuisse epistolam nihilominus contenderit, ut Origenes sensisse uidetur, & omnes præterea illi, qui ob styli disparitatem de ea an esset Pauli dubitarunt, id nos quoque non omnino improbabile esse fatebimur, qui epistolas Iacobi & Petri græcè scriptas fuisse nemine repugnante concedimus, quas tamen ab hominibus Hebræis ad Hebræos missas esse non leui coniectura, sed ipsorummet Iacobi, & Petri testimonio credimus; eorum enim salutatio palàm testatur, Iacobi epistolam, & Petri primam ad Hebræos scriptas esse, ad eisdem uerò missam quoque fuisse Petri secundam hæc uerba declarant [Ecce iam uobis hanc secundam scribo epistolam] si itaque Iacobum, & Petrum decuit ad Hebræos scribentes Gentium lingua uti, id Paulo indecorum esse cur dicemus, qui Gentium erat Apostolus? Nihil igitur certi hac de re statuentes, obiectas reprehensiones à Paulo græco, ut isti asserunt scriptore, iterum propulsare non recusabimus; dicimus itaque mirum non esse Paulum græcè scribentem, nomina Hebraica, quæ Regis, & Regni propria erant, nec mysterio carebant, (Melchisedech nimirum, & Salem) græca uerborum interpretatione explicasse, ut quod in eis latebat planissime intelligeretur. Quòd si exornatior aliquibus uideatur hæc, quam sint cæteræ Pauli epistolæ, ut nec illum deceat nulla eloquentiæ laude celebratum (quamuis nos Apostoli grauitatem, ac dignitatem in hac epistola facile agnoscamus, uerborum autem in ipsa insignem ornatum sacris scriptoribus inusitatum (fortasse hebetes) non intelligamus) illos meminisse rogamus, maximam utique esse

2. Pet. 1.

esse styli dissimilitudinem in ipso Pentateucho, & libro Iob, si alter alteri comparatur, ut Hieronymus etiam testatur, nec tamen eam ob causam uerita est antiquitas utrumque scripsisse Moysen profiteri: Apocalypseos quoque & Ioannis Euangelij, epistolarumque phrasès dispares esse fateri omnes, cum tamen eundem Ioannem illorum auctorem pij homines agnoscant; ut suo loco demonstrauimus, Præterea uerò, sicut potuit Tertullianus existimare huius epistolæ phrasim Barnabæ conuenire, Clemens contra Lucæ tribuere, tanquam Actuum elocutioni congruentem, Eusebius denique & Oecumenius ab utroque dissentientes, Clementi Romano eandem ascribere, ueluti illius scribendi generi per similem; cum tamen Barnabæ, Clementis & Lucæ styli inuicem comparati dispares admodum sint, cur etiam nobis non liceat istorum pugnantia iudicia missa facientibus opinari à Pauli phrasi non ualde illam abhorrere, cui epistolam ipsam inscribendam esse testatur ecclesia? At Paulus, dices, incompto scribendi genere utitur, Fucato quidem illum non uti etiam nos concedimus, non pauca tamen elegantes uerborum figuras in cæteris illius epistolis agnoscamus, ex quibus nonnullas insigniores seligens Augustinus illas est admiratus; infantem enim fuisse Apostolum negamus, sed diuina quadam eloquentia instructum affirmamus, illumque exornata quandoque oratione usum fuisse, aliquando etiam uerborum ieiunitatem non aspernatum, totam denique orationem suam ita ut decebat, semper temperasse, quod quidem de eloquentia tractantes fuisse declarauimus; Mirum itaque esse non debet, si dictante Spiritu sancto, aliquantò ornatiorem hanc epistolam ipse exarauerit, quam tamen, ut diximus, non adeò comptam excultamque putamus, ut à canonicis scriptoribus, & Paulo præsertim, abhorrea. Sed illud præterea huic epistolæ obijciebatur, quòd nomen suum illi, ut solet, Apostolus non inscripserit; id uerò de industria

4. De doct. christ. c. 7.

Tit. & Rhet. facultate.

Lib. 5. hist.
c. 11.

factum esse CLEMENS ALEXANDRINVS apud Eusebium respondens ostendit, dicit enim [Hanc inscriptionem, Paulus Apostolus, non sine causa in epistola principio fuisse prætermittam, nam cum Paulus epistolam ad Hebræos scriberet, quia illi præiudicatam animo sententiam, & suspectam opinionem contra eum, eiusque doctrinam combiberant, nomen consultò admodum non inscripserunt, ne in ipso exordio animos illorum ab epistolæ lectione prorsus auerteret] & nonnullis interiectis [Iam uerò sicut Beatus quidem presbiter dicebat, quoniam Dominus ipse Apostolus Patris sui omnipotentis ad Hebræos missus fuit, Paulus quia erat ad Gentes missus, modestè quidem cum ad Hebræos scribebat, se Apostolum hebræorum non inscripsit, partim propter honorem, quem Domino, Hebræorum Apostolo, tribuebat, partim nec cum Gentium præco, & Apostolus esset, præter officium ad Hebræos scribere uideretur] Clementi subscribens CHRYSOSTOMVS ita respondet [Moyses quidem cum quinque libros scriberet, nulli illorum nomen suum apposuit, sed neque qui post illum, quæ subsecuta sunt, congesserunt, imò ne Mattheus quidem, neque Marcus, neque Lucas scriptis suis nomina sua præfixerunt, Beatus uerò Paulus omnibus suis epistolis nomen suum præposuit, neque id præter rationem; Illi quippe præsentibus scribentes, non habebant opus adiectis suis nominibus manifestare se ipsos, Paulus autem quia remotis longeque positus scribebat, necesse habebat more, quo mittuntur literæ, nomen suum præmittere; quòd autem in epistola, quæ ad Hebræos est, hunc epistolarem adiungendi nominis modum non seruauit, singulari factum est prudentia; quando quidem enim Hebræi non erant amico erga Paulum animo, ne statim à principio nomen illius audientes toti epistolæ aditum præcluderent, sapienter illi uisum est suppresso auctoris

Lib. 5. hist.
c. 11.In epi. ad
rom. scr. 1.

auctoris nomine illorum allicere auditum] OECUMENIVS uerò inquit [Quòd autem suum nomen non præfixerit epistola, in causa est ordo rei; siquidem Paulus Gentium Apostolus erat & non Iudæorum, nam societatis dexteram dederat Petro, cæterisque Apostolis, ut ipse cum Barnaba inter Gentes, Petrus uerò cū reliquis in circuncisione fungeretur Apostolatu, consultum non erat, ut initio se diceret Apostolum] Sed aduersarij has responsiones ad repræhendendum statim arripientes dicent; si Hebræi ad Pauli Apostolatam non pertinebant, cur se intrudebat? cur illos docebat sibi non concreditos? cur falcem in alienam messem mittebat? Rursus si ijdem erant ipsi pertinacissime infensi, cur ad illos literas exarabat odium oratione refricans? ut propterea imprudentiæ ac temeritatis notas incurreret? Absit autem ut uas ipsum electionis horum criminum arguamus; quare, inquit, negemus potius hanc ad Hebræos epistolam eius esse germanam. Nos autem illam defendentes, Paulum quoque scribentem non solum excusamus, sed eius fortem inuictamque charitatem ac redundans ministerium cum Theodoro admiramur, qui respondens ait [Dicimus quòd sicut non erat ipsi commissum baptizare, ex abundantia tamen ministerio etiã baptizabat, ita Hebræis quoque scribit, cum ad Gentes missus esset, siquidem anxiam illorum curam habebat, adeò ut etiam diceret, optarem anathema esse à Christo pro ipsis, & rursus, Proficiscor Ierosolyma ministraturus sanctis] Data præterea non leui occasione, has literas Paulum ad Hebræos misisse testatur OECUMENIVS dicens [Quoniam autem societas erat in prædicatione, & Iudæi audierant Paulum discessionem docere aliquo modo à lege, meritò ad Hebræos scribit epistolam, ut ostendat consensum prædicationis] Nò temere igitur & inconsiderate, ut obieciatur, sed charitatis necessitate quadam astrictus, hanc epistolam scripsit Apostolus. Ad eam uerò, quæ in illius dictis uidebatur, repugnantiam

Arg. in ep.
ad Heb.

Obiectio.

Responsio.

Arg. in ep.
ad Heb.Rom. 9.
Rom. 15.In epi. ad
Heb. arg. 2Gal. 1.
Heb. 2.

tiam, cum alibi profiteatur, reuelatum sibi fuisse euangelium non ab homine aliquo sed ab ipso Iesu Christo, hic uerò dicat confirmatam in ipso fuisse salutem ab ijs qui audierunt à Domino, Respondemus, hæc inter se non pugnare, si Pauli in dicendo modestiam animaduertamus, qui optime sciens ceteros homines ab ipsis Apostolis ac Domini discipulis euangelium accepisse, idque in memoriam reuocans, noluit se ipsum, ut poterat, excipere, sed uniuersalem enunciationem modestè protulit dicens [Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab ijs qui audierunt in nos confirmata est] sicut etiam Isaias eodem modestiæ ac humilitatis spiritu motus dicebat [Facti sumus ut immundi] & rursus [Non est qui inuocet te] quod quidem Isaiæ non congruebat, qui Deum assidue orabat, atque in eodem capite longis precibus illum implorauerat, sed ceterorum negligentiam ipse prædicans, ex generali repræhensione seipsum excimere noluit, uel respondentes dicere possumus, Apostolum non loqui de ipsa reuelatione euangelij, sed de eiusdem confirmatione ex signis, & spiritus sancti donis, quod ea, quæ immediate sequuntur, uerba declarant [Contestante Deo signis & portentis, & uarijs uirtutibus & Spiritus sancti distributionibus] quibus testibus abundè confirmatum in Paulo fuisse euangelium notum est omnibus, ut propterea illud dictum non solum ab ipso non abhorreat, sed illi præ cæteris in primis congruat; uel etiam concedere simpliciter possumus, confirmatum fuisse euangelium in Paulo ab ijs qui audierunt à Domino, cum quibus ipse euangelium contulerat, ne forte, ut ipse ad Galatas scribens testatur, in uacuum curreret aut cucurisset; quam confirmationem illi fuisse necessariam, ^a Tertulianus, ^b Hieronymus, & ^c Augustinus affirmant; uel tandem dicere poterimus, non loqui Paulum de doctrina & uerbo Dei, sed de confirmata salute in ipso quoque ab ijs qui audierunt, Anania.

Heb. 2.

Isa. 64.

Heb. 2.

Gal. 2.

a Li. 4. ad.

uer. Marc.

b Epi. ad

Aug. d. pet.

à Paulo

rep.

c Lib. 2. cō

tra Faustū.

cap. 4.

nia. s. Domini discipulo, ad quem missus quidem fuerat, ut salus in illo confirmaretur sacra baptismi ablutione, atque ammissæ lucis restitutione. Quod uerò ultimo loco Paulo obijciebatur, illud erat, uel imprudentem illum uel mendacem fuisse, si, quod in hac epistola legitur, suum illis aduentum pollicitus esset; sed isti obtrectatores, iniuriarum, ut uideatur, memores, charitatis officia, & spiritus uim ignorantes, Apostoli uirtutem sua imbecillitate metiuntur; ipse uerò charitate flagrans, diuturnæ absentiæ ob zelum impatiens, iniuriarum immemor, Iudæorum inuidiam temporis diuturnitate extinctam, uel sedatam sperans, Deo id ipsum gratum esse sibi persuadens, cuius monitu & auxilio se profecturum cogitabat, nihil propterea timebat, nihil suspicabatur, sed Hebræos potius rogabat, ut eius profectorem suis precibus iuuarent, inquiring [Orate pro nobis, quò celerius restituar] idque in animo se habere sæpius testabatur; quod obseruans **OECUMENIVS** dicebat [Timotheum celerius expectans, suū ac illius pollicetur aduentum, quemadmodum frequenter facere solet] sed reliquæ sunt adhuc rationes illæ, quibus concludebatur nec Paulum nec alium quempiam diuino spiritu afflatum hanc Epistolam scripsisse, quæ quidem cum sacra scriptura pugnare uideatur, dum affirmat, Vrnæ & uirgam in arca contineri, atque falsam præterea continet Berith uocabuli significationem. Eam itaque repugnantiam ut concilient aliqui, dicunt uirgam illam Aaron, & Mannæ urnam non quidem intus inclusas, & in Arca reconditas fuisse, sed uel supra impositas, uel ad Arcæ latera collocatas: Quæ tamen responsio non ualde nobis probatur, quia nec uerbis Pauli admodum congruere uideatur, hæc autem sunt [Arcam testamēti circumtectam ex omni parte auro, in qua Vrna aurea habens manna, & uirga Aron, quæ fronderat, & tabulæ testamenti, superq; eam erant Cherubim gloriæ obumbrātia propitiatoriū] Quare cōcedimus nos, hæc omnia asseruisse

Heb. 13.
In epi. ad
Heb. arg. 2.

Heb. 9.

se

In epi. ad
Heb. ca. 9.

se Paulum in Arca inclusa eō tineri, nec tamen eū Regū libris pugnare, si tēpora ipsa distinguantur, ut scitè admodū cōmōnet THEOPHILACTVS dicens [Quæres fortasse, cum constet in libro Regum literis proditum, nihil aliud fuisse in Arca præter tabulas conditum, cur nunc & Vnam adiunxerit Paulus, & Aaronis uirgam illam concludi, eō forte id dixit, quia, ut à Gamaliele instructus, optime hebraicam callebat historiā, & maiorum traditione rem ita se habere acceperat, præferim cum ex hebræis, qui phariseos sectantur, id ipsum & sentiunt, & profitentur; nec tamen in ipsis primordijs, sed longo post tempore, cum esset necesse, ut Ieremiæ temporibus Arca occultaretur, in ea & Vnam dicunt fuisse, & uirgam reconditas] uocabulum uerò Berith, & si pactum significare concedimus, pro testamento tamen frequenter usurpari affirmamus, imò HIERONYMVS testatur 70. ipsos interpretes illud semper uertisse *διδασκαλον* quod est testamentum, nec Paulo ipsi hoc idem est inusitatum, qui non solū in hac epistola, sed ad Romanos, & Galatas scribens, ueterem legem semper Testamentum uocat, perinde ac si illam hebraicè, Berith appellaret; hinc factum est, ut in Dei ecclesia trita sit hæc testamenti uox, omnesque hebræorum legem Vetus Testamentum appellent, & quidem decentissime, quoniam uita æterna in illa inuoluta, ac figuris adumbrata, hereditas est illa, quæ in nouo postea testamento euoluta atque illis integumentis nudata, pijs omnibus est tradenda; est igitur illa uerè testamentum, quoniam uera in ipsa legatur hæreditas, est etiam pactum, quia pacificatur Testator Deus ad neminè peruenturam esse hanc hæreditatem, qui ab illius lege discesserit, & iussis non obtemperauerit; propterea Moyse ad hanc certam conditionem oculos adijciens, legem ueterè Berith. i. pactum uocauit; sed simul testamentum illud esse tunc significauit, quod post Christi testatoris mortem esset adeundum, cum sanguinis asperisionem ille adhibuit. Paulus

uerò

In Mal. 2.
Rom. 11.
Gal. 3. 4.

uerò in hæreditatem oculos conijciens, idem Berith testamētum appellare non dubitauit, quasi dixerit ipse testamentum pacto institutum, quod ille pactum tacitè dixerat testamentarium; quod igitur unus tacitè innuit, alter expressè pronunciauit, ut nulla omnino inter ipsos sit discrepantia.

Epistolarum Catholicarum Defensio.

Cap. XXX.



INTER catholicas epistolas ea in primis reuocatur in dubium, quæ IACOBO inscribitur, cui uaria obijciuntur ab ^a Erasmo, ^b Luthe- ro, ^c Brentio, & ^d Magdeburgensibus, quos quidem ipsa epistolæ saluatio statim offendit, in qua nulla Christi gratiæ, uel pacis mentio fit, ut propterea prophana potius quàm Apostolica saluatio uideatur, Deinde uerò EYSEBII testimonio eam reijciunt, qui ait [Haftenus de Iacobo, cuius illa habetur epistola, quæ prima scribitur inter eas quæ catholicæ appellantur; sciendum tamen est quòd à nonnullis non recipitur, nec facile quis antiquorum meminit eius] HIERONYMI etiam testimonio idem confirmant dicentis [Iacobus frater Domini unam tantum scripsit epistolam, quæ de septem canonicis est, quæ & ipsa ab alio quodam sub nomine eius asseritur, licèt paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem] Præterea dicunt huius epistolæ auctorem proferre aliquot Petri & Pauli testimonia, unde facile conijcitur ipsum fuisse illis tum ætate tum auctoritate inferiorem, Iacobum autem certum est ipsis coæuum, uel etiam natu maiorem fuisse, & Apostolatus dignitate parem. Quare alteri potius quàm illi inscribenda uidetur epistola. Ad quæ respondentes dicimus, maxime piam, & christianam esse saluationem, atque in ipsa Christi decentissimam mentionem fieri, cum in ea

scriptum

Epistola Iacobi.
a Annot. in has ep.
b Prol. in ep. cath.
c Cōf. virt. d Li. 1. col. 54. li. 2. col. 4.

Lib. 2. hist. c. 23.

Lib. de uiris illust.

Responsio

Iac. 1. scriptum sit [Iacobus Dei, ac Domini nostri Iesu Christi ser-
uus] salutem autem dicere ijs, ad quos litteras exarabant, non
soli profani scriptores, sed Apostoli ipsi consueuerunt, quod
Act. 15. ex actis Apostolorum patet, ubi legitur [Apostoli, & senio-
res his qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex
gentibus salutem] quare eadem salutatione uti Iacobum
Apostolum decuit: Quod uerò ex Eusebio proferebatur
testimonium, mutilum erat, & decurtatum, cum ea sit parti-
cula relicta, in qua suam ipse sententiam aperit, & quod an-
tea ex aliorum sententia affirmarat, conuellit inquit [Nos
tamen scimus istam cum cæteris ab omnibus ecclesijs reci-
pi] HIERONYMVS uerò, postquam quid ipse de hac episto-
la sentiret exposuerat, quid alij de eadem dicerent adscripsit,
id tamen affirmans minus notæ traditionis illam fuisse, cu-
ius traditio in dies notior facta, maiorem quoque apud ho-
mines uisâ est tribuisse illi auctoritatem; Priscos autem &
orthodoxos Patres inter diuina uolumina ipsam numerasse,
atque ex ea sæpius testimonia sumpsisse ad dogmata
confirmanda, abundè iam pridem demonstrauius. Quæ
tandem in hac epistola uidentur à Petro, uel Paulo mutua-
ta, sunt potius ex eodem Spiritus sancti fonte pariter hausta,
sicut enim olim prædicente ISAIA [Et erit in nouissimis die-
bus præparatus mons domus Domini in uertice montium,
& eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes] MI-
CHAEAS illi coæus similiter prænucciabat [Et erit in nouis-
simo dierum, erit mons domus Domini præparatus in uer-
tice montium, & sublimis super colles, & fluent ad eum po-
puli] eodem utique euentu utrique à Spiritu sancto præmon-
strato; idem postea apostolis quoque contigisse non mirum,
sed uerisimile admodum est. Haætenus de Iacobi EPISTOLA,
sequitur SECUNDA PETRI, quam à sacris uoluminibus refe-
care aduersarij conantur, eique Erasmus, atque illum secu-
tus Lutherus dissimilitudinem styli obijciunt, ab antiquis
etiam

etiam olim obiectam, HIERONYMO teste, qui ait [Secunda
Petri epistola à plerique eius negatur propter styli eius cum
priori dissonantiam] De qua secunda epistola ualde dubita-
tum olim fuisse, ut plerique eam non susceperint, EVSEBIVS
quoque Cesariensis nõ obscure testatur dicens [Petrus Apo-
stolus prædicationis suæ monumenta perpauca reliquit; una
etenim eius epistola est, de qua nullus omnino dubitauit, nã
de secunda multis incertum est] Ad quæ respondentes dici-
mus, nobis curæ non esse quid imperiti de hac epistola quan-
doque senserint, nec etiam molestè ferre si ipsa olim fuerit
minus notæ apud quosdam traditionis, cum certò sciamus
eam in sacrorum uoluminum canonem relatam esse, atque
apostolica traditione nobis commendatam, quod certissi-
mis Patrum testimonijs iam comprobabimus; styli quoque
disparitatem multiplici ratione tueri, uel excusare possemus,
quod paulò ante in Pauli epistola ad Hebræos defendenda
pariter præstitimus, nunc tamen sola HIERONYMI respõsi-
one hanc obrectatorum calumniam propulsabimus, qui ait
[Duæ epistolæ, quæ feruntur Petri, stylo inter se, & chara-
ctere, structuraque uerborum discrepant, ex quo intelli-
gimus Petrum pro diuersitate rerum diuersis usum fuisse inter-
pretibus] Idem uerò recentiores Aristarchi SECUNDAM AC
TERTIAM IOANNIS EPISTOLAM similiter aspernantur tan-
quam à presbitero quodam Ioanne conscriptas, illo fortasse,
de quo meminit olim Papias, qui referente Eusebio duos te-
staturus est fuisse Ioannes, unum quidem Apostolum, alium ue-
ro presbiterum, quem harum Epistolarum auctorem esse ex
ipsamet inscriptione non obscure conijcitur, in utraq; enim
seipsum non Apostolum, sed seniore is nominat. Ea pro-
pter HIERONYMVS quoque illi inscribendas esse epistolas fa-
tetur inquit [Scripsit Ioannes unam epistolam cuius exor-
dium est] [Quod fuit ab initio] quæ ab uniuersis ecclesiasticis,
& eruditis uiris probatur, Reliquæ autem duæ quarum pri-
mæ

Lib. de ui-
rcs illust.Lib. 3. hist.
cap. 20.

Responsio.

Ep. ad edi-
biam.Epi. 2. & 3.
Ioannis.Euseb. li. 3.
hist. c. 2.Li. de uiris
illust.

mæ principium est [Senior electæ Dominæ] & sequentis [Senior Caius charissimo, quem diligo in ueritate] Ioannis presbiteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur] **OECUMENIVS** præterea nõ solum testatur multos asseruisse has duas epistolas Ioanni, non apostolo, sed præbitero esse tribuendas, atque huius sententiæ illam inscriptionis coniecturam asfert, sed alijs quoque argumentis idem probat, cuius hæc sunt uerba [Quidam existimarunt hanc epistolam, & eam quæ sequitur, non esse Ioannis dilecti, sed alterius qui idem nomen cū hoc sortitus erat, eò quòd in his & presbiterum scribat seipsum, & ad mulierem, aliumque Caium, & eum unicum, sicut & unam mulierem scribat, quod nõ fit in epistola catholica, præterea quòd præscriptionem non fecerit iuxta priorem epistolam, non enim in illa ita inchoauit] Ad quæ respondententes concedimus duo olim fuisse Ioannes, quos Papias & Eusebius commemorarunt, nec defuisse qui has posteriores epistolas Presbitero Ioanni, non Apostolo, tribuerint, quas etiam minus notæ traditionis quandoque fuisse non negamus, cum tamen hæc omnia ipsarum auctoritati ne tantillum quidem obesse putemus, quas ecclesiæ canon, & Apostolorum iam dilucidata traditio in sacrorum librorum numerum referendas commoneat, atque grauißimorum Patrum prolata iam pridem testimonia, à Ioanne Apostolo exaratas esse, non obscure probent, cum quibus optimè consentit **HERONYMVS**, qui ex quorundam sententia id recitabat, quod ab aduersarijs paulo ante obijciebatur, ut ipsamet uerba indicabant, & quæ sequuntur apertius declarant [Hæc autem diximus propter superiorem opinionem, quam à plerisque retulimus traditam, duas posteriores epistolas Ioannis non Apostoli esse, sed præbiteri] sed audiamus **Oecumenium** ad obiectas reprehensiones sigilatim & scite admodum respondentem [Sed dicimus quòd in priori non ita perscripserit, eò quòd non

In 2. Io. ep.
cap. 1.

Responsio.

Li. de uiris
Illust. in
Papia.

In 2. Io. ep.
cap. 1.

ad

ad definitam personam scriberet, neque ad ecclesiam certorum locorum, quemadmodum fecit B. Petrus definite significans se scribere ad Iudæos, qui dispersi erant, & ante hunc D. Iacobus definiens se scribere duodecim tribulus Iudæorum, sed uniuersis cõmuniter fidelibus sermonem faciens; siue congregatis, siue non congregatis, formam præscriptionis prætermisit: Presbiterum autem scribit hic seipsum, & nõ Apostolum, neque seruū Iesu Christi, quemadmodum reliqui Apostoli; siquidem Apostolum non scribit se eò fortassis quòd non primus in Asia prædicasset Euangelium, sed post Paulum, neque in transitu, sicut ille qui percurrebat Euangelij circuitum, sed manens ibi, & præsens præsentibus exponebat sermonem; sed neque seruū Iesu Christi, confidebat enim eò quòd plurimum diligeretur, se extra seruitutis esse timorem, solum autem uoluit se appellare Presbiterum, siue quòd iam senior esset, dum has scriberet (nam id significat Presbiter) aut etiã episcopum uocans seipsum nomine presbiteri, cum illo tempore nomen Presbiter solitum esset etiam de episcopis dici, quemadmodum, & ex Actis manifestum est, quæ scripsit B. Lucas, & ex epistola Petri; porrò ad mulierem fidelem nihil ueritus est scribere, eò quòd in Christo Iesu neque masculinum nouerit, neque foeminam; Ad unum autem scribens Gaium, habet Paulum, qui & Tito scripsit, & Timotheo, imò etiam Philemoni Idiotæ.] Reliqua iam sola est **IUDÆÆ EPISTOLA**, cui illud in primis obijcitur, quòd in ea scriptum sit [Prophe-
tauit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens, ecce uenit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes &c.] Sed liber iste Enoch ipsi inscriptus, ab ecclesia aperte repudiatus est, & inter apocryphos numeratus, ex quo sumens epistola testimonium ad sua confirmanda, suspicionem non caret, & tanquam Apostolo indigna, pariter est repudianda; in qua etiam illud fabulosum uidetur, & ex apocrypho aliquo libro decerptum [Cum Michael archangelus

Iudæ epist.
Iudæ. 1.

L cum

Iudæ. 1. cū Diabolo disputans altercaretur de Moyſi corpore, nō eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit, imperet tibi Dominus] in nullo enim canonico libro de huiusmodi altercatione mentio aliqua habetur. Inde præterea non obſcure cōijcitur hanc epiſtolā nec à Iuda Apoſtolo, nec ab aliquo uiro Apoſtoliſ coæuo fuiſſe conſcriptam, quòd in ipſa commoventur aliquot Petri ac Pauli dicta, his uerbis, [Vos autem chriſtiani memores eſtote uerborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtoliſ Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui dicebant uobis, quoniam in nouiſſimo tempore uenient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus; hi ſunt, qui ſegregant ſemetipſos, animales ſpiritum non habentes] Huc accedit, inquiunt aduerſarij, quòd nullus ferè ex Patribus huius epiſtolæ teſtimonio eſt uſus, & uerifiſimile præterea uidetur, Iudam Apoſtolum in Perſide prædicantem, ſi quam fortè epiſtolam exarauerit, Perſicè potius ſcripſiſſe quàm græcè. Nos autem obiecta crimina diluentes dicimus, negaſſe Tertullianum librum illum Enoch, de quo meminit Iudas, fuiſſe apocryphum, quem potius aſſeruit eſſe canonicum, quàm eo repudiato concederet Iudæ epiſtolam eſſe à Canone reſcandam: Verum tamen referente Eccleſia eundem Enoch librum in apocryphorum numerum, eius iudicio ſtādum omnino putamus, præſertim cum in ipſo libro fabellæ quædam narrentur, omnem illi fidem abrogantes, ut AVGVSTINVS etiam teſtatur, qui ait [Illa, quæ ſub nomine Enoch proferuntur, etiam continent iſtas de Gigantibus fabulas, quod non habuerunt homines Patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipſius eſſe credenda] Conceſſo itaq; huiusmodi librum eſſe apocryphum, ſunt qui respondeant, potuiſſe Iudam diuino inſtinctu concitatum ex libro etiam apocrypho uerum aliquod dictum excerptare, atque eius teſtimonio uti ipſi maxime licuiſſe, cum Paulo quoque licuerit ueras aliquot ſententias ex Epimenide, Arato, & Menandro (proſanis. ſ. & fa

bulofiſ

bulofiſ ſcriptoribus) decerptas ſuis epiſtoliſ inferere, commendare, ac diuinam doctrinam ex illis confirmare, qui tamen ipſorum fabulas aſpernabatur, atque integra eorūdem monumenta mendacijs reſeſta damnabat; quam quidem reſponſionem arripuiſſe uidetur HIERONYMVS dū dixit [Qui autem putant totum librum debere ſequi eum, qui libri parte uſus ſit, uidentur mihi, & apocryphū Enoch, de quo Apoſtoliſ Iudas in epiſtola ſua teſtimonium poſuit, inter eccleſiæ ſcripturas recipere, & multa alia quæ Apoſtoliſ Paulus de reconditis eſt locutus] cui ſubſcribit AVGVSTINVS inquiens [Qui tamen non ideo eſt aſſumendus in eaſ ſcripturas, quibus diuina commendatur auctoritas, ſicuti nec Propheta ille Cretenſis, cuius mentionem facit Apoſtoliſ, nec græcorum ſcriptores, uel Philoſophi, uel Poetæ, quos idem ipſe Apoſtoliſ magnum ſane aliquid, & ueraciter promptū apud Atheneniēſes loquens, dixiſſe confirmat, In illo autem uiuimus, & mouemur, & ſumus; licet enim Diuinæ auctoritati, unde uoluerit, quod uerum inuenerit, teſtimonium ſumere, ſed non ideo omnia quæ ibi ſcripta ſunt accipienda confirmat] Hæc uerò reſponſio, licet ad Patrum ſententias, & ueritatem ipſam adnitatur, huic tamen Enoch libro nominatim accomodata, ſi diligentius examinetur, non omnem proſus uidetur auferre dubitationem; omnes enim alij ſiue Apocryphi ſiue proſani libelli, ex quibus decerpta teſtimonia diuinis ſcripturis inferuntur, priſtinum ordinem conſeruabant, nec tanquam in altiori gradu collocatis diuina aliqua auctoritas illis delata putabatur, ſed ipſis expreſſè ueluti proſanis uel apocryphis utebatur Spiritus ſanctus; IUDAS uerò ex libro Enoch teſtimonium proferit, tanquam ex ſacro, & prophético, inquit enim [Prophetauit autem de his ſeptimus ab Adam Enoch dicens] quare & Prophetam fuiſſe Enoch, & propheticum illud eſſe uolumen, ex quo teſtimonium ſumit Iudas, ipſemet apertè teſtatur, ut iam id

L 2 negare

*In epi. ad Tit. c. 1.**Li. 4. Queſ. ſup. Num.**Iudæ. 1.**Reſponſio. Li. de habitu mulie.**Lib. 15. de ciuit. Dei. cap. 23.*

Lib. 15. de
ciuit. Dei.
c. 23.

negare nefas omnino uideatur, quod scite nos commonet
AVGVSTINVS dicens [Scripsisse quidem nonnulla diuina
Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus,
cum hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat] non est
igitur simpliciter concedendum apocryphum semper fuisse
librum Enoch; quem cum ecclesia nunc rejiciat, quid iam
erit respondendum? certe hæc duo in primis ponenda erūt,
Enoch. f. ab Adam septimum propheticum, ac diuinum li-
brum conscripsisse, hoc. n. testatur Iudas; deinde verò Enoch
librum apocryphum esse, id nanque decreuit ecclesia; his po-
sitis, uel cum Beda opinandum est, legisse Iudam Enoch ger-
manum libellū, qui postea perierit altero illi supposito adul-
terino, quem Ecclesia apocryphum iudicauit, Vel cum Au-
gustino respondendum, illum et librum Enoch ab ecclesia
damnatū, etiam uiuo Iuda Apostolo suspectum fuisse, ob ni-
miam uerustatem fide illi abrogata, cui etiam tunc temporis
multa erant admixta falsa, ex quibus uera secernere, & ex-
cerptis tanquam prophetis uti optime poterat Apostolus
diuino spiritu instinctus, illo enim monstrante, ac di-
stinguente Prophetæ germana uerba ab adulterinis dijudi-
cabat: A qua etiam respōsione non abhorret Hieronymus,
si illius uerba accurate & pie examinentur, Atque illo atate
longe superior ORIGENES dicebat [Potuit fieri, ut Aposto-
li, uel euangelistæ sancto spiritu repleti sciuerint quid assu-
mendum ex apocryphis esset scripturis, quidue refutandum,
nobis autem non est absque periculo aliquid tale præsume-
re, quibus non est tanta spiritus abundantia] Quæ uerò de
Moyfi corpore facta est altercatio, quamuis in nullo canoni-
co libro legatur, notatamen esse potuit ex ipsamet traditio-
ne, quod si etiam ex aliquo apocrypho libro decerpta hic
scriberetur, aspernanda nihilominus non esset, quæ à Spiri-
tu sancto selecta, & probata, Iudæ ipsi tāquam uera propone-
retur. Ex cuius etiam epistola plures orthodoxos Patres te-
stimonia

In epi. ad
Tit. c. 1.

In Cant.
Cāt. ho. 1.

stimonia protulisse, in eius dilucidāda traditione iam pridem
demonstrauimus, quod quidem frequentius fecissent, nisi
epistolę summa breuitas occasionem hęc illis ademisset: Per
sicē uerò cur scriberet Iudas apud Persas manens? cum Mat-
thæus apud Aethiopas Aethiopicè non scripserit, nec Paulus
Romæ commorans latinas literas exarauerit; atque etiam
uerisimilius uideatur extranea lingua illum esse locutum, ad
exterar. f. nationes scribentem (literæ enim ad absentes mit-
tuntur) Quem tandem decebat lingua communi & pluribus
cognita (græca. f.) literas exarasse, ut maiorem inde fru-
ctum Dei ecclesia, toto terrarum orbe propagata, perciperet
posset.

Apocalypsis Ioannis Defensio. Cap. XXXI.



IOANNIS Apocalypsim repudiarūt Marcioni-
tæ, Alogi, Theodociani, ac Lutherani, quam
tamen Magdeburgenses Centuriatores re-
spuere non sunt ausi; eius uerò auctorem nō
esse Ioannem Apostolum probant aduersarij
ex ipsamet inscriptione, quæ est [Apoca-
lypsis B. Ioannis Theologi] Non igitur Apostoli inquit,
sed alterius cuiusdam Ioannis, ut DIONYSIVS etiam ALE-
XANDRINVS opinatus est, idque multis argumentis anti-
quissimis illis temporibus confirmauit, cuius uerba ex libro
secundo de promissionibus recitat EYSEBIVS; sunt uerò hæc
[Auctorem libri Apocalypsis Apostolum fuisse filium Zebe-
dei, fratrem Iacobi, à quo tum euangelium quod secundum
Ioannem inscribitur, tum epistola catholica composita fuit,
non tam facile possum concedere, nam ex utriusque cum sty-
lo, tum uerborum genere, tum totius libri Apocalypsis ue-
lut discursu, non eundem esse Ioannem coniectura augu-
ror; euangelista enim nomen suum nusquam inscribit, ne-

Cent. 1. l. 2:
c. 9. col. 56.

Lib. 7. hist:
c. 20.

que seipsum uel per euangelium, uel per epistolam aliquando prædicat] & paucis interpositis [Ioannes de libro, uel tanquam à seipso, uel tanquam ab alio quopiam scripto nullo in loco mentionem facit, iste autem qui scripsit Apocalypsim statim in initio nomen suum ponit, deinde in eadē Apocalypsi tanquam epistolam quandam scribit Ioannes septem ecclesijs, quæ sunt Asia, Gratia uobis & pax. Verum euangelista ne in epistola quidem Catholica nomen præfatur] & paucis interiectis [Iste Apocalypseos auctor non satis esse putabat semel se nominare, & ita in reliqua oratione progredi, sed nomen iterum, atque iterum ponit.] & post pauca [Porro cum ex sensu tum ex uerbis, eorumque compositione, merito alter ab eo qui scripsit euangelium existimabitur] Tandem paucis interiectis inquit [Imò neque mentionem ullam, neque significationem epistola (missum enim facio euangelium) habet Apocalypseos, neque Apocalypsis epistolæ, cum tamen Paulus de Reuelationibus, licet eas non per se, & seperatim conscripserit, aliquam mentionem faciat; præterea ipsa dictionis formula differentiam euangelij, & epistolæ ab Apocalypsi facile licet internosci; nam illa non modo, ut græci loquuntur *ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ* .i. absque ullo orationis uitio, sed etiam summa cum uerborum elegantia, maximo sententiarum pondere, & concinna elocutionis dispositione perscripta sunt, tantum abest ut uox aliqua barbara, uel solæcismus, aut imperitus & rudis sermo in eo reperiatur; habebat enim euangelista, ut uidetur, hæc utraque, & disertum sermonem, & scientiam diuinam, propterea quòd Dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ & donum cognitionis illi largitus fuisset, & quamquam hunc, qui scripsit Apocalypsim, scientiam & prophetiam animo cepisse non equidem inficior, eius tamen sermonis proprietatē & linguam nõ admodum limatē & politē græcè loquentem animaduerto; Sed modis loquendi planè barbaris utentem, & interdum etiam solæ-

cismo]

cismo] EVSEBIVS quoque CESARIENSIS cum Dionysio cōsentire uidetur asserente diuersum esse Ioannem hunc Apocalypsis auctorem ab eo, qui euangelium conscripserat, què præterea Ioannem presbiterum esse ipse affirmat inquit [Per hæc comprobatur uerum esse illud, quòd quidē Asia-
ni scribūt, quòd duo sunt apud Ephesum sepulchra, & utrumque Ioannis appellatur, quibus si diligentius intendamus, fortassis secundus hic erat Ioannes, si ille non creditur primus, sub cuius nomine Reuelatio habetur, quæ appellatur Ioannis] Tanta præterea, dicunt, est scriptorum dissensio tum de loco, ubi Ioannes Apostolus hanc conscripserit Apocalypsim, asserentibus his in Pathmo insula editam, illis uerò alibi, tum etiam de tempore quo scripta sit, alijs sub Claudio Nerone, alijs sub Domitiano exaratam illam opinantibus, ut mendacium uideri propterea possit, uel saltem omnino incertum relinquatur Apostolum fuisse huius Apocalypsis auctorem: Imò quòd grauius est, & minime ferendum in sacris uoluminibus, impudens etiam mendacium in hoc libro deprehenditur, in quo scriptum est [Et Angelo ecclesiæ, quæ est Thyatiris, scribe, hæc dicit filius Dei] Thyatira autem est Mysiæ ciuitas, in qua quidem nullam fuisse ecclesiam uiuio Ioanne apostolo certum est, atq; omnibus compertum: Meritò igitur Cyrillus Hierosolimitanus, Laodicenumque Concilium librum hunc silentio præterierunt, dum sacra & canonica uolumina omnia enumerarent; nec etiam Græcorum ecclesiæ eundem unquam susceperunt, teste Hieronymo qui ait [Nec Græcorum quidem ecclesiæ Apocalypsim Ioannis eadem libertate suscipiunt] Has uerò obiectas argumentationes nos diluentes dicimus, inscriptionem ipsam in primis nobis maxime fauere, ut potè quæ apprimè congruat ipsi Ioanni Apostolo cognomento Theologo, ad quem scribens DIONYSIUS ARROPGITA dicebat [Dionysius Ioanni Theologo, Apostolo, & Euangelistæ exulanti in Pathmo insula]

Lib. 3. hist.
c. 29.

Apoc. 2.

Cathec. 4.
Can. ult.

Ep. ad Dar.
de terra p-
miss.
Responso.

Dion. epif.

Panopl.
par. 1. tit. 2.

In Io. trac.
36.

EVTHYMIVS uerò nec Apostolum, nec Euangelistam ipsum uocauit, sed omnibus illis nominibus prætermisissis, Apocalypsis in inscriptione imitatus de eo dixit [Ea uerò ratione, quã ante diximus, & Theologus Ioãnes, Verbũ, inquit, caro factũ est, cũ uellet dicere factũ est homo] & recte id quidẽ, Ioannes enim in dicendo diuinus diuinam Verbi generationem enarrans, ex ipsa diuinitate Theologi cognomẽ traxerat, ut unus inter omnes emereret, & propterea etiam, ut Augustinus interpretatur, Aquilã Symbolo notaretur; Dionysij uerò Alexandrini uariã illã ac multiplices cõiecturã, ex quibus oppositum cõcludebat, nullius apud nos sunt ponderis; si. n. Apostolus nomen suũ euangelio nec incipit, nec inseruit, potuit id quidẽ ibi, alterius gesta, Christi nempe historiã, perscribẽs, iustius prætermittere, quã hic suas ipse uisiones enarrans, ac permixtẽ Dei, Iesu Christi, Angeli, & sui ipsius dicta factaque dispergens; quã ut possit lector discrete digerere, & singulorum sermones & gesta discernere, eorum quoque nomina sæpius erant interponenda, ut distincta atque perspicua tota redderetur oratio; parcẽ tamen, ut potuit, id quoque præstitit, se ipsum enim quasi necessitate ascriptus tertio uix nominauit, cum Daniel Propheta in breuiore etiam sermone nomen suum octies interponere non dubitarit: Qua quidem necessitate idem Ioannes non premebatur in suis conscribendis epistolis (cõtinuis nimirum orationibus nec plurium sermone interruptis) in quarum tamen secunda ac tertia se ipsum Ioannes senioris nomine appellauit: Nulla præterea necessitate ipse cogebatur nominandã Apocalypsis in epistola, uel etiam epistolã in apocalypsi; quod in epistolis pariter obseruauit, nulla in prima de reliquis, neque in illis de ipsa mentionem faciens: Dispari uerò stylo usum esse decebat, cum aliud dicendi genus Prophetijs ac prædictionibus sit accommodatum, aliud historiã uel epistolã congruat; quid uerò singula deceat optime nouit Spiritus sanctus, qui etiam Barbarissimos

barissimos ac solacissimos quandoque non abhorret, nec grãmaticã, aut Rhetoricã legibus se astringi patitur, quod animaduertens GREGORIUS PRIMVS dicebat [Non Metacismi collisionem fugio, non barbarissimi confusionem deuito, fitus, motusque, præpositionem, casus seruare contemno, quia indignum uehementer existimo, ut uerba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati; neque enim hæc ab ullis interpretibus in scripturẽ sacrã auctoritate seruata sunt] Quare Dionysij coniecturis iam satisfactum putamus, quem quidem aperte negasse huius libri auctorem fuisse Ioannem apostolum non fatemur, sed de hoc uehementer illum dubitasse concedimus, cum tamen constantissime is affirmet ipsius libri auctorem Prophetam fuisse, & diuino afflatu cõcitatum, ut in ipsius paulò ante recitato testimonio asseritur, quod eiusdem hæc etiam uerba confirmant [Proinde ipsum auctorem libri Ioannem appellari, & librum à Ioãne quodam scriptum non equidem inficias eo, nam ab aliquo pio uiro, & diuinitus inspiratõ editum facile assentior] Vnde concluditur ex sententia Dionysij librum istum à quouis Ioanne editum, in numerum diuinorum uoluminum tamen esse referendũ. Eusebius uerò non asserit Ioannem presbiterum Apocalypsis auctorem esse, qui alibi palàm fatetur illum fuisse Apostolum, ut in eius libri dilucidanda traditione ostendimus, sed aliorum referens sententiam, uel dubitationem, ea quæ obijciebantur, uerba proferebat. Quæ autem inter Patres uidebatur controuersia, ubi nam & quando scriptus sit hic liber, sedari quidem commode posset, sed eius concilij labor frustra susciperetur, cum huiusmodi dissidium nec diuinæ nec humanæ scripturæ labefacter auctoritatem. Ad illud uerò, quod uidebatur mēdacium, respondet Epiphanius, Prophetam Ioannem quæ futura erant diuino spiritu præuidisse, præsentientemque propterea futuram Thiatirã ecclesiam, imminetia illi flagitia prænunciasse, atque futuras in ipsa Priscille

Ep. in Iob.
ad Ieandr.

Euseb. li. 7.
hist. c. 20.

Lib. 6. hist.
c. 19.

Li. 2. hæc.
c. 15.

Maxi-

Maximillæ, & Quintillæ fraudes, quibus deluderetur, ac infimum errorem raperetur, præmonstrasse; futuros igitur rerum euentus Ioannes uerissime nunciauit, non præterites res, uel casus, ut decepti aduersarij obiiciebant, enarrauit. Tandem uerò non negamus librum hunc minus notæ traditionis quandoque fuisse, & propterea à Cyrillo, ac laodicensi Concilio prætermisum, & ab aliquot Græcorum ecclesijs non susceptum, quamuis plures & grauiores eundem tanquam diuinum sint ueneratæ, ut in illius iam probata traditione demonstratum est.

Dubitatur an sit affirmandum alios libros fuisse olim à Spiritu sancto dictatos Dei Verbum complectentes, præter illos, quos ecclesiæ Canone, & Traditione sacros, & canonicos esse hucusque demonstrauimus. Cap. XXXII.



A, qua potuimus, diligentia, ac breuitate tum sacrorum librorum Canonem, & Traditionem iam exposuimus, tum illis obiectas argumentationes figillatim diluimus, nunc uerò nosmetipsos interrogantes percunctamur, An dicendum sit Alios præterea libros à Spiritu sancto dictatos fuisse scriptum Dei Verbum complectentes, qui quidem ueliam interciderint, uel adhuc superstites in silentio, & obliuione iaceant; Hoc enim difficultate carere non uidetur, cum tanta sit Verbi Dei utilitas, & dignitas, ut perenne, ac sempiternum illud manere fatendum sit, dicente ISAIA [Verbum aut Domini manet in æternū] & PSALMO [In æternū Domine permanet Verbum tuum] atque ipso DOMINO affirmante [Coelum & terra transibunt, uerba autem mea non præteribunt] Nec credibile ui-

Primū arg.
negatiuū.
Isa. 40.
Psal. 118.
Matth. 24.
Marc 13.
Secundum
arg.

de-

deripossit, Deum ipsum perferre ac tolerare, ut aliqua tēporum longinquitas, (quamuis innumerabilium penè esset seculorum) uel maxima rerum perturbatio & conuersio, Sacrosancta illius uerba deleat, atque obliuione sempiterna extinguat, quem scimus Sanctis ipsis scripturis in captiuorum Iudæorum Babilonica seruitute olim ammissis, uel saltem (ut alij opinantur) corruptis ac dispersis, Prophetam excitasse Esdram ad easdem renouandas, siue ab ipso collectas, & correctas in rectum ordinem adducendas, cuius opera restituta, quas habemus, supersunt scripturæ; cum itaq; Deus ipse tūc Verbi sui interitum illum uel squalorem non sustinuerit, eundem nec superioribus quidē temporibus, nec consequentibus ad hoc usque seculū pertulisse credendū erit, sed nec aliquos ab Esdræ restitutos libros postea interciderisse aut legimus, aut cōiectura aliqua ad suspicandū ducimur: Deinde uerò [Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt] Atque [Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonū instructus] Quòd si eiusmodi Scriptura aliqua penitus interijisset, & scriptum Dei Verbum ullum iam deletum esset, maximo propterea id nostro incommodo accidisset, qui illa salutari doctrina iccirco careremus, qua ad Beatitudinem capeffendam nos instrui oportebat: Id autem temporum iniuria, & Dei tolerantia ammississe, quod eiusdem munere ad nostrum fructum acceperamus, nec saluti nostræ commodum, nec ipsius Dei benignitate & prouidentie consentaneum esse potuit; quod quidem grauius adhuc & iniquius uideretur, si fortè accideret uetustioribus scripturis deletis, Ecclesiam ipsam Doctrina aliqua Diuina carere, qua Synagogæ (minus scilicet Deo acceptæ) frui aliquando licuisset. Ea propter concludendum sanè uidetur, nullum sacrum Volumen Dei Verba continens hætenus perijisse. Quod uero nec saluum

Tertium
arg.

Rom. 15.
2. Tit 3.

uum

Quartum
arg.

uum, & superstes aliquod eiusmodi nunc ignotum & neglectum iacere possit, pariter demonstratur. Quodcunque enim Scriptum Dei Verbum nunc in ecclesia reperitur, id omne Apostolorum temporibus extitisse fatendum est, à quibus Dei lege & præcepto omni creaturæ prædicandum, & Ecclesiæ custodi tradendum illud erat, ut abundè suo loco declarauimus; Quod autem custos Ecclesia ab Apostolis suscepit, diligenter seruauit, & singulas eius particulas ueluti sacras æque agnouit, & pariter est uenerata; quapropter eosdem sacros libros apud ipsam dignitate, auctoritate, & cognitione pares semper fuisse necesse est, ut paulo antè fuit abunde demonstratum; nullus igitur eorum Ecclesiæ re ipsa ignotus esse, atque iccirco obscurus, & abiectus iacere unquam poterit. Ad hæc autem librorum sacrorum Canonem toties ab Ecclesia latum ac repetitum, atque postremò in Sacrosancta Tridentina Synodo cumulatissime expositum, & promulgatum, librum aliquem sacrum præterisse, ac reticendo ignominia Verbum Dei affecisse, ita incredibile uidetur, ut ne in suspicionem quidem alicui Catholico uiro uenire posse putetur. Hæc quidem hætenus in medium allatæ argumenta negantium opinionem confirmant, quæ uerò sequuntur rationes affirmantium sententiam corroborant; dicuntur autem earum plurimæ ex ipsismet libris, quos canonicos esse hucusque demonstrauius. In primis igitur Enoch ab Adâ septimum quædam spiritu prophetico scripsisse, nō solum Iosephus Iudæus alijque complures testantur, sed IVDAS ipse Apostolus in sua Catholica epistola apertè meminit Prophetici libri ab eodem Enoch conscripti; cuius etiam testimonio ueluti Diuino suam confirmat Apostolicam sententiã dicens: [Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens, Ecce uenit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiæ egerunt, & de omnibus

Primum
arg. affirm.

Iudæ. 1.

du-

duris, quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij] Moy-
ses quoque mentionem facit libri Bellorum Domini, quo
quidem sacras historias contineri, ac Dei opera explicari de-
prehendimus ex ijs quæ à MOYSE in Numeris recitântur; sunt
uerò hæc [Vnde dicitur in libro Bellorum Domini. Sicut fe-
cit in Mari rubro, sic faciet in Torrentibus Arnon, scopuli
torrentium inclinati sunt, ut requiescerent in Arnon, & re-
cumberent in finibus Moabitarum] Cui Moyfi coæuos El-
dad, & Medad olim prophetasse Scriptura testatur dicens
[Remanserant autem in castris duo uiri, quorum unus uo-
cabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit Spi-
ritus, nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad taberna-
culum, cumq; prophetarent in castris, cucurrit puer & nun-
ciauit Moyfi dicens, Eldad, & Medad prophetant in castris]
quorum etiam Prophetiæ uno uolumine continentur, quod
ATHANASIVS in synopsi cõmemorat, quamuis inter Apo-
crypha numeret, ut pote qui pro comperto non haberet il-
lud esse ipsummet Volumen ab illis Prophetis exaratum, uel
suspicaretur mendacijs ab aliquo idem fuisse refertum: Dau-
idem præterea tria millia psalmorum conscripsisse in libris Pa-
ralipomenon narratur, ex quibus centum quinquaginta so-
los ab Ezechia Regis amicis delectos fuisse, cæteris studiose
suppressis, ita refert ATHANARIUS [Psalmorum Dauidis
trium millium numerus fuisse in Paralipomenis scribitur, è
quibus tamen centum quinquaginta tantum ab amicis Eze-
chia Regis selecti, reliqui uerò absconditi sunt] quos quidè
Iudæorum amentia & incuria postea interijisse eo in libro
idem asserit Athanasius. Cuius Dauidis filium Salomonem
parem confecisse Parabolarum numerum scriptura testatur
inquiens [Et locutus est tria millia parabolas] quem nume-
rum librorum esse non sententiarum IOSEPHVS apertè do-
cet cum ait [Composuit etiam libros Odarum, & carminum
quinque supra mille, & Parabolarum, ac similitudinum li-
bros

Secundum
arg.

Num. 21.

Tertium
arg.
Num. 11.

In synopsi
sacrę scrip.

Quartum
arg.

In synopsi
sacrę scrip.

Quintum
arg.
a Reg. 4.

Antiq. Iud.
lib. 8. c. 2.

Sextū arg.
1. Paralip.
29.

Septimum
arg.

2. Paral. 9.

2. Paralip.
15.

Octauum
arg.

Nonū arg.
2. Paralip.
33.

Decimum
arg.
2. Mach. 2.

bros ter mille] Propheticos quoque libros & Samuelis & Nathan, & Gad aperte commemorat scriptura cum ait [Gesta autem Dauid Regis priora, & nouissima scripta sunt in Volumine Samuelis Videntis, & libro Nathan Prophetæ, atque Gad Videntis, uniuersique Regni eius, & fortitudinis & temporum, quæ transferunt sub eo, siue in Israel, siue in cunctis Regnis terrarum] Præterea uerò Ahia Silonitis, & Addo Videntis Volumina commemorantur unà cum Prophetis Natham monumentis in iisdem Paralipomenon libris, ubi scriptum est [Reliqua autem opera Salomonis priorum & nouissimorum scripta sunt in Verbis Nathan Prophetæ, & in libris Ahia Silonitis, in uisione quoque Addo Videntis Hieroboam filium Nabath] Eiusdemq; Addo Voluminis ipsamet scriptura paulò etiam inferius meminit dicens [Reliqua autem sermonum Abia, uiarumque, & operum eius scripta sunt diligentissime in Libro Addo Prophetæ] Atque unà cum eiusdem Addo uolumine mentio paulo ante facta erat in ipsis Paralipomenis de Semei Propheta libro, ubi scribitur [Opera autem Roboam prima & nouissima scripta sunt in libris Semei Propheta, & Addo Videntis, & diligenter exposita] Meminit præterea idem liber sermonum Hozai cū dixit [Oratio autem eius, & exauditio &c. scripta sunt in sermonibus Hozai] Adhæc uero fit in libris Machabæorum mentio libri Descriptionum Ieremiæ, cum scribitur [Inuenitur autem in Descriptionibus Ieremiæ Prophetæ, quòd iussit eos ignem accipere, qui transmigrabantur, ut significatum est, & ut mādauit transmigratis, & dedit illis legem, ne obliuiscerentur præcepta Domini, & ut non exerrarent mentibus, uidentes simulacra aurea, & argentea, & ornamenta eorum, & alia huiusmodi dicens hortabatur ne legem amouerent in corde suo, erat autem in ipsa scriptura quomodo Tabernaculū & Arcam iussit Propheta Diuino responso ad se facto comitari secum usque quo exijt in Montem

tem in quo Moyfes ascendit, & uidit Dei hæreditatem; & ueniens ibi Ieremias inuenit locum speluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare in censi intulit illuc, & Ostium obstruxit, & accesserunt quidam simul, qui sequebantur ut notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire; ut autem cognouit Ieremias, culpans illos dixit, quòd ignotus erit locus donec cõgreget Deus congregationem Populi & propitius fiat, & tunc Dominus ostendet hæc] Quæ quidem uerba non leguntur in Prophetijs Ieremiæ, quæ nunc inter canonica uolumina numerantur, ut iccirco necesse sit diuersum ab illis fuisse hunc Ieremiæ Descriptionum librum. Ijdem quoque Machabæorum libri alterius cuiusdam uoluminis meminerunt, quod nunc desideratur, in eis namque scriptū est [Et cætera sermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum uirtutum, quibus fortiter gessit, & ædificij murorū quos extruit, & rerum gestarum eius, ecce hæc scripta sunt in libro dierum Sacerdotij eius, ex quo factus est princeps Sacerdotum post patrem suum] Atque hi omnes quidem libri scripturæ canonicæ auctoritate, ut uidimus, firmati, sacri, ac prophetici iccirco esse meritò uidentur; supersunt uerò adhuc alij Patrum grauissimis testimonijs, firmisque rationibus nixi, quos repudiare temerarium, uel saltem periculosum propterea iudicetur. Inter illos autè primus nobis obuius fit (ut potè omnium antiquissimus) liber qui inscribitur, Testamentum duodecim Patriarcharum, cuius antiquitatis & ueritatis argumentum in primis ducimus ex Hebraica lingua, qua liber ille conscriptus est; eiusdem præterea grauissimi testes producuntur^a Origenes, & ^b Procopius. Adhæc uerò tota illa particula libri Iob, cuius initium est [Γέγραπται δὲ αὐτῶν πάλιν] cum in græcis exemplaribus, & 70. interpretum conuersione legatur, atque græcorum expositorum commentarijs (uel luti libri canonici germana particula) sit aucta, pro scriptura sacra ipsa quoque meritò habenda uidetur, quæ tamen

Vndecimū
arg.

Maic. 16.

Duodeci-
mum arg.

^a In Iosue
hom. 15.
^b In Gen.
38.
13. agum.
In fine lib.
Iob.

in

in latinis, hebraicisque codicibus desideratur. Leguntur etiã in eiusdem libri codicibus tum græcis omnibus, tum latinis quibusdam uerba aliquot ab uxore ipsius Iob prolata, suam & uiri calamitatem moerente, adhortanteque uirum ipsum ad mortem oppetendam, ueluti dolorum, ac miseriarum finem appetendum, cuius quidem sermonis illud est initium [Χρόνῳ δὲ πολλῷ προσεβηκότος] Quæ uerba similiter eidem uolumini adiungenda esse uidentur, ut illa præterea ommittamus, quæ in Origenis commentarijs eundem librum explanantis leguntur, desunt autem in nostris exemplaribus, atque inde initium capiunt [ἀπὸ θανῆ δὲ Α' δ' α' δ'] Hæc itaque in libro Iob desiderantur. In Psalterio autem deest integer Psalmus qui incipit [Μεγῶς ἤμην ἐν τοῖς ἀδελφοῖς μου] atque in ipsa. 70. Interpretū editione cæteris postremus adiungi solet, eundemque ipse percenset Athanasius, quasi canonicum & Dauidis germanum agnoscens, cum ait [Contra Goliath psalmus 151. Psalmus hic peculiariter Dauidi, & extra numerum reliquorum inscriptus est, cum singulari certamine Goliath strauisset] Particula quoque illa libris Paralipomenon annexa, Regis Manasse orationem continens, quamuis à Canone excludatur, & auulsa quasi repudietur, ut potè quæ nec in Hebraicis, nec in Græcis codicibus legatur, neque à Græcis Tractatoribus commemoretur, Spiritui sancto nihilominus tribuenda, & tanquã sacra agnoscenda uidetur, cum certum sit Manassem ipsum eiusmodi humili obsecraione precatum fuisse Deum, quod scriptura Canonica his uerbis testatur [Principes Regis Assiriorū ceperunt Manassem, & uinctum caenis, atque compedibus duxerunt in Babilonem; qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suū, & egit poenitentiam ualde coram Deo Patrum suorum, deprecatusq; est eū, & obsecrauit intente, & exaudiuit Deus orationem eius] Atque Oratio hæc in latinis codicibus reperitur, à Latinis Tractatoribus explicatur, & Glosæ ordinariæ com-

menta-

mentarijs est aucta; Quam etiam græcam inueniri ferunt Parisijs in græcis Biblijs Victorinæ Bibliothecæ. Est præterea integer liber tertius Esdræ, qui quidem in latinis & Græcis codicibus habetur, atque ATHANASIUS tum huius libri testimonio aduersus Arrianos pro Catholico Dogmate defendendo est usus, tum in Synopsi sacre scripturæ singulorum librorum canonicorum argumenta sententiasque breuiter perstringens, eiusdem tertij libri illustrẽm recitat narrationem, cum ait [Occasionem uerò reditus hanc ponit, Tres milites custodientes, quorum unus erat Zorobabel, circa Quæstionem hanc contendebant, facta promissione, ut qui uinceret, à Rege quicquid uelle peteret; cum primus dixisset fortius esse Vinum, alter fortiolem esse Regem, Zorobabel contendit fortiores esse mulieres, ac ueritatem super omnia excellere, hæc quia dixerat Zorobabel uictor euasit] atque inter latinos CYPRIANVS multò antea eandem Zorobabelis sententiam ex tertio Esdræ libro assumens dixit [Scientes quia & apud Esdram Veritas uicit, sicut scriptum est, Veritas manet, & inualefcit in æternum, & uiuit & obtinet in secula seculorum] Quam historiam AVGVSTINVS fusius repetit, & Prophetiam esse suspicatur, cuius auctorem Esdram fuisse palàm affirmat dicens [Per idem tempus liberationis Populi ex Babylonica seruitute scripsit etiam Esdras, qui magis rerum gestarum scriptor habitus quàm Propheta, nisi forte in eo prophetase intelligendus est, quòd inter iuuenes quosdam orta quæstione quid amplius ualeret in rebus, cum Regem unus dixisset, alter Vinum, tertius mulieres, quæ plerunque Regibus imperarent, idem tamen tertius Veritatem super omnia demonstrauit esse uictricem, consulto autem Euangelio Christum cognoscimus esse Veritatem] Præter quem

M gnoscemus

14. argum.
Psal 151.

In synopsi
sacre scrip.

15. argu.

2. paral. 33.

16. argum.

In synopsi
sacre scrip.

3. Esdræ. 3.
4.

Ep. ad Pom
peium de
hær. bap.

18. de Ciui.
Dei. c. 36.

17. argum.

gnoscemus (Quamuis idem latinus liber nec in Hebræis, nec in Græcis codicibus legatur) inquit igitur AMBROSIVS [Animarum autem esse habitacula scripturæ testimonijs ualde probatur, siquidem est in Esdræ libris, quia cum uenerit Iudicij dies, reddet terra corpora defunctorum, & habitacula reddent animas, quæ his commendatæ sunt; hæc sunt habitationes, de quibus dicit Dominus, multas mansiones esse apud Patrem suum. Sed & Esdræ usus sum scriptis, ut cognoscant Gentes, ea quæ in Philosophiæ libris mirantur, translata esse de nostris] & nonnullis interiectis [Esdras enim reuelauit secundum collatam in se reuelationem, iustos cum Christo futuros, futuros & cum sanctis] & post pauca rursus [In quo Esdras remunerationem suæ deuotionis inuenit, dicente ei Domino, Tu enim recipieris cum hominibus, & conuersaberis residuum cum filio meo, & cum similibus tuis] Hæc autem omnia à B. Ambrosio recitata, in Esdræ libro quarto leguntur, quem librum idem Ambrosius alibi etiam ueluti sacrum commemorat, atque diligenter legendum esse Horontiano iccirco suadebat, quia Animæ cœlestis substantia in eo demonstratur, atque Philosophorum falsæ sententiæ explodantur. Imò eundem librū non obscure probare ipsamet ECCLESIA uidetur, dum in tertia feria Pentecostes publice legit [Accipite iucunditatem gloriæ uestræ, gratias agentes Deo, qui uos ad cœlestia Regna uocauit] quam sententiam ex quarto Esdræ libro totidem uerbis ipsam recitare certum est, sicut in Martyrum festis anniuersarijs diebus illa pariter uerba inde accepta de sanctis prædicat [Modò coronantur, & accipiunt palmam] His omnibus libris adiungendus uidetur, ueluti sacer, tertius Machabæorum, ut pote qui non solum latinus legatur, sed in omnibus quoq; græcis codicibus reperiatur, atque CLEMENS ROMANVS Apostolis cœuus in canone 84. Apostolorum, EVSEBIVS in Historijs, ATHANASIVS in Synopsi illum commemorent. Qui præterea Athanasius

Quar-

Quartum quoque Machabæorum librum recenset, nec quidem inter Apocryphos illum enumerans, sed inter sacros & canonicos, quibus tamen contradici ab aliquibus soleret; cuius classis libros dum ipse percenseret ait [Istis etiam connumerantur Machabæorum libri quattuor] Totidem itaque libri, præter enumeratas aliorum particulas, in Veteris Testamenti canone desiderari uidentur. Nouo autem Testamento aliquot præterea Volumina adiungenda coniiciuntur, inter quæ (etiam si quis Pauli & Teclæ actus, atque eiusdem Pauli ad Senecam Epistolas silentio prætereat) in primis celebres sunt Apostolorum Canones, de quorum numero quamuis inter omnes non constet, cum alij Quinquaginta canones solos recipiant, ut Leo contra Epistolam Niceti Abbatis; alij sexaginta approbent, ut ZEPHERINVS PAPA, qui ait [Sexaginta sententiæ Apostoli perscripserunt cum quamplurimis Epistolis, quas seruandas censuerunt] SEXTA præterea SYNODVS octuaginta quinque eiusmodi canones fuisse palam asserat. Certè tum DAMASCENVS Apostolorum canones inter canonicas scripturas apertè enumerat, tum nemo est, qui inter Catholicos negare audeat Canones aliquot ab ipsis Apostolis editos fuisse, quamuis de illorum fortasse numero dubitet, atque Apocryphos etiam illos esse suspicetur, qui nunc peruulgati Apostolis inscribuntur, Quicumque igitur olim fuerint germani illi Apostolorum Canones, & quotquot numero extiterint, certum utique est à Spiritu sancto auctore ipsos fuisse dictatos, quo sancti Dei homines, præsertim uerò Apostoli, loquebantur, atque inter Diuinas scripturas iccirco numerandas, quæ sedere & peruulgare cum singulis Apostolis liceret, id omnibus in unum locum coactis, ac de rebus ad Ecclesiæ administrationem profectumque pertinentibus de communi sententia ipsis decernentibus non licuisse quis dixerit? Quo argumento ipse præterea Apostolorum Constitutiones, ab illis quidem editæ, ab eorum uerò

M 2 disci-

Ti. d. bono
mortis.
I. d. r. li. 4.

Ep. 21. ad
Horontia-
nam.

In Missa.
4. Esdræ. 2.

4. Esdræ. 2.
18 argum.

19. argum.

Synopsi sa
cræ scrip.

20. argu.

Epist. 1.

Can. 2.

4. Orth. fid.
cap. 18.

21. argu.

discipulo Clemente conscriptæ, Diuinæ & canonicæ esse demonstrantur, quamuis postea ab hæreticis corruptas illas fuisse quispiam fortasse euerit, atque iccirco inter apocryphas scripturas numerandas iudicauerit, quas olim integras & incorruptas in canonicorum uoluminum numerum relatas fuisse octuagesimo quarto Apostolorum canone legimus.

22. argum.

Hæc quidem omnium Apostolorum sunt Monumenta communia, solius præterea Iacobi habemus Lithurgiam, cuius initium est [Peccatorum multitudine inquinatum] quam non solum agnouisse olim PROCLVM Constantinopolitanum Archiepiscopum cum Nestorio hæretico in Ephesina synodo pugnantem legimus, sed ipsam et Oecumenicam in TRULLO SYNO DVM sub Iustiniano habitam eius testimonio usam esse in re grauissima confirmanda nouimus, cum ait [Nam & Iacobus Iesu Christi Domini nostri secundum carnem frater, cui primus Hierosolymitanæ Ecclesiæ Thronus creditus,

Can. 2.

& Basilus Cæsareæ Archiepiscopus, cuius gloria omnem terrarum orbem peruasit, mystico nobis in scriptis tradito sacrificio peragendum in sacro mysterio ex aqua & uino sacrum poculum ediderunt] Superest adhuc Hermæ apostolici uiri liber, Pastor inscriptus, qui ad idiotarum eruditionem in aliquot græcis Ecclesijs publicè olim legebatur, atque eiusdem testimonij frequenter antiquos Patres Dogmata confirmasse scimus, præsertim uero ^aIRENEVM, ^bCLEMENTEM ALEXANDRINVM, ^cORIGENEM, ^dAVHANASIVM, & ^eIOANNEM CASSIANVM: Quem etiam librum non fuisse à Canone prorsus explosum EVSEBIVS ipse fatetur, dum aliquot saltem Ecclesias illum recipere affirmat dicens [Libellus Hermæ, qui dicitur Pastor, cuius Paulus in epistolis suis meminit, à plurimis non est receptus] RVFFINVS uerò de eodem dicit [In Nouo uerò Testamento libellus qui dicitur Pastoris, siue Hermæ, & iudicium secundum Petrum, omnia quidem Patres legi in Ecclesijs uoluerunt] De quo pariter iudicio secundum

Petrum,

Petrum, siue Petri prædicatione mentionem facit CLEMENS ^{6. Strom.} ALEXANDRINVS, qui eiusmodi testimonio suam confirmans sententiam inquit [Petrus in prædicatione dicit; Cognoscite unum esse Deum] Eiusmodi tamen libros, qui in maiores incidunt difficultates, prætermittis, affirmantium sententia superioribus argumentis abundè confirmata uidetur: Quid uero piè sentiendum indicemus, mox Dei auxilio explicabimus.

Quòd omnino fatendum sit, alios libros fuisse olim à Spiritu sancto dictatos, Verbum Dei continentes, præter illos quos in Canonicorum numerum hucusque retulimus. Cap. XXXIII.



N hac multiplici, ac perobscura Quæstione rationes utrinque adductas nobis considerantibus, diligenterque ipsarum momenta expendentibus, tanta in affirmantium argumentis Scripturæ sacræ euidencia eminere uidetur, ut in eorum sententiam discedere Diuina auctoritate compellamur; cuius grauissimum inter cætera testimonium illud profectò erat, quod ex Catholica Iudæa epistola producebatur; non solum enim ex Enoch libro ipse IVDAS uerba recitabat, sed Prophetica etiam illa esse aperte asserbat inueniens [Prophetauit autem & de his septimus ab Adam Enoch dicens] At certum sanè, & perspectum est Prophetiam omnem ab ipso Spiritu sancto manare, dicente præsertim PETRO APOSTOLO [Non enim uoluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines] Quare concludendum uidetur, eam Enoch scripturam Propheticam à Spiritu sancto fuisse dictatam; quod quidem animaduertens AVGVSTINVS

1. argum.

Iudæ. r.

2. Pet. r.

M 3 dixit

^a Aduer. sus hæret. 101
^b Strom. 6.
^c Hom. 8.
 in nu. Ho. 10. i Iosue
 Hom. 35.
 in Lucam. Periarcho.
 lib. 1. 2. 4.
^d De carn. Christi.
^e 13. col. cap. 13.
 3. Eccl. hist. cap. 3.
 In expos. sym. apost.

15. De ciu.
Dei. c. 23.18. De ciu.
Dei.
Dubitatio.

Responsio.

15. De ciu.
Dei. c. 23.18. De ciu.
Dei.

dixit [Scripsisse quidem nonnulla Diuina Enoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola Canonica Iudas Apostolus dicat] & alio in loco [Enoch septimus ab Adam in Canonica Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur] Sed dicet fortasse quispiam: Si huiusmodi liber Enoch inscriptus, ex quo testimonium Iudas accepit, propheticus fuit, & à Spiritu sancto (ut asseritur) dictatus, cur eundem tum florentis olim Synagogæ, tum ecclesiæ temporibus superstitem neque in Hebraico, neque in ecclesiastico canone inter sacros numeratum legimus? hoc enim argumento non obscure conijcitur, tum Synagogam tum ecclesiam semper iudicasse eiusmodi librum Spiritui sancto auctori minime esse tribuendum. Ad quod respondemus; peruulgatum quidem, & in hominum manibus uersari solitum neficio quem librum olim fuisse, ipsi Enoch inscriptum, sed fictis & commentitijs quibusdam fabulis ita confectum, ut eundem mendacijs contaminatum Spiritui sancto auctori ascribere, uel scribere alicui pietate insigni tribuere, ne phas omnino sit: hunc itaque mendosum librum tum Sancti & Ecclesiasticis Patres, tum Hebræorum Rabbini repudiare nunquam dubitarunt, de illo palam affirmantes, uel non esse eundem, quem Enoch ipse Diuino numine afflatus olim conscripserat, sed totum fictum, & commentitium; uel saltem, si idem esse concedatur, ita fuisse ab aliquo Nebulone postea corruptum, plurimisque erratis coinquinatum, & mendacijs refectum, ut pristinam tum ueritatem tum fidem, & auctoritatem amiserit, de quo propterea dicebat AVGVSTINVS [Illa quæ sub Enoch nomine proferuntur, & continet fabulas illas de Gigantibus, quod non habuerunt homines patres, recte à prudentibus iudicantur nõ ipsius esse credenda] & rursum [Enoch scripta, ut apud Iudæos & apud nos in aucto-ritate non essent, nimia fecit antiquitas, propter quam uidebantur esse suspecta, ne proferrentur falsa pro ueris; nam &

profe-

proferuntur quædam, quæ ipsorum esse dicuntur, ab eis, qui pro suo sensu passim quod uolunt credunt, sed castitas Canonis non recepit, non quod eorum hominum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quod ista esse non creduntur ipsorum] Nos igitur non de peruulgato illo, uel supposito, uel corrupto & mendoso Enoch libro tunc loquebamur, cum propheticum illud, & à Spiritu sancto dictatum fuisse dicebamus; sed de uero, germano & incorrupto antiquissimi Prophetæ monumento affirmabamus Spiritui sancto auctori esse omnino ascribendum, siue illud occultum maneat, siue temporum iniuria, & diuturnitate maxima perierit; An uerò Iudas Apostolus ex illo met Enoch germano libro, uel ex hoc Apocrypho testimonium illud sumpsit, nobis non liquet; de re autem dubia aliquid certi temerè asserere profectò horremus, cum & Propheticus ipse liber integer & incorruptus adhuc manere tunc fortè potuerit, & in Apocrypho uera & germana à falsis & adulterinis discernendi, atque discreta deligendi potestatem Apostolus habuerit, ut potè qui Spiritus sancti Charismatibus cumulatissime ornatus, Diuina spirituum discretionem non caruerit, & ueluti spiritualis omnia iudicans, Prophetica ipsa à suppositis fictisque seligere facile potuerit. Deinde uerò quæ ex Descriptionibus Ieremiæ in libris Machabæorum recitata uerba paulo ante proferebantur, cum in nullo ipsius Ieremiæ, uel Baruch eiusdem scribæ canonico libro legantur, & futura prænunciant, aperte utique demonstrant quempiam alium Propheticum librum ab Ieremia fuisse conscriptum: Idemque confirmari præterea potest ex illis EVANGELII uerbis [Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem; Et acceperunt triginta argēt eos, pretium appetiati] quæ quidem uerba in Ieremiæ libris, in canonem hucusque relatis; nullibi inueniuntur; ut propterea necessitate quadam fateri compellamur, ea ipsa in alio quopiam eiusdem Prophetæ uo-

2. argum.
2. Mach. 2.

Matth. 27.

lumine fuisse scripta, uel (quod absit) mendacij reum facere ipsum Mattheum; nam Hieronymi responsionem probare uix audemus, quamuis pie excogitam à sancto uiro, ut incommodum utrumque, si fieri posset, euitaret; quam quidem comprobantes aliqui, quomodo possint mendacij crimen diluere non facile uidemus, dicebat enim respondens

In Mach.
c. 27.

HIERONYMVS [Hoc testimonium in Ieremia non inuenitur, in Zacharia uerò, qui penè ultimus est duodecim Prophetarum, quædam similitudo fertur, & quamquam sensus non omnino discrepet, tamen & ordo & uerba diuersa sunt] qui nihilominus huiusmodi paruipendens discrepantiam, putauit Euangelistam non quidem ex Ieremia, sed ex Zacharia illud sumpsisse testimonium, dicens [Sed tamen mihi uidetur magis de Zacharia sumptum testimonium, Euangelistarum & Apostolorum more uulgato, qui uerborum ordine prætermisso, sensus tamen de Veteri Testamento proferunt] Quam quidem uiri non minus doctrina quam sanctitate illustris responsionem nec improbare audemus, nec defendere præterdimus; sed eius, quæ nos torquet, dubitationis solutionem potius expectamus, atque etiam postulamus; eo nanque ordinis & uerborum discrimine prætermisso, quod ipsemet Hieronymus fatebatur, atque sensuum quoque quandam discrepantiam inter Zachariam & Matthæum ommittentes, illud potius magisque perpendimus, quod reticet Hieronymus, quòd scilicet dixerit Matthæus [Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem] cum tamen illud Ieremias non dicat, mendacium enim eiusmodi assertio nobis uidetur, quæ affirmet illud Ieremiam prædixisse, quod reticuisse deprehenditur; at mentiri Spiritum sanctum quis dicat? Dicet tamē quispiam id ipsum prænucciasse Zachariam. Quid tum? An Zacharias idem est qui Ieremias? Verba quidem scripturæ, atque illorum ordinem inuertere ac immutare solent plerunque Euangelistæ, eundem tamen sensum in-

Matth. 27.

corru-

corruptè seruantes, sed uni Prophetæ illud tribuere uaticiniū, quod alteri congruat, non solum ab ipsorum more & instituto, sed ab eorūdem etiam dignitate ac fide longe abesse merito uidetur. Rursum respōdebit fortasse aliquis, quodnam tandem istud esset mendacium? cum idem in scriptura legatur, quod scriptum esse Euangelista testatur, & propheta dicat, quod prædixisse Prophetam idem affirmat, personarum sola est hæc differentia, pusillum itaque istud est mendacium. Nos autem uerecundi putamus nec eiusmodi quidem mēdatiunculis aspergendas esse Diuinas scripturas, ut potè quæ sint expressa Dei Verba, qui nec fallere nec falli potest, ac ualde timeamus ne eiusmodi labecula sacrosanctis Voluminibus illata, omnis illorum auctoritas conuulsa potius, quam imminuta uideatur, ut Augustinus cæterique sancti Patres sæpius testati sunt, & nos quoque opportuno loco fusè demonstrauimus: Cum igitur eiusmodi notam Verbo Dei, atque Spiritui sancto inurere ipsi horreamus, & ab eiusdem culpæ suspicione utrumque liberare tum cupiamus, tum alia commodioratione id præstare nesciamus, libere potius fatemur, illud à Matthæo productum testimoniū, ex Ieremia sumptum omnino fuisse; quod quidem cum in nullo canonico libro legatur, in alio quopiam eiusdem Prophetæ libro scriptum fuisse concedere compellimur, siue is fuerit Descriptio num liber in secundo Machabæorum uolumine commemoratus, siue quis alius pariter deletus, uel inter Apocryphos iccirco numeratus, quia contaminatus, ac mendacijs coinquinatus postea fuerit, qualem sanè librum totidem uerba à Matthæo recitata continentem se legisse **HIERONYMVS** eodem in loco fateatur dicēs [Legi nuper in quodam Hebraico Volumine, quod Nazarenæ sectæ mihi Hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad uerbum scripta reperi] Vtrūque uero sit, illud saltem exploratum nobis habere uidetur, unum uel plures propheticos libros fuisse ab Ieremia conscri-

Episto.
Hieron.

In Matth.
c. 27.

ptos

20. & 21.
argum.

Conclusio.

ptos præter illos omnes, quos inter canonicos iam numerauimus; quod quidem Machabæorum in primis auctoritate conclusimus, atque Matthæi testimonio deinde confirmauimus: Nisi quispiam per fugium aliquod quærens, neque in hac assertione nostra libèter aquietens, fortasse dixerit, Matthæi codicem eo in loco corruptum manere, quem ipse suo arbitrio corrigens in locum Ieremiæ Zachariam reponat. Eiusmodi autem responsio leuis ac temeraria nobis sanè uideatur, fugæque magis, quàm defensionis per similes, cum omnes, quotquot reperiuntur, tum Latini tum Græci codices in Ieremiæ nomine mirè consentiant. Nec parum etiam nos præterea mouet ad sacrorum Voluminum numerum coniectura augendum, quod pro Canonibus, Constitutionibusque Apostolicis paulò ante dicebatur; huiusmodi enim libros Apostolos ipsos edidisse innumeris testimonijs euinci potest, Apostolorum autem omnium Sanctiones negligere, & à Spiritu sancto manasse illas negare perhorrescimus, quot uerò & quæ sint huiusmodi sanctiones ignoramus; de germanis tamen & incorruptis loquimur, quas à suppositis & contaminatis discernere nostri nec iudicii, nec muneris, nec instituti esse putamus. Quare concludendum nobis uideatur, aliquos olim fuisse libros à Spiritu sancto dictatos præter eos omnes, quos ad sacrorum numerum in canone ascriptos hucusque recensuimus. Hoc enim generatim inquirendum proposueramus. Quot autem & qui sint huiusmodi libri, diligenter perscrutari, & sigillatim definire consultò prætermittimus, cum eiusmodi definitio ad solam Catholicam Ecclesiam iure pertineat, quæ, cum necessitas uel occasio id postularit, libros diiudicare, atque de ipsorum tum ueritate tum auctoritate sententiam ferre sine errore solet: Illud tamen nõ reticebimus plures nobis suspectos esse libros ex ijs, quos sacros esse affirmantium rationes concludere paulò ante uidebantur, imò nonnullos etiam ab Ecclesia fuisse damnatos, pluri-

plurimos quoque iam perijsse, reliquos uero superstites inter Apocryphos omnium consensione numerari; singulorū itaque disquisitione omiſsa, infructuosoque labore superſedentes, cum ORICENEDICEMUS [Operosum est autem & procul ab opere proposito, si uelimus nunc inquirere quam multorum librorum commemoratio fiat in scripturis Diuinis, quorum lectio nulla nobis omnino est tradita, sed neque apud Iudæos haberi quidem huiusmodi reperimus lectionē] Nec solum operosum, & difficile, sed periculosum etiam ac temerarium esset, si uellemus præterea illos quoque libros nominatim percensere, examinare, & definire, de quibus (etsi à Spiritu sancto forte dictatis) nulla tamen fit mentio in Diuinis scripturis, quas quidem omnium sacrorum librorū meminisse nec scribitur, nec certa ratione aliqua concluditur. Illos igitur missos facientes, magis fructuosas disputationes persequamur.

In Cant.
Cant. ho. 1

Cur eiusmodi sacri libri à Spiritu sancto dictati, nec inter Canonicos numerati in obliuione iaceant explicatur. An uerò illi interciderint, uel superstites adhuc maneant distinctione declaratur.

Cap. XXXIII.



RO autem generatim constituto, & (ni fallimur) cumulatè demonstrato, quod examinandum proponeretur, priusquam obiectas argumentationes sigillatim diluamus, quæret à nobis fortasse quispiam, cur nam eiusmodi libri à Spiritu sancto (ut fertur) dictati, in silentio nunc, & obliuione iaceant. Hanc igitur dubitationem, quæ quidem nec leuis nec prorsus inutilis uideatur, ut commodius tollamus, Iudæorum fraudis memoria nobis

Prima causa
iacturæ
librorum.

Ep. ad Iul.
Afric.Li. de habi.
mulic.Ep. ad Iul.
Afric.In Cant.
Cāt. hō. 1.

nobis erit in primis repetenda, quorum scribas, & Doctores solitos fuisse Diuina aliquod Volumina malitiosè abdere, ac suppressere; ut exempli causa, ea omnia quæ eiusdem ordinis hominum flagitia, ac scelerum pœnas ab ipsis soluendas continebant; quod quidem inter cæteros **ORIGENES** ad Africanum scribens apertissime testatus est his uerbis [Ex ijs quæ Presbyterorum & magistratuum, & iudicum continebant uituperationem, quæcunque potuerunt, sustulerunt eorum sapientes à cognitione populi] idemque illustribus exemplis confirmauit, inducens in primis ad illud demonstrandum Susannæ historiam, Prophetarum deinde cædes, aliaque eiusmodi exempla idem comprobantia: Atque **TERTULLIANVS** de hoc ipso Enoch libro dicebat [Sed cum Enoch eadem scriptura etiam de Domino prædicarit, à nobis quidem nihil omnino reiiciendum, quod pertinet ad nos, & legimus, omnem scripturam ædificationi habilem diuinitus inspirari, à Iudæis postea iam uideri propterea reiectam, sicut & cætera quæ Christum sonant] Quod nos quoque fusè ostendimus, dum Hebraici Canonis auctoritatem expenderemus, quæ singula nunc reperere operæ pretium non putamus, illud pro comperto habentes, eius generis libros, quoscunque potuerunt, Iudæos ipsos uel funditus perdidisse, uel fabulis, & mendacijs inquinasse, ut ijdem superstitibus siccirco sint ad Apocryphorum numerum à posteris ascripti, quod pariter eo in loco testabatur **ORIGENES** dicens [Est manifestum quod dicunt Traditiones, sectum esse Isaiam Prophetam, & hoc habetur in quodam Apocrypho; quod quidem fortasse consultò per dolum factum est à Iudæis, quibusdam non decentibus scripturæ iniectis distinctionibus, ut toti fides abrogaretur.] Qui alibi de iisdem libris ait [Illud tamen palàm est, multa uel ab Apostolis uel ab euangelistis exempla esse prolata, & nouo Testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus;

nun-

nunquam legimus, in Apocryphis tamen inteniuntur, & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta] Quod quidem incommodū Prophetico libro Enoch speciatim accidisse possumus præterea aliquo fortasse argumento conijcere ex Testamento duodecim Prophetarū ducto (libro quidem Apocrypho, sed tamen Hebraico, & uetustissimo) cuius inter cæteros meminit **ORIGENES** dicens [Sed & in alio quodam libello, qui appellatur Testamentum duodecim Patriarcharum, quamuis non habeatur in canone, talem tamen quædam sensum inuenimus, quod per singulos peccantes singuli fatanæ intelligi debeant] in quo plures ex libro Enoch recitantur eiusmodi Prophetiæ, quæ à Iudæis edenda scelera, supplicia de illis sumenda, Saluatorem Mundi ab eisdem occidendum, Urbis & Regni Iudaici euerisionem, Populi denique per Gentium ciuitates dispergendi perpetuam seruitutem prænunciabant; propter quas ipse Enoch librum à Iudæorum sapientibus olim abditum, & commentitijs fabulis contaminatum fuisse uerisimile uideatur; quæ quidem fabulæ fidem omnem, & auctoritatem postea illi ademerunt, ut iccirco de ipso diceret **AVGVSTINVS** [Illa quæ sub Enoch nomine proferuntur, & continent fabulas illas de Gigantibus, quod non habuerunt homines patres, rectè à prudentibus iudicantur non ipsius esse credenda] Iudæorum itaque malitia & fraude hæc librorum iactura facta in primis uidetur, quæ quidem eorundem amentia & incuria **ATHANASIVS** ascripsit, qui postquam illorum sacrorum Voluminum meminisset, quæ scriptura ipsa commemorat, à nobis autem desiderantur, ait [Itaq; hæc omnia per impiorū Iudæorum amentiam & incuriam interiisse manifestum est] Iudæorū igitur uel fraudi cum Origene, uel amentia cum Athanasio huiusmodi iacturam in primis tribuamus, secundam autem eiusdem incommodi causam afferamus cum **AVGVSTINO** ipsam antiquitatem, inquit enim ille [Enoch scripta ut apud Iudæos, & apud

In To sise
hom. 15.15. de Ciu.
Dei. c. 23.synopsi sa
cre script.

2. causa.

18. de Ciu.

nos

3. *Causa.*

nos in auctoritate non essent nimia fecit antiquitas, propter quam uidebantur esse suspecta, ne proferrentur falsa pro ueris] Quibus tertiam præterea causam ex ipsis Historijs adiungere possumus, Bibliothecæ. s. Ierosolymitanæ incendium ac direptionem; constanter enim narrant historiæ, quod direpta sæpius, euerfa, ac uastata olim Hierusalem ab hostibus Assirijs, Græcis & Romanis, non solum ex hausta, sed exusta quoque fuerit sacra illius Bibliotheca. Quartam ad hæc causam excogitabat ORIGENES; qui de eiusmodi sacris libris ammissis uerba faciens dicebat [Pro eo quod aliqua supra humanam intelligētiam cōtinebant, placuit Spiritui sancto auferri de medio] Quintam uero causam ex TERTULLIANO colligere possumus dicente [Hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit, adiectionibus, & detractio-

4. *Causa.*
In Cant.
Cant. ho. 1

nibus ad dispositionem instituti sui interuertit] Quod comprobans HIERONYMVS ait [Hæretici quicquid cōtrarium suo Dogmati uiderunt, eraserunt] Hæreticorum itaque rabiem & furorem cæteris incommodis accessisse dicendum erit, quo tum aliquos sacros libros illi penitus amputarint, tum alios adulterinis lituris, & additamentis contaminarint, quorum aliqui superstites libri adhuc maneant coinquinati, atque inter Apocryphos iccirco numerentur. Sextam tandem atque postremam huius iacturæ causam nos quoque afferre quis prohibet? ipsorum scilicet Patrum silentium quoddam, quo libros aliquos præterisse uidentur, cum illorum testimonio rarè admodum sint usi, quorum Traditio adeò sit iccirco obscurata, ut euanuisse uideatur; quod incommodum tertio libro Esdræ accidisse suspicari quispiam posset, Ecclesiæ tamen iudicio definiendum id ipsum relinquens. Tot igitur concurrentibus causis ad eiusmodi librorum iacturam, sic illam fuisse improbabile non uidetur, quam tamen uariam, ac multiplicem esse suspicamus, aliquos enim penitus deletos fuisse libros negare non audemus, cum ipsorum multis

6. *Causa.*

ante hac

Varii libro
rū iactura.

ante hac seculis nullum extet certum monumentum, aut uestigium; alios in Apocryphorum numero reponi argumentis conijcimus; præterea uerò eorum aliquem integrum adhuc manere, qui tamen in tenebris ignotus & abditus iaceat, nobis non uidetur *ad ueracior.*

Apocryphorum librorum definitio traditur, & quis ipsorum sit usus explicatur. Cap. XXXV.



QVONIAM autem Apocryphorum librorum mentionem fecimus, quæret à nobis non incitè quispiam, quænam sit huic uoci subiecta sententia, postulans scilicet Apocryphi libri definitionem, dignitatem, auctoritatem & usum distinctè sibi declarari; cui quidem non temerè interroganti morem gerendum esse, & ad singula quæ sita respondendum arbitantes dicimus, Apocryphum græcam uocem esse, quæ in latinam conuersa sonet occultum & abditum: Cur autem aliquot libri hoc nomine appellentur, & quæ sit huius rei definitio non constat utique inter omnes, cum permulti sint qui libros illos dicant esse apocryphos, qui habent in se errores admixtos, suspectasque sententias: Hanc uerò definitionem ab antiquis patribus se accipere profitentur, cum ORIGENES dicat [Siue quod essent de scripturis his, quæ appellantur Apocryphæ, pro eo quod multa in eis corrupta, & contra fidem ueram inueniuntur à maioribus tradita, non placuit eis dari locū, nec admitti ad auctoritatem] atque in eandem sententiam scribat HIERONYMVS [Cauet omnia Apocrypha, & si quando non ad Dogmatum ueritatem, sed ad signorum reuerentiam legere uoluerit, sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta uitiosa, & grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere] Alij rursus affirmant Apocryphos libros esse ab ecclesia damnatos, quorum propterea

Apocry-
phi quid
significet.Quorū dā
definitio.Præf. i. Cat.
Cant.Ep. ad la-
tam de la-
sti. filia.

Dec. 14. d.
c. sancta Ro.
Alia Opi-
nio.

Alia Opi-
nio.
Ep. ad Letā
de inst. fil.
18. de Civ.
Dei.
Alia Opi-
nio.

15. d. c. san-
cta Rom.
Alia Opi-
nio.
Dicitis opi-
nionibus
ab Aucto-
re obijci-
tur.
Primæ.

Secundæ.

Tertiæ.

Quartæ.

pterea lectio fidelibus fit interdicta, cum eiusmodi libros à Gelasio repudiatos idem in Decreto uocet Apocryphos. Cuius pariter auctoritate illud concluditur, non solum Apocryphos dici illos, qui Prophetarum uel Apostolorum alicui (quamuis falsò) inscribuntur, sed illi præterea qui inter Tractatorum opuscula numerantur, cum ex istis plurimi ab ipso Gelasio in eodem loco ad Apocryphorum numerum ascribantur. Ex quorum enumeratione, & ex HIERONYMO dicente [Sciat non eorum esse, quorum titulis prænotatur] atque ex AVGVSTINO affirmante de iisdem apocryphis [Non quòd eorum, qui Deo placuerunt, reprobetur auctoritas, sed quòd ista esse non creduntur ipsorum] concludit aliqui, Apocryphum esse idem quod *Ψευδ επιγραφον* (falsò scilicet inscriptum.) Alij præterea dicunt Apocryphos libros esse, cuius auctores suspectæ sunt fidei, huiusmodi enim plures esse à Gelasio enumeratos animaduertunt. Atque Glosator eo in loco affirmat Apocryphos libros esse, quorum incerti sunt auctores. Nos autem ex tot sententijs quam deligamus prorsus non uidemus, cum singulæ maximis premantur difficultatibus; in primis enim in memoriam redigimus Regis Manasse orationem, tertium Esdræ, & Machabæorum pariter tertium, quæ quidem inter canonica Volumina non numerantur, atque iccirco Apocrypha hucusq; iudicantur, cum tamen mendacia aliqua, uel Dogmata cū fide pugnantia in se habere non deprehendantur; sed nec eiusmodi libri ab Ecclesia damnati sunt, uel ipsorum lectione nobis interdictum, qui & quartum præterea tum Esdræ tum Machabæorum liberè & assiduè legere possumus; De Tractatorum autem libris nunc non agimus, sed de ipsis Canonicis, atque iccirco nobis non est curæ, an inter illos aliqui dicantur Apocryphi, curuè eiusmodi nomine nuncupentur. Aliud quoq; *ἀπικρυφον* aliud *Ψευδ επιγραφον* esse nomina ipsa declarant, & pluribus præterea argumentis ipsorum discrimen demon-

demonstrari possit, nunc uerò uno altero id exemplo ostendemus, Pauli epistolam ad Hebræos, atque Sapientiam Salomonis, falsò fuisse inscriptas plures Catholici & sancti Patres olim affirmarunt (ut in earum traditione dilucidanda, atque obiectis argumentis diluendis nos retulimus) quas tamè apocryphas esse omnino illi negabant, id palàm ex hoc declarantes *Ψευδ επιγραφον* idè non esse, quod *ἀπικρυφον*: Apocryphorum autem auctores suspectæ fidei esse sicut libro nulli congruit ex ijs, qui in canonem non sunt recepti, cum tamen canonicorum speciem quandam gerant, (de quibus nunc est sermo noster) ut pote qui Prophetis uel Apostolis Apostolicisque uiris inscribantur, ita nò omnibus Tractatorum Apocryphis uocatis conueniunt, cum plurimi eorum sint sanctorum Patrum nominibus notati, falsò tamen (ut multi suspicantur) iisdem inscripti. Incertos autem habere Auctores Canonicis etiam libris quandoque contingit, ut libro Iob, & primo Machabæorum, alijsque nonnullis: Quapropter dictarum opinionum nulla nobis probanda uidetur, qui eiusmodi Apocryphorum definitiones missas facientes, meliorem (si fieri poterit) inuestigare tentabimus. Est itaque Apocryphum Canonico è regione contrarium, ueluti de altissimo Canonici gradu deiectum; hoc enim uocabulo appellare sancti Patres consueuerunt libros illos, quos similitudinem quãdam gerentes speciemque canonicorum ipsi repudiabant, (quod quidem in tota hac librorum Canonicorum Tractatione frequenter experti sumus) atque iccirco de huiusmodi Apocryphis, tanquam oppositis, nunc uerba facimus, (oppositorum enim eadem est disciplina) Nominis autem uim explicantes iam diximus, Apocryphum ipsum significare occultum, quod quidem Vocabulum rei ipsius definitioni optimè conuenire cognoscemus, si in memoriam illud reddamus, quod fusè iam pridem demonstrauius, Canonicorum scilicet librorum omnium notam esse Traditionem, Quorū

N igitur

Quintæ.

Sextæ.

Auctoris
opinio.

igitur librorum occulta est Traditio, illos Canonicis meritò opponemus, Apocriphosq; eosdem iccirco nuncupabimus, ut scite admodum exponebat **ISIDORVS** dicens [Apocrypha dicta, idest secreta, quia in dubium ueniunt, est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus, ex quibus usque ad nos auctoritas ueracium scripturarum certissima, & notissima successione peruenit] quam quidem sententiam, & uerba ipsa ille profectò accepit ab **AVGVSTINO** dicente [Ommitto igitur Scripturarum fabulas, quæ Apocryphæ nuncupantur, eo, quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus usque ad nos auctoritas ueracium scripturarum certissima & notissima successione peruenit] Nos uerò ab utroque Dòctore eandem Apocryphi rationem, nomini etiam congruentem, libenter suscipimus. Quoniam tamen aliquot Patres Canonica Volumina enumerantes, uel ea sigillatim examinantes, in Apocryphorum numerum quædam retulisse, nosque illorum dicta Canonicis libris opposcentes recitasse meminimus, quæ nihilominus uolumina in Canonem Ecclesia postea recepit, eorundem Traditionem notam esse iam demonstrauimus, Id ipsumque posthac accidere fortasse posset libro alicui in Ecclesiastico Canone nondum descripto (si tamen ex sacris aliquis eiusmodi superstes adhuc inuenitur) ut Patrum dignitati consulamus, & librorum ueritati nihil detrahamus, definiendos Apocryphos ita existimamus. Apocryphus liber dicitur, cuius Canonici speciem gerentis, Traditio est, uel uidetur occulta. Sit igitur hæc Apocryphi libri propriè accepti integra definitio. Sunt uerò alij minus propriè dicti, qui quidè similitudine potius quædam, uel consequentia eiusmodi nomine appellatur; Similitudine enim, siue ἀναλογία dicuntur Apocryphi, Tractatorum (ut uocant) libri illi, quorum est occulta origo, atque incertum est ipsos ab eisdem auctoribus fuisse conscriptos, quibus inscribuntur. Erit itaque hoc Apocryphi minus propriè accepti genus primum. Consequentia

Definitio
Apocryphi
libri.

Genus primum
Apocryphi minus
propriè accepti.
Genus secundum.

sequentia autè omnes illi dicuntur Apocryphi, quicumque falsa & errata continēt, atq; suspectis sententiis referti sunt, plurimi enim eorum, qui inter propriè Apocryphos numerantur, eiusmodi conditionem annexam habere deprehenduntur, propter quam isti consequentia quadam apocryphi dici uidentur. Ad hæc autem quoniam ipsi propriè dicti Apocryphi, cum ad Canonicorum numerum non ascribantur, repudiari quodammodo uidentur illi quoque Tractatorum libri, de quibus loquebatur **Gelasius**, Apocryphi hac consecutione nuncupantur, quia scilicet ob suspectos Auctores improbi reijciuntur. Sæpius quoque accidit, ut propriè Apocryphi sint falsò inscripti, quod ^a **Hieronymus** & ^b **Augustinus** dicebat, & utroque apertius testatur **ISIDORVS** cū ait [Multa & sub nominibus Prophetarū, & recentiora sub nominibus Apostolorum ab hereticis proferuntur, quæ omnia sub nomine Apocryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt] atque iccirco fit ut Apocryphum dicatur quoque Pseuepigraphum. Eorū denique omnium, quorum origo ac traditio occulta est, incertum quoque oportet esse auctorem; ex qua consequentia illi etiam Tractatorum libri inter Apocryphos numerari possunt, qui ab incerto auctore editi leguntur. Quatuor igitur hæc posteriora librorum genera dicuntur cōsequentia quadam Apocrypha, de quibus, & alio præterea ἀναλογία (ut diximus) apocrypha, ipsa **Origenis**, **Hieronymi**, **Gelasij**, & **Glossatoris** uerba sunt interpretanda, atque inter se, & ueritati concilianda. Quibus abudè explicatis, ad Apocryphos propriè acceptos iam redeamus, quorum præter definitionem, usum quoque, & dignitatē nos explicare oportet, ut ad ea omnia, quæ erant quæsitæ, ordine respondeamus. Interroganti igitur, an eiusmodi Apocryphis Theologo utendum sit, dicet si ne cunctatione quispiam, id maxime licere, cum illorum testimoniiis non solum **Cyprianus**, **Athanasius**, **Ambrosius**,

Genus tertium.

Genus 4.
a Ep. ad Letam de inf. filia.
b 18. de Gen. Dei.
Ety. li. 6.

An Apocryphis utendū sit, & quò.

Aliquorū responsio.

Cap. 32. & Augustinus indiscriminatim sint usi, ut in tertio & quarto Esdræ libro comprobando paulò ante ostensum est, sed Iudam quoque Apostolum ex Enoch libro in canonem nõ recepto testimonium sumpsisse legamus, imò ceteros etiam Apostolos & Euangelistas sæpius ex Apocryphis exempla sumpsisse Patres obseruarint, inter quos ORIGENES dicebat [Illud tamen palàm est, multa, uel ab Apostolis, uel ab Euangelistis exempla esse prolata, & nouo Testamento inserta, quæ in his scripturis, quas canonicas habemus, nunquam legimus, in Apocryphis tamen inueniuntur, & euidenter ex ipsis ostenduntur assumpta.] idem quoque nobis licere maxime uidetur, quos Apostolorum, & Patrum exempla imitari oportet. Hæc autem responsio nobis non satisfacit, ea enim admissa tum inanis & cassâ redderetur omnis distinctio secretioque librorum, atque superuacuis fuisset labor noster in Canonicis libris deligendis, (cum indiscriminatim omnibus tam Apocryphis quàm Canonicis ad confirmanda Dogmata uti possemus, tum Sacrosancta Tridentina synodus in librorum Canone promulgando non asseruisset, se iccirco libros Canonicos sigillatim enumerare, ut omnes norint quibusnam testimoniis in suis confirmandis esset deinde usura, tum etiam periculose id faceremus, cum ipsi Apocryphi libri, ut iam demonstrauius, habeant plerunque admixtos errores suspectasq; sententias. Tandem uerò eiusmodi testimonia aduersarius facile declinaret, cum libro (utpotè Apocrypho) nullam adhibendam esse fidem assereret, ut enim ISIDORVS ait [In ijs Apocryphis etsi inuenitur aliqua ueritas, tamen propter multa falsa nulla est in eis auctoritas.] Ad Iudæ autem testimoniũ, quod obijcebatur, ceterorumque tum Apostolorum tum Euangelistarum exempla ab Origene asserta, cum eodem Origene respondemus (quamuis, ut diximus, compertum non habeamus, an Iudas ex Apocrypho uel germano Enoch libro testimonium

Præf. in Cant. Cât.

Responsio nis oppugnationis.

Scff. 4.

Ety. li. 6. obiecta argumenta diluuntur.

nium illud acceperit, (dicebat itaque ORIGENES [Sed ne sic quidem locus Apocryphis dandus est, non enim transeundi sunt termini, quos statuerunt Patres nostri, potuit enim fieri, ut Apostoli, uel Euangelistæ Sancto spiritu repleti sciuerint quid assumendum ex illis esset scripturis, quidue refutandum, nobis autem non est absque periculo aliquid tale præsumere, quibus non est tanta spiritus abundantia.] Quòd si Athanasius, & plures ex Græcis Patribus, atque ab illis non discedens Augustinus ex tertio Esdræ libro testimonia produxerunt, Ambrosius uerò ex eiusdem quarto, id ipsi utique fecerunt, cum ab ea sententia non abhorrerent, ut libros illos Propheticos ac Diuinos esse putarent, quod eorum dicta paulò ante recitata non obscure declarant. Nobis autem sanctitate, doctrina, & spiritus charismatibus multò inferiores, quàm illi fuerint, tutius omnino erit commune sequi iudicium, & ab Ecclesiæ Canone ne transuersum quidem ungem discedere. Sed dices, Nulla igitur erit Apocryphorũ huiusmodi librorum auctoritas? & nullus usus? Erit quidem, sed moderatione temperandus; quem breuiter explicantes dicimus, libros eiusmodi Apocryphos in duplici ordine collocari, quidam enim suspectis aliquot sententijs, uel erroribus contaminati inueniuntur, alij uerò nihil tale continere deprehenduntur, ut (ni fallimur) est liber tertius tum Esdræ, tum Machabæorum, oratio Manassæ, atque istis similes scripturæ; Corruptis igitur & suspectis aliquantulum libris parcè admodum utendum erit, quamuis uera ex eis cautè, & diligenter delecta proferamus; perinde atq; Origenis olim dānati, Tertulliani Montanistæ, Ticonij Donatistæ, atq; similiũ suspectæ fidei auctorum libris testimonijsque uti solemus; cæteris autem incorruptis scripturis, quamuis Apocryphis, quas non omnino à Patribus neglectas nouimus, libere uti poterimus, præ omnium Tractatorum & Patrum monumentis auctoritatem illis tribuentes, sacris tamen longe inferiores eas-

Præf. in Cant. Cât.

Auctoris opinio de usu librorũ apocryphorum.

dem arbitrantes, ut pote quibus Patres ipsi detulisse deprehendantur, nec solum uetustissimæ sint, atque insigni doctrina refertæ, sed sacris ipsis & diuinis Voluminibus adiunctæ passim legantur, & à Spiritu sancto forsitan dictatas illas esse suspicari Ecclesia nobis hucusque non interdixerit; quæ quidem suspicio Patrû monumentis congruere nunquam poterit: Huiusmodi igitur Apocryphos libros incorruptos in primario auctoritatis & dignitatis gradu post canonicas scripturas collocare æquissimum erit, atque illorum testimonijs hac moderatione uti decentissimum.

Responiones ad Argumenta, quæ obijciabantur à negantibus præter enumeratos Canonicos libros fuisse alios à Spiritu sancto dictatos.

Cap. XXXVI.



VONIAM uerò negantes fieri posse, ut præter enumeratos Canonicos libros alij vnquam fuerint ab ipso sancto Spiritu dictati, aliquot argumentis suam confirmabant sententiam, (nec quidem leuius & aspernendis) quæ nostram iccirco iam prolatam asseritionem ita oppugnant, ut eam prorsus euertere uideantur, operæ pretium sanè erit illa diluere, atque aduersariorum impetum omnem Dei auxilio propulsare. In primis itaque obijciabant illi scripturæ sacræ auctoritatem, qua sempiternum ac immortale Dei Verbum esse demonstrabant; illud enim in æternum manere cum Dauide clamabat Isaias; ipse uerò Dominus Coelo, & Terra transeuntibus permanfurum id ipsum affirmabat. Verùm isti animaduertere debebât, Diuinâ ipsam Scripturam non de suismet characteribus & membranis immortalitatem prædicare, quas deficiente uel quiescente coelo permansuras, omnibus conflagratis saluas & incolumens euasuras, scientia & Prophetia ipsa adueniente uisione,

Psal. 118.
Isa. 40.
Matth. 24.
Responso
ad primū
argum.

ne, quasi Aurora exorto sole, euanescente, literas tamen manuras, atque deficiente fide & militia Ecclesiæ, fidei adminicula, & militiæ arma sine necessitate uel fructu aliquo referuanda quis mentis compos unquam dixcrit? Sed de promissis ipsis constantissime seruandis, de sempiternis præmijs, de Christo denique æterno Dei Verbo ea omnia affirmare, ut sancti Patres docte pieque sunt interpretati; inter quos dicebat HERONYMVS [Sed dicit quispiam, quomodo æternæ erunt scripturæ Diuinæ, si Mundus certo sine Deo denunciante est terminandus? sic enim ait in Euangelio, Coelum & terra transibunt. Verum quidem est quòd uerborum pelliculæ cum ipsis literis abolendæ sunt, sed quia subiungit Dominus, Verba autem mea non præteribunt, proculdubio quod eisdem apicibus pollicetur, erit æternum.] Esdræ uerò (quod secundo loco obijciabatur) à Deo fuisse olim excitatum, ut diuinas ipsas scripturas uel deletas restitueret, uel corruptas emendaret, & confusas in pristinum ordinem redigeret, facile quidem concedimus; an autem Dei prouidentia, & afflatus, atque Esdræ opera & labor omnes prorsus comprehenderit scripturas, quas cunctas à Mundo creato, quouis tempore, cuius homini, & quouis occasione exarandas Deus ipse dictauerit, uel eas solas, quas tunc Synagogæ ipsi necessarias atque utiles idem auctor Deus iudicauerit, cæteris infinita sapientia supressis, nec scriptura asserit, nec Patres palam testantur; quare nos quoque eorum alterum constanter affirmare non audemus, nec affirmantibus id ipsum concedere cogitamus: Qua propter nec Deum tolerasse negamus, quin aliquæ Diuinæ scripturæ tunc deletæ ab Esdra cæteris restitutis non renouarentur, nec postea ad hoc usque seculum alias eiusmodi scripturas post Esdræ tempora exaratas perire forsitan illum pertulisse miramur. Omnem quoque scripturam diuinitus inspiratam utilem esse, & quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse facile fatemur,

Iob. c. 37.

Ad secundū
argum.

Ad tertium
argum.

ea tamen omnia ad salutem ita esse necessaria, ut sine illis scripturis omnibus ac singulis salutē adipisci homines non possint, apertè negamus, cum sanctos Patriarchas absq; ulla scriptura Diuina (carū saltē, quas nos habemus) saluos atq; beatos esse credamus, in quorum Beatorum numerū etiā relatus est ipse Moyses, nullam habēs scripturam præter librū Iob & Pentateuchum, ab ipso, ut fertur conscriptū; similiter Dauid, atque alij quam plurimi, nondum conscriptis omnibus, qui nunc extat, Canonicis libris, tum ad Nouum, tum etiam ad Vetus Testamentū pertinentibus, beatitudinem adepti sunt; carebat denique Stephanus scripto Euangelio, & in cœlum nihilominus euolabat: Quemadmodum igitur nō omnes simul editę sunt Diuinę scripturę, sed illarum ortus magnis temporum interuallis disuncti fuerunt, cum tamen interim salutis ac beatitudinis aditus hominibus latè pateret, ita ipsarum nonnullis forsitan Dei Prouidentia uel deletis, uel abditis, eundem salutis aditum interclusum nobis iccirco non esse speramus. Quamuis librorum etiam existente iactura fieri præterea possit, ut Dei sententię & uerba seruentur, uel in cæteris, qui salui sunt, canonicis libris dispersa, sicut multa in scripturis repetita leguntur, uel saltem Traditione ad nos deriuata, sicut pleraque alia nunquam scripta, eadem Traditione ad posteros peruenerunt, atque inde etiam fluxerunt ea præcepta, Dogmata, & mysteria Euangelica & Apostolica omnia, quęcunque postea scripta Nouo Testamento continentur, quod quidem scriptum Traditio ipsa antecesserat, (ut de Traditionibus agentes abunde demonstrauimus) Quid uerò prohibet, quemadmodū Verba Dei tradita nē, in scripturā conuersa ac redacta frequenter fuerunt, pariter quoq; aliqua scripta Verba iterum ad ipsam Traditionem aliquando reuertantur? Ad hæc uerò respondentes dicimus, quamuis omnis scriptura Diuina utilis dicatur, fieri tamen posse, ut rerum ac temporum conuersione, uel ab utentium malitia

(sal-

saltem secundum litteram) aut obsit, aut non prosit; sicut quę ad legis cęrimonias atque iudicia pertinebant, olim quidem Iudęis utilia ac necessaria, nunc uerò fidelibus hæc quidem infructuosa, illa uerò etiam essent pernicioosa, si secundum litteram seruantur; atque ORIGENES præterea suspicabatur ammissas scripturas ob sensuum, eminentiam intellectui nostro imparem fuisse deletas, dicens [Pro eo quòd aliqua supra humanam intelligentiam continebant, placuit Spiritui sancto auferri de medio] quod tamen nos non affirmamus, sed poruidentię Dei, cuius iudicia abyssus multa, id totum relinquimus. Ut autem commodius ad postrema, quę restant, argumenta respondeamus, in in memoriā in primis illud reddimus, Diuinas & Apostolicas Traditiones in ecclesia ipsa seruari, nec tamen omnes huc usque esse ab eadē examinatas, & scripto editas; id enim graui data occasione sigillatim præstare Ecclesia solet, tunc autem Patrum antiquorum testimonijs undique collectis per manus tradita disciplina publicè exposita, antiquis moribus cognitis, communi consuetudine peruulgata, Traditionem aliquam fortasse obscuratam, & ab hæreticis, uel minus eruditus hominibus oppugnatam aperit, defendit, definit, & scripto canone omnibus peruulgat. Deinde illud etiam ponimus, quod obseruatum putamus, Ecclesiam scilicet de libris sacris plures diuersis temporibus Canones edidisse, atq; posterioribus Decretis, & Canonibus eorumdem librorum numerum aliquando auxisse, quibus inter cæteros, Machabęorum etiam libros, Salomonis Sapientiam, & Ecclesiasticum, ad canonicorum numerum ascriptos fuisse, cum in prioribus canonibus illi desiderarentur: Quod quidem quiuis cognoscere facile potest, & nos quoque id ipsum abunde iam pridē demonstrauimus, idque nunc fusius repetendum esse non arbitramur. Ex quo eiusmodi Canones consideranti illud non obscurè declaratur, quòd ecclesia in ipsis promulgandis, quos

Præf. in
Cant. Cāt.Ad 4. &
argumen-
tum.Tit. de Tra-
ditionibus

quos nominatim libros percensebat, eosdem Canonicos esse statuebat; quos autem silentio præteribat, illos nec probabat, nec damnabat: Si nanque priores Canones, quos reticuerunt libros, eosdem propterea damnassent, & sacros non esse declarassent, iam cum posterioribus aperte pugnant (quod absit, ut Catholicus quispiam suspicetur.) Quare concludere istud quoque possumus, quod ratis, ac firmis manentibus Canonicis libris, ab Ecclesia nominatim hucusque in canonem receptis, non esse propterea eidem ecclesie potestatem ademptam, alios (si quando uidebitur) ascribendi. Quibus positis ad obiecta argumenta respondemus; cum ecclesia hucusque, uel notissimæ Traditionis libros definitis enumerarit, uel minus notæ Traditionis aliquot data occasione dijudicauerit, nec unquam sibi proposuerit definiendum an reliqui adhuc sint alij libri eiusdem ordinis, (id enim nullo in Concilio legimus) ea propter non debemus suspicari, ecclesiam aliorum (si qui sunt reliqui) traditionem ignorare, sed illud potius existimare, ipsam sibi congruentem potestatem adhuc reseruasse, hoc ipsum tunc generatim tum speciatim definiendi, cum iusta oblata occasione faciendum sancto spiritu illustrata iudicauerit; sicut enim plures adhuc Traditiones in custode ecclesia seruari putamus, quas ipsa nondum exagitata, & cõpulsã scriptis Decretis exposuerit, id ipsum quoque in ipsis libris de eadem nos pariter suspicari licet; cuius iudicium expectãtes, quod dubium est, incertum interim relinquamus, atque sermonem nostrum ad Canonicorum librorum uarias editiones, lectionesque examinandas conuertamus.

Qua

Qua lingua usi sint sacri ipsi scriptores in Canonicis Libris conscribendis. Cap. XXXVII.



VT hebraicam linguam omnium uetustate antiquissimam esse eruditi uiri palam fatentur, quam à primo parente inuentam & posteris traditam, Babilonicam illam sermonis confusionem, linguarum procreatricem, multis seculis antecessisse nouerunt, ita perfectione, dignitate, & maiestate quadam cæteris ipsam antecellere iidem affirmant, & ratione euincunt, qui propterea Diuinæ locutioni eam maxime congruere facile concedunt. Id ipsum autem experientia quoque, & usu comprobatum est, plurima enim sanctarum scripturarum Volumina Hebraico sermone conscripta fuisse Traditio ipsa testatur, & certissima argumenta demonstrant; idque eò magis consentaneum esse deprehenditur, quod Hebræis hominibus olim locutus est Deus, atque Hebræi erant ipsi Prophetæ, qui Dei sententias pronuntiabant. Libri autem Canonici, quos Hebraico sermone conscriptos fuisse, omnes, nemine repugnante, fatentur, ex Veteri quidem Testamento sunt Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esther, Psalterium Dauidicum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Duodecim Prophetæ minores, & Machabæorum liber primus. Ex nouo autem Testamento solum utiq; Matthæi euangelium inter hebraica Volumina numeratur, de quo HIERONYMVS scribit [Matthæus qui & Leui, ex publicano Apostolus, primus in Iudæa propter eos qui ex circumcisione crediderant, Euangelium Christi hebraicis litteris uerbisque composuit, quod quis postea in Græcum transtulerit non satis certum est, porro ipsum Hebraicum habetur usque hodie in Cæsariensi Bibliotheca, quã Pamphilus mar-

Qui libri Canonici Hebraico sermone fuerint conscripti.

Lib. de scri. ecclæ.

tyr

tyr studiosissime confecit, mihi quoque à Nazareis, qui in Beroëa urbe Syriæ hoc Volumine utuntur, describendi facultas fuit] Quamuis id quoque cum iamdiu nullibi reperitur, perijisse dolendum sit. An uerò qui nunc leguntur hebraici libri, inter Veteris Testamenti Volumina paulo ante à nobis numerati, illimet sint, quos ipsorum Auctores Spiritus sancti scribæ ediderunt, uel exusta Bibliotheca, atque dispersis & captiuis Iudæis, ipsi quoque eius calamitatis incommodum ita sint perpessi, ut omnino perierint, atque ab Esdra in pristinum statum suggerente Spiritu sancto sint postea restituti, incertum profectò uidetur, cum de eo uariè sancti Patres sint opinati, ^a Hilarius enim ^b Chrysostomus & ^c Hieronymus inter cæteros in ea sunt sententia, ut existiment eosdem Canonicos libros à maioribus acceptos, à Iudæis ipsi tiam in seruitutem adductis fuisse seruatos; librorum tamen incuria, ac totius Populi incommodis & uexationibus pristinam incorruptamque integritatem illos ammississe, atque iccirco Esdras, monente ac iuuante Deo, deprauatos ipsos correxisse, dispersos collegisse, squalidos antiquo naturalique nitore adhibito illustrasse, perturbatos denique & confusos summo iudicio disposuisse, & in rectum ordinem adduxisse, immutatis tamen atque suppressis antiquis characteribus, quos Samaritani à Iudæorum consuetudine abhorrentes postea retinuerunt. ^a Ireneus autem, ^b Clemens Alexandrinus, ^c Tertullianus, ^d Basilius & alij affirmant libros ipsos in summa rerum Iudaicarum perturbatione intercidiisse, quos deletos Esdras Diuino numine concitatus postea renouauerit, atque in integrum restituerit, ut Esdræ libro quarto narratur. Quam controuersiam dirimere, & certi aliquid de ea definire nec facile est, nec huic nostræ disputationi necessarium, cum eosdem libros à Moyse & Prophetis hebraicè olim conscriptos, ab Esdra deinde uel correctos, uel instauratos, nunc quoque hebraicos habeamus. Præter quos

à no-

à nobis iam enumeratos Iob librum hebraico pariter sermone legimus, illum quidem à Moyse, ut ueteres testantur, conscriptum, uel potius ex Idumæo in Hebraicum sermonem conuersum, ut Origenes asserit, atque Arabisim, & Syrisim, quibus liber illi refertus est, non obscurè declarant, cuius Idumæus Codex cum iamdiu interciderit, eius uerò Hebraica conuersio sacri interpretis summa auctoritate commendetur, poterimus inter Hebraica Volumina ipsum quoque non temerè numerare. Sunt uerò in eodè Veteri Testamento alij quidem libri, sed Chaldæo sermone conscripti, Tobias scilicet, Iudith, Daniel & Esdras; de Tobia enim dicit Hieronymus [Mirari non desino exactiōis uestræ instantiam, exigitis, ut librū Chaldæo sermone conscriptum ad latinum stylum traham, librum utiq; Tobie] Idemque de libro Iudith dicebat [Apud Hebræos liber Iudith inter Agiographa legitur, cuius auctoritas ad roboranda ea, quæ in contentione ueniunt, minus idonea iudicatur, chaldæo tamen sermone conscriptus inter historias computatur] Atque de Daniele & Esdra ipse quoque Hieronymus ait [Sciendum quippè est, Daniele maxime & Esdras Hebraicis quidem litteris, sed Chaldæo sermone cōscriptos] Tot itaque sunt ex Veteri Testamento Chaldaicè scripti. Vnus autem superest, non quidem Chaldæo, nec Hebræo, sed Græco sermone conscriptus liber, secundus nimirum Machabæorum, quem Hebraicum aliquando fuisse nemo testatur, nec Hebraismus aliquis in eo deprehenditur, sed phrasis tota græca conspicitur, propterea que non ex Hebræo quidem in græcum conuersus, sed græco sermone ab auctore conscriptus meritò iudicatur, teste etiam eodem Hieronymo, qui ait [Machabæorum primum librum Hebraicum reperi, secundus Græcus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest] In nouo autem Testamento præter Matthei Euangelium, quod Hebraicum olim fuisse de omnium scriptorum sententia iam affirmauimus,

Dubium.

a Præf. in psalm.
b In ep. ad Heb. ho. 1.
c In Prol. Gal.

a lib 3. ad uer. her. ca. 25.
b De habitu mul. c. 3
c Strom.
d Ep. ad Chrito.

Qui libri Chaldæo sermone sint editi. Præf. in Tob. Præf. in Iudith.

Præf. in Dan.

Libri Græce scripti.

Prol. Gal.

firmamus, cæteros omnes libros græce scriptos fuisse eorundem testimonio & consensione fatemur: Qua quidem lingua maxime usos fuisse Apostolos, & Apostolicos viros in Dei Verbo conscribendo tum credimus, tum iusta ex causa illud ipsos fecisse conijcimus; erat enim tunc Græca lingua omnium maxime communis, Gentibus autem germana & familiaris, quas oues (ut Dominus dixit) oportebat adducere, quamuis ex ouili Israelitico non essent, atque omni creaturæ Euangelium erat prædicandum. Sunt tamen nonnulli, qui Epistolam quoque Pauli ad Hebræos fuisse ab Apostolo hebraicè exaratam uehementer suspicentur; ea uerò, cum nullibi Hebraica inueniatur, neque certis argumentis huiusmodi olim fuisse demonstratur, de ipsis Græcis libris excipienda non uidetur; Imò Euangelium etiam Matthæi in græcum sermonem nemine repugnante conuersum, atque in ammissi & sublatis locum suffectum, eiusdem nomen ac dignitatem sustinere uidetur; ut interim Auctoris potius, quam Interpretis esse illud quodammodo iudicetur, quamuis propterea de Hebraico (si in lucem iterum prodiret) non præiudicetur. Ex his igitur, quæ diximus, tum apertè colligitur tribus linguis usum fuisse Spiritum sanctum in libris Canonicis dictandis (Hebræa nimirum, Chaldaea, & Græca) tum quo quisque sit sermone conscriptus sigillatim cognoscitur.

Quòd

Quòd Canonici libri conuersi ab interpretibus fuerint, & in alias linguas translati, & quando, & quomodo, & à quibus. Cap. XXXVIII.



CVM ea omnia (teste Apostolo) ad nostram doctrinam scripta sint, quæcunque scripta sunt, consentaneum profectò est, ut Diuinæ ipsæ scripturæ omnibus peruulgentur, unusquisque autem in ea lingua, quam non intelligit, furdus est; quare cum singulis Nationibus per uniuersum orbem diffusis communicari illæ profectò commodè non potuissent, nisi ab interpretibus in uarias fuissent linguas conuersæ, quod quidem hominum studio & industria olim inchoatum, iuuante Deo perfectum nouimus, qui libros Canonicos in plures ac diuersas linguas translatos legimus; Quando autem id factum sit, & quomodo, & à quibus operæ pretium sanè erit inquirere, & sigillatim declarare. Peruetusta igitur scripturæ sanctæ conuersio omnium consensione illa iudicatur, quæ septuaginta Interpretum esse dicitur, eademq; omnium, quotquot sunt ac fuerunt, antiquissima communi quadam hominum opinione putatur, ut potè quæ facta narretur hortatu & auctoritate Ptolomæi Philadelphi Aegyptiorum Regi, & Eleazaris Iudæorum summi sacerdotis, qui multis quidem seculis ante uixerant, quam natus esset Christus. Nos autem pluribus coniecturis ad aliam sententiã rapimur, nec temerè arbitramur, libros eosdè Canonicos longo ante intervallo fuisse conuersos. Hesiodi nanque, Orphei, ac eiusmodi Poëtarum antiqua monumenta, atque Platonis, Pythagoræ, & Philosopherum omnium, qui Ptolomæos Aegyptiorum Reges ætate antecesserant, disputationes, & commentaria diligentius cõsiderantes, Moysis, ac Prophetarum doctri-

Quæ fuerit
omniũ an-
tiquissima
scripturæ
canonicis.

doctrinam facilè odoramur, quam Augustinus quoque, & plurimi orthodoxi Patres in illorum scriptis olim agnouerunt, atque ex nostris scripturis eandem ipsos hausisse uehementer sunt suspicati; quos propterea Clemens Alexandrinus fures uocandos esse putauit, utpotè qui nostra exilantes, auctorum nomina reticuerint, & fures ipsos præclare sint imitati, earum rerum, quas ceperunt, ne facile agnoscantur, signa commutantes. Quod cum impudenter & liberè nimis Theopompus, ac Theodectus attentassent, sceleris pœnas dedisse Demetrius Phalereus apertè testatur, quem Ptolomæo Regi ea sic narrantem **ARISTEAS** inducit [Testaturque inde se audisse Theopompum, quoniam ex lege secretiora quædam in historiam audacius transferre conaretur, supra triginta dies mentis turbatione correptum; & quidem ipse comperi apud Theodectem Tragediarum scriptorem, se luminibus captum, dum quædam ex huiusmodi libris in suum Poëma transferre uellet] atque idem **DEMETRIUS** dum Regem hortaretur, ut eiusmodi hebræorum libros sibi compararet, referente ipso Aristeas, dicebat [Atque apud Poëtas; & Historicos horum Voluminum frequens est mentio, quoniam perutilis est, & ad regendos mores, & Respublicas instituendas ob hominum præstantiam, qui illic describuntur, & rerum uenerationem, quemadmodum Hecateus Abderites inquit] **CLEMENS** autem **ALEXANDRINUS** Aristoboli uerba recitans inquit [Aristobolus in primo libro ad Philomatrem scribit his uerbis, Secutus est autè nostras quoque leges Plato, & satis apertè ostendit, se eorum, quæ in eis dicuntur, fuisse admodum studiosum] Cum igitur eruditi Viri palàm testentur, ac Philosophorum, Poëtarum, & Historicorum ueterum monumenta ipsa demonstrèt, scriptores quidem Gentiles, nec hebraicis literis eruditos, sacros Hebræorum libros legisse, & ad suorum Commentariorum usum transtulisse, illis tamen in Græcum sermonem à Septua-

à Septuaginta interpretibus nondum conuersis, fateri sanè propterea cogimur, eosdem libros fuisse antiquis etiam illis temporibus in Gentium ipsarum linguas translatos; id uerò apertissimè asserit, testaturque **CLEMENS ALEXANDRINUS** dicens [Ante Demetriū autè, priusquam rerum potirentur Alexander, & Persæ, uersa fuerant ea, quæ ab Hebræis nostris gesta fuerant in exitu ex Agypto, & quæcunque eis insignia, & facta erant, & apparuerant, & regionis per uim quæsitæ possessio, & omnium, quæ lata sunt, legum descriptio] Eiusmodi tamen antiquæ sacrorum librorum conuersiones cum iamdiu perierint, nec aliquod ipsarum monimentum, ac certum uestigium extet, quas etiam mutilas, & maxime corruptas fuisse credibile est (illis enim emendatis & integris manentibus, Rex Ptolomæus ab Hebræis codices ipsos atque illorum interpretes precibus, ac muneribus maximis non utique petijisset) prætermittende iam à nobis erunt, qui eas missas facientes, ad septuaginta seniorum interpretationem nos couertemus; quam quidem cæteras omnes tempore antecessisse fatendum est, eam etenim narrant sancti Patres, Iosephus Iudæus, & ipse qui interfuit Aristeas, temporibus Ptolomæi Philadelphi editam fuisse, qui quidem Christi ortum 350. annis antecessit, atque Bibliothecam omnium librorum copia Alexandriæ instrués, ut illam suppleret, Hebraicos quoque libros sibi comparare constituit, suadente id maxime Demetrio Phalereo eidem Bibliothecæ præfecto, redditis itaque captiuis & honorifica ad Eleazarum Iudæorum summum sacerdotè legatione missa, sacros libros, atque ipsorum interpretes ab eodem statim Rex impetrauit; quos benignè, ac liberaliter admodum excepit, & quemadmodum **ARISTEAS** narrat, qui Regiam apud Iudæos legatione obierat [Post tres dies, quàm ea gesta sint, Demetrius uiros ad Maris insulam adduxit, trāsmissoque aggere septè stadiorum pontem transgreditur, Regionem inde, quæ ad Boream

Strom.li.i.

Interpretatio septuaginta seniorum.

Li. de hist. 70.interpr.

O uergit,

Lib. de hist. 70.interpr.

Li. de hist. 70.interpr.

Strom.li.i.

uergit, petens, ad præparatum confessum uenit: Domus erat supra littus perquam decenter ornata, & quæ multo silentio quiesceret, rebus omnibus ad uitæ usum elegantissime dispositis; illic eos ad peragendam interpretationem hortatur]

Qui quidem interpretes septuaginta duo numero fuerunt, nam ex singulis Tribubus sex uiri ad id munus delecti sunt, ætate, eruditione, & morum grauitate insignes; quod ad ipsum Regem mittens ELEAZARVS sacerdos ita scripsit [Vtq; sacræ legis translatio multa tibi tranquillitate, & commode eueniat, peractis sacris nos ex omnibus (nã aderant omnes) legimus uiros bonos, & uenerãdos ex omni Tribu sex, quos unã cum lege mittimus.] Ipsorum autem interpretum singula nomina si quis à nobis flagitet, hæc sunt ab eodem ARISTEA distinctè enumerata.

Arist. li. de
histo. 70.
interpre.

Lib. de his.
70. interpr.

EX IYDA TRIBV Iosephus, Ezechias, Zacharias, Ioannes, Zacharias, Elifeus:

EX RYBEN TRIBV Iudas, Simon, Samuel, Adeus, Mathias, Eschemias:

EX GAD TRIBV Nehemias, Iosephus, Theodosius, Basas, Ornias, Datis:

EX ASER TRIBV Ionathas, Auxas, Elifeus, Ananias, Chabnias, Sachus:

EX NEPHTALIM TRIBV Isachus, Iacobus, Iesus, Gabateus, Simon, Leui:

EX MANASSE TRIBV Iudas, Iosephus, Simon, Zacharias, Somelus, Selemias:

EX SIMEON TRIBV Sabatheus, Iason, Iesus, Theodorus, Ioannes, Ionathas:

EX LEVI TRIBV Theodosius, Iason, Iesus, Theodorus, Ionas, Ionathas:

EX ISACHAR TRIBV Theophilus, Abraham, Arsamis, Iason, Endemias, Daniel:

EX ZABVLON TRIBV Ieremias, Eleazarus, Zacharias,

rias, Baneas, Elifeus, Datheus:

EX EPHRAIM TRIBV Samuel, Iosephus, Iudas, Ioannes, Gabel, Dositheus:

EX BENIAMIN TRIBV Isaelus, Ioannes, Theodosius, Arsamenes, Abiectas, Izelcelus.

Qui simul collecti Viri sunt (ut diximus) numero Septuaginta duo: Nec propterea rudior aliquis uel morosior nobis obijciat, quod dixerimus septuaginta interpretum hanc esse cõuersionem. Patrum enim & ecclesiæ usitatum loquendi more seruauimus, quo non solum interpretes isti, sed septuaginta duo etiam seniores & scribæ à Moysè ad iudicandum delecti, atque illorum successores, & septuaginta duo præterea Domini discipuli eodem septuagenario numero præcise uocari consueuerunt, eo igitur antiquo more potius quam nostro, & planè nouo, uti maluimus. Hanc uerò quam ex Aristea recitauimus narrationem totam comprobant ex ludæis quidem Philo, & Iosephus; ex nostris uerò Ireneus, Iustinus, Tertullianus, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, cæterique omnes antiqui Patres nemine profus dissentiente, quamuis IUSTINVS ea Herodi Regi tribuat, quæ Eleazarō sacerdoti ab alijs ascribuntur; inquit enim [Ad Herodem, qui tunc Regnum tenebat misit (Ptolomæus, s.) petens ut ad se Prophetiarum libros mitteret, & Herodes quidem Hebraico sermone, quem dixi, scriptos misit, sed quoniam ea quæ in eis scripta erant, Aegyptij minus intelligebant, rursus eum ut homines, qui in Græcum sermonem transferrent, mitteret, Quod cum perfecisset &c.] Quod tamè discrimen nullius momenti est, fuitque illud fortasse Iustini *μνημόνιον ἀμάρτυρια*. [Ea uerò maior est discrepantia, nec quidem contemnenda, quod ex Aristææ historia colligi non obscurè uidetur, interpretes istos non totum quidem Vetus Testamētum, sed solam legem cõuertisse; Rex enim ad Eleazarum scribens dicebat [Instituimus legem ue-

Dubium

Solutio.

In Apol. 2.
ad Pium
Imp.

Dubium.

Lib. de his.
70. interp.
Li. de his.
70. interp.

strā, quæ Hebraicis litteris continetur, in Græcā transfere linguam] cui rescribēs ELEAZARVS ait [Elegimus uiros bonos, & uenerādos ex omni Tribu sex, quos una cū lege mittimus] cum itaque nulla cæterorum librorum præter legem mentio fiat, eam solam in græcum conuersam esse demonstratur; quod IOSEPHVS etiam comprobatur, dum eandem Ptolemæi & Eleazaris Epistolas totidē uerbis recitat, multò uerò apertius alibi idem testatur dicens [Neque enim totam Scripturā adeptus est ille (Ptolemæus scilicet) sed legem solam ei tradiderunt Interpretes, qui ob hoc Alexandriam missi fuerant] Quam quidem sententiam sequuntur ipsi Iudæi, ut HIERONYMVS etiam testatur dicens [Quamquam & Aristæas, & Iosephus, & omnis schola Iudæorum quinque tantum libros Moyfi à septuaginta translatos asserant] QUI alio in loco eandem sententiā referens, uidetur illam tacitè approbare, cum Pentateuchi Interpretationem præ cæteris Hebraicæ ueritati cōgruere fateatur, inquit enim [Iosephus quinque tantum libros Moyfi à septuaginta translatos refert, quos nos quoque cōfitemur plusquam ceteros cum Hebraicis cōsonare] Cum his tamen pugnant sancti Patres, atque omnis Christianorum schola, quæ palam & constanter asserit omnes Canonicos libros, Hebræo uel Chaldæo sermone conscriptos, in Græcum fuisse ab ipsis septuaginta Interpretibus conuersos; hanc autem esse tum Patrum sententiam, tum communem fidelium omnium eruditorum opinionem adeò certum & perspectum est, ut nullo prorsus egeat testimonio; imò HIERONYMVS ipse, qui solus dissentire uidebatur, id palam fateatur inquit [Quamquam eruditi solos quinque libros Moyfi à septuaginta translatos probent, ut potè Iosephus, & Hebræi, nos tamen secuti auctoritatem Veterum, Irenei, Tertulliani, Origenis, totum Vetus Testamentum per septuaginta translatum dicimus] In hac igitur eadem sententia nos quoque constanter permanentes, ad ea quæ obijciebantur respon-

respondemus, atque in primis ad Ptolemæi epistolam dicimus, externum Regem obscuram & inuolutam librorum Hebraicorum notitiam habuisse, mirū esse nō debere, qui propterea putauerit libros omnes, quicunq; apud Hebræos ueluti sacri seruabantur, legis nomine contineri; Eleazarum autem, qui non solum Ptolemæi epistolam acceperat, sed eiusdem quoque Oratores exceperat, Regiam uoluntatem ac petitionem plenè cognouisse, cui ut cumulatissime satisfaceret, libros quidem omnes sacros ad illum misisse, imò & alios quoque Apocryphos, si EPIPHANIO credimus dicitur [Iudæi prædictos à me libros promptè aureis literis hebraicis transcriptos demiserunt, uiginti duo genuinos, septuaginta uero apocryphos] legis tamen uocabulo eundem usum esse, ut Regi rescribens, & satisfaciens eius petitionis uocem usurparet, quæ à re ipsa etiam non abhorreret, ut potè quæ tum digniori parti propriè congruat (à nobilissima autem libri particula totum nuncupare maxime licet) tum etiā toti Veteri Testamēto communiter tribui soleat, quam legis significationem non solum à Patribus, sed à scriptura ipsa crebro usurpatam nouimus; ut exempli causa [Nonne scriptum est in lege uestra, quia ego dixi Dij estis?] Quod quidem non in Pentateucho, sed in psalmis scriptum est] & rursum [Nos audiuius, ex lege quia Christus manet in æternum] & illud [Sed ut impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis] Quod obseruans AVGVSTINVS dicebat [Legem appellauit Dominus generaliter omnes illas scripturas] PAVLVS quoque APOSTOLVS dixit [In lege scriptum est, uarijs linguis loquar populo huic, & ne sic quidem audiēt me, dicit Dominus] Quæ uerba exponēs CHRYSOSTOMVS ait [Quamquam in lege scriptum non est, sed quod sæpe monui, ueterem scripturam uniuersam Prophetas, Historias, legem uocat, adducit porrò ex Isaia testimonium] imò ipse quoque Hieronymus eo loquendi more est

Li. de pōd.
& mens.

Psal. 81.
Ioan. 10.
Io. 12.
Psal. 16.
Ioan. 15.
Psal. 24.
In Io. trac.
48.

1. Cor. 14.
Isa.
In 1. ad cor.
hom. 35.
In Epif. ad
Tit. c. 3.

Li. 12. Antiq.
Iud. c. 2.

In Ezech.
cap. 5.

Proem. 4.
super Gen.

Præf. in
Pentateuchum.

Responsio.

usus, cum dixit [Vnde & nobis curæ fuit, omnes Veteris legis libros, quos uir doctus Adamantius in exempla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare] Quid igitur mirum, Eleazarum secundum eandem significationem legem accepisse? imò etiam Ptolomeū, si rerum Hebraicarum certam notitiam illum habuisse quis fortè contenderit? Quòd si quispiam in hac nostra responsione fortasse non acquiescat, ne scilicet à Hieronymo discedat, Aristæ uerba de lege propriè accepta palàm interpretate, is cum Hieronymo quoque ipsius Aristæ testimonium, & sententiã reijciat. Quem Aristeam auctorem sequitur Iosephus, atque libro duodecimo Antiquitatum ab illius narratione, & uerbis ne transuersum quidem unguẽ discedit, ad quem etiam ipsum lectorem allegat; quare unà cum ipso Auctore Aristæ eiusdem Hieronymi iudicio is pariter reijciendus erit. Quid uerò imperiti, uersuti, & mendaces Iudæi sentiant, dicant uè curare non debemus, cum præsertim nouerimus, illos huic seniorum septuaginta interpretationi semper post Christi aduentum fuisse grauiter infensos infestosq;, quam obliterare, & iniquis reprehensionibus cõuellere quoniam ipsi non potuerunt, mirum esse non debet, si illam ita saltem contrahere tentarint, ut in paruum & angustum locum conclusa, dignitatem & uires amitteret. Plura adhuc dicenda essent de hac septuaginta interpretationum Translatione, scitu quidem digna & necessaria, sed ualde controuersa, & plena dissensionis inter doctos uiros, quæ in commodiorem locum iccirco reijcientes, tunc accuratè examinabimus, cum cæteræ sacrorum librorum Translationes fuerint à nobis pariter enumeratæ, & de concordia Patrum sententia sigillatim definitæ. Ab hac autem omnium antiquissima, & prima librorum canonicorum conuersione ad alias ætate inferiores nos descendentes, in Chaldaicam statim incurramus, eius linguæ uocabulo Thargum dictam, Pharaphrasim

12. Ant.
Iud. c. 12.

Interpreta
tio Chal-
daica.

tamen

tamen potius, quàm conuersionem nuncupandam, atque diuersis interpretibus inscriptam; conuertit enim Onkelos Pentateuchum, Ionathas Propheticos libros, Rabbi Ioseph Iob, Esther, Ruth, Psalterium, Prouerbia, Ecclesiasten. Canticum Canticorum, Qui omnes septuaginta interpretibus ætate inferiores, Christi tamè aduentum tempore antecesserunt. Chaldaicam interpretationem ordine sequitur ea, quæ Aquilæ Pontico inscribitur, quæ sub Adriano Imperatore uixisse narrat Epiphanius, quãuis Hieronymus illum ætate Apostolos antecessisse suspicetur. Huic autem proxima, & paulo ætate inferior est Symmachi Samaritani conuersio, quem ferunt uixisse anno à Christo nato 190. Symmachi autem Translatione posterior, est quæ Theodotioni tribuitur, Viro genere Pontico, ut refert Epiphanius, uel Ephesio, ut narrat Euthimius, ætate autem Symmacho paululum inferiore. Post has uerò omnes duæ aliæ inuentæ ac peruulgatæ sunt græcæ conuersiones, quæ nullos quidem habent certos auctores, illas autem inuenisse ferunt Origenem, qui octapla conficiens earum unam à se in Hiericunte Palestinarum Ciuitate repertam Quintam appellauit; alteram dolio reconditam, & in Actiaco littore à se deprehensam, Sextam nuncupauit. Quibus postea accessit etiam septima græca interpretatio, quæ ueluti incerti nimirum auctoris, pariter fuit folius numeri nota inscripta. Nec soli quidem Auctores harum conuersionum incerti sunt, sed ignota quoque sunt tempora, quibus primum editæ illæ fuerint, quamquam non desint, qui affirmant septimam conuersionem esse *Λυκιανέαν* à Luciano scilicet compositam, qui quidem ob Christi confessionem impiorum manibus percussus interiit anno à Christo nato 280. Origene scilicet iam pridem defuncto; quorum sententiam nos improbare Hieronymi in primis testimonium cogit, qui de hac interpretatione loquens, & præter Chaldaicam cæteras etiam omnes unà complectens dicebat:

Interpreta
tio Aquilæ.
Li. de Põd.
& Com. in
Iã.
Interpreta
tio Symma-
chi.
Interpreta
tio Theo-
dotionis.

Interpreta
tio Quin-
ta.
Interpreta
tio Sexta.
Septima.

In ep. ad
Tit. 3.

O 4 Vnde

[Vnde & nobis curæ fuit, omnes Veteris legis libros, quos uir doctus Adamantius in Exapla digesserat, de Cæsariensi Bibliotheca descriptos, ex ipsis authenticis emendare, in quibus & ipsa Hebræa proprijs sunt Characteribus uerba descripta, & græcis litteris tramite expressa uicino. Aquila etiam & Symmachus, septuaginta quoque & Theodotio suū ordinem tenent, nonnulli uerò libri, & maxime hi, qui apud Hebræos uersu compositi sunt, tres alias editiones editas habent, quam quintam, sextam, & septimam translationem uocant, auctoritatem sine nominibus auctorum consecutas: Hæc immortale illud ingenium suo nobis labore donauit] earumdem etiam editionum tum inuentionem, tum collationem ipsius Origenis opere atque industriæ tribuens Isidorus ait [Fuerunt & alij interpretes, qui ex Hebraica lingua in græcum sacra eloquia trāstulerunt, sicut Aquila, Symmachus, & Theodotio, sicut etiam & uulgaris illa interpretatio, cuius auctor non apparet, & ob hoc sine nomine Interpretis Quinta editio nuncupatur, præterea sextam, & septimam editionem Origenes miro labore reperit, & cum ceteris editionibus comparauit] Ab ipso tamen Luciano Nicomediensi episcopo & Martyre cōuersum diligenter in Græcum fuisse Vetus Testamentum narrant inter ceteros Athanasius & Euthimius, cuius conuersio eiusdem manu exarata, cum in quadam turre inclusa, & abdita aliquandiu latuisset, fuit sub Constantino Magno reperta, quam propterea post illas omnes collocamus. Eam nimirum silentio præterentes, quam se composuisse affirmat ORIGENES, atque è Pamphilo, & Eusebio postea peruulgatam Syriæ & Palestinæ ecclesias recepisse ferunt, ut potè quæ non sit noua Conuersio, sed ipsius Origenis opera ex duabus (septuaginta scilicet interpretum & Theodotionis) cōuersionibus una conflata, atque Asteriscis, & Obelis distincta. Tot igitur sunt Canoniorum librorum græcæ ipsæ Conuersiones, quibus enu-

Etym. li. 7.

Interpretatio
Luciani.
In Synopsi
sacr. script.

In Matth.
trac. 9. & in
10. Tom. 6.

enumeratis, latinæ essent adhuc percensendæ, sed cum harum plurimæ ex Græcis illis manarint, atque tertio iam gradu (ut Hieronymi uerbis utar) ad nos peruenerint, sintque conuersionum conuersiones quædam, iccii co ipsas à græcis seiungentes, & in alia classe collocâtes posterius recensebimus, atque inter se, & cum græcis comparabimus, nunc autem iam enumeratas conuersiones sigillatim conferentes examinabimus.

Quænam dictarum Conuersionum magis præstans & uerax sit, ut illi propterea maior auctoritas, & fides debeatur.

Cap. XXXIX.



INTER has omnes iam enumeratas Canoniorum librorum Conuersiones Chaldaicam Thargum maximè laudant ipsi Iudæi, ut potè quam ferât adhæsisse Tiquij Soprim (correctioni scilicet sapientum scribarum) quæ quidem apud ipsos in summo est honore, & pretio; narrant enim illi, conuenisse olim ipsorum scribas ad scripturam sacram quasi perpoliendam, ne dicant corrigendam, quam tamen non solum puncti aliquando accessione, sed uerborum præterea tum uicissitudine quadam, tum etiam uaria commutatione eosdem emendasse fatentur annis ante aliquot quàm natus est Christus, Qui cum hanc scribarum correctionem nunquam probarit, neque ipsi Apostoli, illam Ecclesiæ commendarint, sed neque sancti Patres ipsa sint usi, aut honorificam de ea mentionem aliquando fecerint, nos quoque eandem approbare, & recipere non possumus, sed unà cum ea Chaldaicam potius conuersionem, ueluti asseciam suspectam habere

Chaldaica
interpretatio
examinatur.

re

re meritò debemus, quamuis Pentateuchi interpretatio eius modi ab Hebraica littera & ueritate non uideatur ualde abhorrere; id uerò ex hoc fortasse accidit, quod semper singulari quodam honore præ cæteris libros illos Iudæi profecuti sunt, atque iccirco ipsorum scribæ scripturam emendantes (uel corrumpentes potius) eosdem contaminare magis horruerunt, quod etiam obseruarunt postea Talmudistæ, etsi maiore audacia, uel furore potius excæcati, scripturam magis peruertere, atque germanos ipsius sensus euertere non perhorruerunt; eapropter hucusque soli illi libri absque punctis religione quadam in Iudæorum synagogis seruantur. In cæteris itaque libris (quâuis Pentateuchum etiam interpretatū mendis nō careat) Chaldaicam paraphrasim & conuersionē falsitatis, ac temeritatis arguere, singula loca proferentes, & comparatione examinantes, facile possemus, idque cumulatè demonstrare nisi fidelem Auditorem alloqueremur, cui adducta ratio ex patrum & Ecclesiæ iudicio conclusa sufficere omnino debet, qui propterea eiusmodi quidem interpretationem legere & cum cæteris conferre poterit, soli autem fidem adhibere cauebit. Inter græcas uerò interpretationes (solæ enim istæ iam restant examinandæ) ut tempore ac ordine cæteras omnes antecedit illa, quæ à septuaginta senioribus edita fuit, ita auctoritate, & dignitate easdem superare mox aperte cognoscemus; illud in primis ostendentes argumento ducto ex ipsorum Interpretum dignitate, proposito, & conuertendi occasione; Aquila enim Interpres, (ut historiarum loquuntur) neophitus Christianus, cum Astris plus equo tribuens in prædicatione, & notatione cuiusque uitæ ex natali die operam consumeret, atque iccirco esset ab Ecclesia meritò pulsus, eiusmodi infamie pudore, & christianæ disciplinæ odio commotus, circumciditur, recutitus Iudæorum ceremonias, & impietate amplectitur, atque in Hebraicæ linguæ peritia omne studium iccirco ponit, ut seipsum ulciscens, Christianis

Septuaginta interpretum conuersionem cæteris omnibus Græcis esse anteponendā. 1. argum. Aquila.

Christianis incommodum, quod posset, inferens, & Iudæis rem gratam faciens, Vetus Testamentum in græcum ita conuertat, ut de Christo Vaticinia obscurat, & septuaginta Interpretes falsitatis & inscitie arguat. Hoc fuit pij hominis sanctum propositum. Nec maior sanctitas & fidei constantia fuit in Symmacho, qui ex Samaritano profelytus apud Iudæos effectus, & circumcisus, illos mox deferens Christo nomen dedit, à cuius postea fide recedens leuissimus trās fuga ad Ebionitas profugit; in conuertenda autem scriptura sacra parum fidelis interpres deprehenditur, ut potè qui sensum potius quam uerba interpretetur. Vtroque uerò tum leuitate, tum impietate non inferior fuit Theodotion, qui Christianus cum esset, Ebionis, Marcionis, & Tatiani hæreses amplexus, in Iudæicam tandem impietatem lapsus fuit, atque inter Iudæos hebraicam linguam edoctus, Diuinam scripturam est interpretatus. Quæ uerò fuerit eorum interpretum dignitas, & conditio, atque conuertendi occasio, qui septimæ, sextæ & quintæ interpretationis auctores fuerunt, reticere utique cogimur, cum ipsorum status omnis unà cum nominibus in obliuione penitus iaceat; Quicumque tamen illi fuerint, & quantum dignitate, & sanctitate post Apostolos, & prophetas conspicui, nec Luciano etiam, (quamuis Martyre) postremo interprete inferiores, eos tamen singulos unà cum ipso Luciano in hoc conuertendi munere septuaginta interpretibus impares fuisse mox cognoscemus; in primis enim illi septuaginta uiri interpretandi honorem & munus sibi non assumpserunt, sed tanquam Aaron uocati, & quasi Apostoli à summo sacerdote missi, delatam Prouinciam susceperunt. Quanta uerò dignitas & sanctitas in eis esset, & quæ in ipsis deligendis adhibita fuerit diligentia, E L E A Z A R I S epistola ad Regem Ptolomæum missa non obscure declarat, in qua scripū est [Utque sacræ legis translatio multa tibi tranquillitate, & commodo eueniat, peractis sacris nos ex omnibus (nam ad-

Symmachus.

Theodotion.

5. 6. & 7. in interpretatione.

Quod septuaginta interpretes legitime missi fuerint. Dignitas & sanctitas 70. interpretum. Aristæus de hist. 70. in terpe.

erant

Stro. lib. 1.

Septuaginta interpretum eruditio.

De uita Moyſi li. 2.

Septuaginta fuiſſe Miſtagogos & Cabaliſtas. In pſal. 2.

erant omnes) elegimus uiros bonos & uenerandos ex omni Tribu ſex, quos unà cum lege mittimus] Quam narrationē approbans CLEMENS ALEXANDRINVS inquit [Illi autem, ut qui adhuc obedirent Macedonibus, ex ijs, qui apud ſe erant probatiſſimi, & maximæ exiſtimationis, ſcripturarum peritos, & græcæ linguæ ſcientes, ſeptuaginta ſeniores delectos ad eum miſerunt cum libris Diuinis] Quanta adhæc humana ſapientia præter linguarum peritiam præditi illi fuerint abundè oſtendunt ſeptuagintaduæ quæſtiones à Rege Ptolomæo ipſis propoſitæ, ad quas ſingulas, quamuis perobſcuras, & ab interrogante diu & ſtudioſè conquiſtas, ſinguli tamen ex tempore ita promptè, doctèque reſponderūt, ut non ſolùm omnem dubitationem tollerent, ſed admirationem præterea maximam excitarent, qua una cum Rege commoti aſtantes Philoſophi, referente Ariſtea qui pariter aderat, obſtupuerint. Quorum doctrinam commemorans PHILO IVDÆVS de Eleazaro ad Ptolomæum illos mittente inquit [E ſuis hebræis doctiſſimum quemque præter patrias literas græcis etiam eruditum libenter miſit] Nec ſolis quidem externis ſcientijs exculti illi erant, ſed Arcana quoque ſcripturæ myſteria Traditione nouerant, erant enim Iudæorum Myſtagogi, & Cabaliſtæ, quibus Moſaica ſecretior diſciplina, & ſenſuum intelligentia erat concredita; quod apertè teſtatur HILARIUS dicens [Medijs nanque legis temporibus, priuſquam unigenitus Dei filius ante ſecula manens Deus uerbum homo naſceretur, poſcente Rege Ptolomæo ſeptuaginta ſeniores libros Veteris Teſtamenti ex hebræis literis in græcas tranſtulerunt. Erat autem iam à Moſe antea inſtitutum, in ſynagoga omni ſeptuaginta eſſe Doctores. Nā idem Moſes quamuis Veteris Teſtamenti uerba in literis cōdidieſet, tamē ſeparatim quædam ex occultis legis ſecretiora myſteria ſeptuaginta ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimauerat. Cuius doctrinæ etiam Dominus in Euāgelij

gelij meminit dicens, ſuper Cathedrā Moyſi, inquit, ſederūt Scribæ, et Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint uobis ſeruate, ſecundum uerò facta eorum nolite facere; Doctrina ergo horum in poſterum, quæ ab ipſo ſcriptore legis accepta, in hoc ſeniorum & numero & officio conſeruata eſt: Hi itaque ſeniores libros hos tranſferentes, & ſpiritualem ſecundum hebraica dicta, & uaria quædam ex ſe nūciantia ſecundum uirtutes rerum certis & proprijs uerborū ſignificationibus tranſtulerunt, doctrinæ ſcientia multoſam illam ſermonum intelligentiam temperantes] Præterquam Diuinam Traditionem, Spiritu ſancto quoque aſſatos illos fuiſſe Patres teſtantur, inquit enim CYRILLVS HEROSOLYMITANVS cum huius interpretationis occaſionem, & rationem omnem expoſuiſſet [Non ſacundia & apparatu Sophiſmatum humanorum factum id fuerat, ſed ex Spiritu ſancto Diuinarum ſcripturarū interpretatio perfectæ eſt] Quod approbans EPIPHANIUS de iſdem interpretibus ait [Ut credamus nos etiā participes ipſos factos fuiſſe Spiritus ſancti] cum quibus conſentiens THEODORETVS inquit [Hi ſeptuaginta uiri non ſine ſancto ſpiritu hæc opera in Græcum ſermonem conuerterunt, inter cætera uerò ſacra Volumina etiam inſcriptiones interpretati ſunt; Rem quidem nimie temeritatis & confidentiæ plenam arbitror, falſas illas exiſtimare, & noſtras rationes ui ſancti ſpiritus ſapiētiores iudicare.] Græcis ſubſcribunt Latini dicente HERONYMO [Nec hoc ſeptuaginta interpretibus, qui Spiritu ſancto pleni ea, quæ uera fuerunt tranſtulerunt, ſed ſcriptorum culpæ aſcribendum, dum de emendatis in emendata ſcriptitant] Quod comprobans RUFFINVS ait [Dubitandum nō eſt duorum & ſeptuaginta uirorum per cellulas interpretatium unam conſonam uocem Spiritus ſancti inſpiratione prolata] atque de iſdem loquens AVGVSTINVS ait [In eis ſignum Diuinitatis apparuit] Habuerunt itaque illi ſpirituale Charisma interpretandi

Septuaginta interpretes fuiſſe ſpiritu ſancto aſſatos. Catech. 4.

Li. de pōd. & menſ.

Argum. in pſalmos.

Ep. ad Domnionem & Rogat.

Aduer. Hieron.

18. de Ciu. Dei. c. 43.

De septua.
interpr. cel
lulis.

di sermones, idque in altissimo gradu positum, quod singulari argumento, atque admirabili nota commostratum fertur; narrant enim Antiqui Patres Ptolomæum Regē septuaginta interpretibus in Pharo insula hospitium parasse plurimis Cubiculis distinctum, singulisque, uel, ut alij narrant, binis singula Cubicula studiose assignasse, ut toties interpretata scriptura, quot erant Cubicula, nullam erroris, & fraudis occasionem interpretibus relinqueret, qui parietibus distincti mutuo congressu, & colloquio carerent, nec consilij capiendi potestatem haberent, ut de cōi omniū sententia in græcum scripturam conuerterent. Ex singulis nihilominus Cubiculis prodeuntes ipsæ interpretationes inter se tum sententij tum uerbis ita consensisse ferunt, ut eadē penitus iudicarentur, atque ab una mente uoceque manasse uiderentur. Hæc autem unanimis consensio eundem profecto demonstrat Auctorem, sed plures fuisse interpretes & illos quidem loco & colloquio distinctos diximus, quare solus Deus plurimum interpretationum idem Auctor esse potuit, qui solus etiam, hominum colloquio & consilio interdicto, in diuersa cubicula atque ipsa hominum corda occultè penetrasse credendus est. Hæc autem tam re, quàm dictu mirabilis historia narratur in primis ab IRENEO Patrum antiquissimo, qui de Rege Ptolomæo scribit [Ille autem experimentum eorum sumere uolens, & metuens ne fortè consentientes eam ueritatem, quæ esset in scripturis, absconderent per interpretationem, separans eos ab inuicem iussit omnes eandem interpretare scripturam, & hoc in omnibus libris fecit] IVS-
TINVS uerò martyr tum historiam totam fusè narrat, tum ea recitata hæc uerba adscribit [Hæc uobis Gentes non fabulā, nec fictas, commentitiasq; historias exponimus, sed ipsi qui Alexandria fuimus, uestigiaque casarum in Pharo uidimus etiam integra, & incolumia, & ab incolis, ut qui patriæ instituta, & res acceperint audiuius, ea renunciamus: Quæ etiā

ex

ex alijs uobis licet cognoscere, maximeque ex Philone, Iosepho, alijsque pluribus sapientibus, & probatis uiris, qui de his in historijs scripserunt] qui quidem Iustinus locupletissimus testis esse deprehenditur, ut potè qui ex ipso aspectu fidem faciat, Traditione, & communi omnium, incolarum præsertim, opinione, & uoce idem confirmet, grauissimos denique uiros testes producat: Quod Iustini testimonium tacite comprobans CLEMENS ALEXANDRINVS ait [Cum unusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset Prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ interpretationes, & sententijs & distinctionibus, Dei enim erat uoluntas, quæ id ad Græcorum aures consultò comparauerat] Atque totam historiā apertius recitans CYBILLVS HIEROSOLIMITANVS de Rege Ptolomæo scribit [Ut diuinæ legis esse hos libros experientia disceret, & ne ij, qui fuerant ad illum missi, mutuo conspirarent, prospiciens, in insula Pharo, quæ est propè Alexandriam, singulis interpretibus singulas domos distribuit, & unicuique ut separatim omnes scripturas interpretaretur mandauit; qui cum in septuaginta duobus diebus negocium id perfecissent, simul omniū interpretationes ex diuersis domibus prodeuntes protulerunt, collatis autè simul, non solum in sensibus, uerū in et uerbis consonas inuenit] Epiphanius quoque eandem repetit historiam, quamuis in eo solo dissentiat, quòd binis interpretibus singula Cubicula assignata fuisse commemorat; cum Græcis consentit Ruffinus, Augustinus alijque complures, quorum testimonia recitare nimis longum esset, cum omnes antiqui Patres hanc approbent narrationem, excepto tamen HIERONYMO, qui Aristeæ, & Iosephi historiæ, potius fidem adhibendam esse arbitratur dicens [Et nescio quis primus auctor septuaginta cellulas Alexandria mendacio suo extruxerit, quibus diuisi eadem scriptitarint, cum Aristeas eiusdem Ptolomæi ὑπεραριστής, & multò post tempore Iosephus nihil tale re-

tulerit,

Stro. li. 1.

Cath. 4.

a de pond.
& mens.
b Aduersus
Hieron.
c 18. de Ci
ta. De i. ca.
43.

Li. 3. aduer.
hæc. c. 25.

Oratione
paren. ad
Gentes.

tulerit, sed in una Basilica cōgregatos contulisse scribant, nō prophetasse, Aliud est enim Vatem, aliud est esse interpretem; ibi Spiritus uentura prædicit, hic eruditio, & uerborum copia ea, quæ intelligit, transfert] Cuius quidem Hieronymi auctoritatem magni (ut debemus) æstimantes; à cæterorū tamen Patrum consensione non discedemus, qua commoueri in omni proposita quæstione facile solemus, neque ab eiusmodi cubiculorum narratione amplectenda nos auocat rei magnitudo, cum maius etiam quoddam de eisdem interpretibus Patres uerissime prædicare nouerimus; *Disiunctorum enim Virorum concors interpretatio insignem Spiritus sancti afflatum quidem ostendit, sed eiusmodi tamen ut sermonum interpretationem non excedat, quam Prophetia inferiori esse ex Charismatum spiritualium ordine aperteprehendimus.* Istis autem septuaginta senioribus præter interpretationem sermonum, Prophetiam quoque & auctoritatem Diuinæ scripturæ conscribendæ à Deo tributam, & à Patribus in ipsis agnitam fuisse, mox abundè ostendemus: Aristæ autem & Iosephi narrationem si repudiabimus, speramus ipsum etiam Hieronymum id nobis facile concessurum; cum illum eorundem testimonia in hac ipsa septuaginta interpretum historia aliàs repudiasse, ut in Patrum sententiam iret, meminimus; cuius quoque uerba paulo anterecitauimus, asserentis Aristeam quidem & Iosephum narrare solum Pentateuchum ab ipsis septuaginta interpretibus in Græcum fuisse conuersum, cum tamen Patres aperte affirmarent illos totum Vetus Testamentum conuertisse, à quibus discedere nephas sibi putabat: Eapropter non dubitamus Sanctum uirum æquo animo laturum, si ipsius exemplo & auctoritate ducti, eorundem Auctorum historiæ particulam alteram pariter respuere audeamus, quamuis præterea dicere fortasse possemus, Aristeam ipsum tacitum præterisse potius, quàm aperte negasse huiusmodi cubiculorum

(quam

(quam diximus) historiam, Iosephum uerò (si Iustino martyri credendum est) eandem commemorasse, cum hunc sibi contestem in ipsa narranda Iustinus producat, ut ex ipsius testimonio paulo ante recitato audiimus, fuisse autem Iudeorum malitia & fraude eiusmodi narrationem postea suppressam; cui simile quiddam eiusdem quoque Iosephi de Christo testimonio in multis corruptis codicibus accidisse nouimus. Vt cunque uerò sit, nostra id parum interest, quibus statutum est à communi Patrum sententia, & antiquissima Traditione propter hominis uel Iudæi uel Gentilis auctoritatem nunquam discedere: cum antiquis Patribus consentire uideatur PHILLO IYDÆVS (ut Iustinus affirmat) non quidem cubiculorum historiam aperte recitans, sed tamen, quasi illam innuat, asserens Spiritu diuino concitatos seniores istos conuertisse, totque fuisse interpretationes, quot interpretes, & inter se omnino concordantes, cum ait [In eo secessu cum confissent solitarij nemine interueniente arbitro præternaturæ partes Terram, aquam, aërem, coelum, de quibus primum prodituri erant mysteria (nam mundi opificium est legum exordium) tanquam numine correpti prophetabant, non alia alij, sed omnes ad uerbum eadem, quasi quopiam dictante singulis inuisibiliter] Præterea autem existimamus eosdem septuaginta seniores non solum interpretes, sed Prophetas etiam fuisse, non quidem minus proprie, ut fortasse Philo intellexit illos prophetasse, qui in eomet loco paucis interiectis de iisdem dixit [Non interpretes illos, sed initiatores & Prophetas appellauit, quibus datum est sincerissimas Mosis cogitationes assequi spiritu purissimo] sed maxime proprie Prophetas illos dicimus, ut potè qui scripturæ sacræ non solum plura immutarint, sed nonnulla etiam addiderint, quæ quidem aliquo miraculo comprobati consentaneum erat, ne Pseudoprophetæ, ac nebulones illi uiderentur. Hanc autè, quam protulimus, sententiam, tum Patrum testimonia pro-

P ducen-

70. Interp.
præter ser-
monum in
interpretatio-
nem habue-
runt etiam
Prophetiã.

Li. 2. de Vi-
ra Moyfi.

70. inter-
prete fuisse
Prophetas.

ducentes, tum singula re ipsa demonstrantes mox abundè confirmabimus: Quam ut cuius facile persuadeamus, illud in primis declarare operæ pretium erit, interpretis munus esse, sensus & uerba auctoris ex una in aliam linguam religiosè integreque conuertere, & à sensu quidem nunquam recedere, uerba autem tunc solùm immutare, cum ad ea inuertenda linguarum phrasibus inuitus ipse compellitur, ut Prophani scriptores docent, atque Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi fusè declarat. Quòd si quis uerba suo arbitrio cõmutare interpretè fortasse posse contèdat, id si ita esset (ut esse non potest) tamen sensus idem ubique seruandus esset. Septuaginta uerò interpretes Hebraicæ scripturæ sensum aliquando immutasse, nouum etiã addidisse ostendimus, qui iccirco interpretum fines transgressi uel mendaces Nebulones, uel ueri Prophetæ dicendi erunt. In PsALMO igitur ubi in Hebræo legitur [Soli posuit tabernaculum suum] ipsi conuerterunt [In sole posuit tabernaculum suum] Hoc loco autem fortasse dices, septuaginta interpretes non literam eius Versiculi, sed sensum mysticum fuisse interpretatos, intelligentes scilicet [In sole] idest Ecclesia Christum suum positurum Tabernaculum, ut Augustinus in suis commetarijs scitè explanauit, id uerò si ita esset, iam pro confesso habere mus, illos fuisse Prophetas, ut potè qui de Christo, & ecclesia essent uaticinati; Quod tamen non facilè hoc in loco cõcedimus, scientes nimirum Mysticum ipsum sensum nunquam literam euertere, sed ea salua & incolumi, quasi reconditum, ex eadem congruenter erui (ut de scripturæ sensibus agentes abundè explicauimus,) in GENESI quoque habet hebraicus Codex [Venerunt in ipsa die serui Isaac annunciantes de puteo quem foderunt, atque dicentes, inuenimus aquam, unde appellatũ est nomen eius, Saturitas] ipsi uerò septuaginta conuerterunt [Et uenerunt pueri Isaac, & nunciauerunt ei de puteo quem foderunt, & dixerunt ei nõ inue-

70. Interpretes uerba scripta inuenerunt. Psal. 18.

De sensib. Scripturæ sacræ. Gen. 26.

inuenimus aquam, unde appellatum est nomen eius, Iuramentum] quæ quidem uerba non solùm diuersa sunt, sed cū superioribus etiam pugnare uidetur. Legitur præterea in Hebraicis codicibus [Facta sunt ea quæ erant ferotina Laban, & quæ primi temporis Iacob] ipsi uerò transtulerunt [Facta sunt autem non insignia Laban, insignia uerò Iacob] & rursum paucis interiectis dixerunt [Mutauit mercedem meam decem Agnis] ubi hebraicè legitur [decem uicibus] Pauca hæc scripturæ loca exempli causa protulimus, multa uerò plura adducere possemus tum à sanctis Patribus, tum à doctis recentioribus uiris adnotata, in quibus hæc interpretationis discrepantia apertè deprehenditur, cum græca ipsa uocabula hebraicis non respondeant; sed in re clara, & abundè demonstrata infructuoso labore super sedendum putamus, atque nemine repugnante operæ & auribus parcèdum arbitramur. Eiusmodi autem discrepantiam interpretes utriusque linguæ peritissimos ignorasse non est equidem suspicandum, neque Hieronymus, qui eiusmodi uerborum discrimen in istorum interpretatione diligenter inter cæteros obseruauit, inscitia reos illos unquam fecit, quos fatebatur fuisse doctissimos, AVGVSTINVS uerò idem animaduertens dicebat [Ne sic quidem quemquam unum hominem qualibet peritia ad emendandum tot seniorum, doctorumque consensum aspirare oportet, aut decet] Eosdem autem studiose errasse, & mendacem conuersionem dedita opera fecisse nullus mentis compos dicere audebit; temere uerò dicentem ipsorum grauitas, sanctitas, publica missio, consensus, commendatio, & apud omnes auctoritas facilè euincet. Quare id unum reliquum erit, prudentes, scientesque illos eiusmodi uerba inuertisse potius quàm conuertisse, ut uarij inde sensus elicerentur; quod quidem AVGVSTINVS apertè fatetur, idque ipsos (ueluti Prophetas) suo iure fecisse doctissime declarat dicens [Quod de nouo testamento

Gen. 30.

Gen. 31.

2. De doct. Christ. 15

De consensu Euang. li. 2. c. 57.

18. de Ci.
ta. Dei. ca.
45.

dictum esse paulò superius demonstrari, ubi ait apertè Christum promittens, Et mouebo omnes gentes, & ueniet consideratus cunctis gentibus. Quo loco septuaginta interpretes alium sensum magis corpori quam capiti, hoc est magis ecclesie quam Christo conuenientè profetica auctoritate dixerunt. Venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus, id est homines, de quibus ipse Iesus in Euangelio, Multi, inquit, uocati, pauci uerò electi] & rursus [Manifestum est autem interpretationem illam, quæ dicitur septuaginta, in nonnullis se aliter habere, quam inueniunt in hebræo, qui eam linguam nouerunt, & qui interpretati sunt singuli eisdem libros hebræos. Huius item distatia si quærat, cur tantæ auctoritas interpretationis Septuaginta multis in locis distet ab ea ueritate, quæ in hebræis codicibus inuenitur, nihil occurrere probabilius existimo, quam illos septuaginta eo spiritu interpretatos, quo & illa, quæ interpretabantur dicta fuerunt, quod ex ipsa eorum mirabili, quæ prædicatur, confessione firmatum est, ergo & ipsi nonnulla in eloquio narrando, & ab eadem uoluntate Dei, cuius illa dicta erant, & cui uerba seruire debebant, non recedendo, nihil aliud demonstrare uoluerunt, quam hoc ipsum, quod nunc in Euangelistarum quatuor concordia quadam diuersitate miramur, qua nobis ostenditur non esse mendacium si quisquam ita diuerso modo aliquid narret, ut ab eius uoluntate, cui consonandum & consentiendum est non recedat] Et alio in loco [Quæ obrem etiam si aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur, quam isti (septuaginta scilicet) posuerint, cedendum esse arbitror diuinæ dispensationi, per quæ eos facta est] Nec solùm quidem uerba sæpius ita immutasse interpretes istos, ut diuersus exoriretur sensus, Patres obseruarunt, sed aliqua præterea illos addidisse testati sunt, ut, exempli causa, dicente Hebraica scriptura [Super pectus tuam gradieris] septuaginta addiderunt [Et uentrem] & alio in loco cum legeretur

2. De doct.
chrif. c. 15.

tur

tur [Ut, uiri Sodomorum erant mali & peccatores uehementer] ipsi adscripserunt [In conspectu Dei] Rursus psalmo dicente [Deus Deus meus, ut quid me dereliquisti?] de suo attulerunt [Respice in me] & in alio Psalmo, ubi scriptum est [Domine clamaui ad te, exaudi me, intède uoci] addiderunt [deprecationis meæ] Hæc quidem sunt minoris momenti additamenta, illud uerò maioris, quod in illam Deuteronomij execrationem [Maledictus à Deo qui pendet in ligno] inseruerunt [Omnis] Quod pariter fecerunt in alia eiusdem libri execratione [Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius] addentes [Omnis homo] & [omnibus] idè uerò sæpissime illi & liberè fecerunt, quod animaduertens EPIPHANIVS dixit [Septuaginta duo interpretes has dictiones à seipsis apposuerunt non frustra, sed potius in utilitatem, cū enim ad defectuosas dictiones illas apposuerint, lectionem ad claritatem deduxerunt, ut credamus nos etiam participes ipsos factos fuisse Spiritus sancti, quorū. n. nullus usus erat, ea reperere omiserunt, ubi uerò claudū uidebatur uerbū esse in græcā linguā translātū, illic additionē fecerunt] Nec solas quidem dictiones, sed integras etiam sententias, & totos uerborum periodos aliquando adiunxerunt, ut Ieremiæ lamentationibus Præfatiunculam illam [Et factum est postquam in captiuitatem redactus est Israel, & Hierusalem deserta est, sedit Ieremias flens, & planxit lamentationem hanc super Hierusalem & dixit] Atque in libro Iosue singula nomina Ciuitatum & oppidorum addiderunt, quæ erant Iudæ Tribus, eiusmodi enim oppida nominatim expressa in hebraico codice non leguntur; quod quidem additamentum utile esse deprehenditur, cum enim inter ciuitates illas Bethleem quoque numeretur, ex eo concluditur Christum Dominum ibi natum ex Iudæ Tribu fuisse. In quo libro Iosue à septuaginta interpretibus addita obseruans AV

Gen. 19.

Deut. 21.

Deut. 27.

Li de Pōd.
& mens.

70. Interp.
integras sē
tentias ad
diderunt.
Præf. Iam.
Ier.

Quest. su
per Iosue.
cap. 6.

ginta interpretes, qui auctoritate Prophetica ex ipsa mirabili consensione interpretati esse prohibentur, hæc addidisse, non tanquam futura prænunciantes, sed quia illo tempore ipsi erant, quo hæc facta esse meminerant, & in libris Regnorum legerant: etenim Regum temporibus factum est. Quod ideo credibilius nobis uisum est, quoniam inspeximus interpretationem, quæ est ex hebræo, & non inuenimus. Sicut nec illud, quod dictum est de Hierico, quod Oza, qui eam reparasset, incurreret maledictum, quod dixerat Iesus. Sic enim scriptum est: Et adiurauit Deus in illa die, maledictus homo qui resuscitabit, & ædificabit ciuitatem illam, in primogenito suo fundabit eam, & in nouissimo suo imponet portas eius: hucusq; inuenitur in interpretatione, quæ est ex Hebræo, illud autem quod sequitur, & ita fecit Oza, qui ex Bethel in Abiron primogenito fundauit eam, & in Saluato nouissimo imposuit portas eius. Hoc illic non legitur: Vnde apparet à septuaginta interpositū qui factum esse nouerant. Quæ exempla, innumerabilibus alijs breuitatis causa prætermisissis, abundè ostendere arbitramur, hos interpretes Prophetica auctoritate integras sententias Scripturæ sacræ addidisse. Quod si dixeris hoc Augustini productum exemplum ac testimoniū non demonstrare eosdem fuisse Prophetas, ut potè qui non prænūciarint futura, quod Prophetis maxime congruit, sed gesta sola narrarint; Respondemus non solos quidem illos Prophetas dici, qui futura secundum literam prædicunt; sed omnes præterea illos, qui scripturas sacras exararunt, eas præsertim quæ ad uetus Testamentum pertinent, ut de Prophetia agentes fusè declarabimus, atque iccirco illi Prophetæ dicti sunt, qui libros sacros historicos conscripserunt, (quamuis gesta ijdem secundum literam commemorantes, futura etiam secundum spiritum præmonstrare creduntur) merito igitur Augustinus eodem in loco Prophetica auctoritate ipsos eiusmodi gesta adiunxisse dicebat. Illi uerò nō solum

Dubium.

Responsio.

70. Interp. multa sustulerunt.

plura

plura Scripturæ sacræ addiderunt, sed non pauca etiam ademerunt, ut ORIGENES notat super Ieremia dicens [Et retribuam illis primum duplices iniustitias eorum, & peccata ipsorum, in quibus contaminauerunt terram meam in morticinjs abominationum suarum, & iniquitatibus suis, quibus impleuerunt hæreditatem meam. Quod ait, primum, sicut nō intelligentes quidam quod scriptum est, abstulerunt, siue septuaginta interpretes, sicut & cætera, secundum dispensationem suam auferre uoluerunt, Dominus uiderit] Et rursum [Hæc quidem in exemplaribus Septuaginta interpretum habentur, in Hebræorum uerò codicibus aliquid etiam uehementius reperi, quibus quamuis non utamur, tamen agnoscendi gratia dicemus etiam ibi quæ legimus. Dedit, inquit, Deus intellectum & prudentiam in omni Grammatica Sapientia, & Daniel intellexit in omni uisione, & somnijs. Et post pauca. Et steterunt, inquit, in conspectu Regis, & in omni uerbo Sapientiæ & disciplinæ, in quo quæsiuit ab eis Rex, inuenit in eis decuplo super omnes incantatores, & magos, qui erant in omni Regno eius. Ex ijs ergo omnibus potest intelligi, quomodo &c.] Et alio in loco [Et scient quia ego sum Dominus, Deinde alia sequitur Prophetia, quam nescio quare apud septuaginta non inuenientes, in cæteris editionibus, quæ cum hæbræo cōsentiunt sermone, reperimus, quæ plena est necessarijs rebus, & tam utilibus, ut possit, si animus fuerit attentus, à uitijs reuocare lectorem, sic autem sequitur. Peccatum Iuda conscriptum est in stilo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum] Hanc autem discrepantiam inter hebræicos codices & septuaginta seniorum interpretationem nemo utique potuit melius ipso Origene, ac plenius cognoscere, cum ille Exapla diligentissime conficiens, singula singulis comparauerit, manca & redundantia in eiusmodi collatione Asteriscis obelisque accuratissime notauerit, ac distinxerit: cum ipso igitur con-

In Ier. ho. 12.

P 4 cluda-

Epi. ad Iul.
Afric.Ep. ad Iul.
Afric.70. interp.
fuerunt
Prophetæ.18. de Ciu.
Dei. c. 43.18. de Ciu.
Dei. c. 43.

cludamus [Mille quoque alia inuenimus in Iob in nostris exemplaribus, quæ & minus, & plus habent, quam apud Iudæos.]
 Et rursum [Porro autem in multis quoque alijs sanctis libris inuenimus alicubi quidam plus esse apud nos, quam apud hebræos, alicubi autem minus] Quo constituto illud quoque perspectum est, septuaginta seniores scripturam sacram inuertentes, eidem addentes, ac detrahentes, interpretum fines esse transgressos, atque Diuini Verbi scribas se esse idcirco fuisse professos; uel igitur pessimi & impij nebulones illi fuerunt, uel Prophetæ simul & interpretes: At impietatis, fraudis, atque mendacij quis reos illos facere audebit, quos missio, morum integritas, consensus, Iudæorum, quæ tunc florebat, synagoga, Sancti Patres: Apostoli, ecclesia denique (ut mox cognoscemus) approbare deprehenditur? Prophetas igitur ipsos non solum interpretes, appellare non horreamus, quod sanctos Patres a parte fateri tum, quæ iam protulimus, testimonia non obscura declararunt, tum quæ mox adducemus apertissime demonstrabunt, dicit enim AUGUSTINVS [Profecto quisquis alius ex Hebræo in quamlibet aliam linguam interpres est uerax, aut congruit illis septuaginta interpretibus, aut si congruere non uideretur, altitudo ibi Prophetica esse credenda est, spiritus enim qui in Prophetis erat quando illa dixerunt, idem ille erat etiam in septuaginta duobus uiris quando illa interpretati sunt] certum est autem in Prophetis ipsis dum Verba Dei pronuntiabant fuisse uerum & germanum spiritum Prophetiæ, quare ille met in septuaginta illis fuisse dicendus erit; quod eo in loco paucis interiectis AUGUSTINVS ipse tum fatetur, tum etiam doctissime explicat inquiring [Si igitur, ut oportet, nihil aliud intueamur in scripturis illis, nisi quod per homines dixerit Dei spiritus; Quicquid est in hebræis codicibus, & non est apud septuaginta interpretes, noluit hoc per istos, sed per illos Prophetas spiritus Dei dicere; Quicquid uero est apud septuaginta, & in hebræis

hebræis codicibus non est, maluit per istos septuaginta, quam per illos dicere; sic ostendens utrosque fuisse Prophetas, isto enim modo alia per Isaiam, alia per Ieremiam, alia per alium, atque alium Prophetam, uel aliter eadem per hunc atque illum dixit, sed ita, ut illi præcederent prophetando, isti non more hominum secum conferentes, & tamen tanquam uno ore cuncta interpretantes, sequerentur illos Prophetice interpretando] Et rursum [Meritò creduntur septuaginta interpretes accepisse Propheticum spiritum, ut si quid eius auctoritate mutarent, hoc diuinitus esse doctum non dubitaretur] idem quoque aperte affirmans EPIPHANIVS dixerat] Quare cognitu facile fuerit hoc ijs, qui ex ueritatis studio expendere uoluerint, quòd non solum interpretes illi fuerunt, sed etiam ex parte Prophetæ] Idem denique ceteri patres tum Græci tum Latini uel palam affirmarunt, uel tacite (hac scilicet interpretatione utentes) comprobauerunt. Cum itaque tot numero fuerint interpretes isti, Viri graues, ueneratione digni, linguarum periti, docti, Mystagogi, à Pontifice missi, inter semire consentientes, Spiritu sancto interpretantes & Prophetæ, quis iam dubitare poterit, quin dignitate, proposito, & conuertendi occasione reliquos omnes iam commemoratos interpretes longè antecedant? atque ob hanc causam sit ipsorum interpretatio Græcis omnibus anteposenda? quamuis aliæ præterea rationes concurrant ad huius interpretationis dignitatem, ueritatem, & auctoritatem declarandam; Apostoli enim ipsi, quamuis Hebræi ex Hebræis essent, hac tamen interpretatione in Euangelio prædicando, conscribendoque uti uoluerunt; ut, exempli causa, APOSTOLVS PAVLVS dicebat [Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictus, quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno] addens uniuersale signum [Omnis] quod à septuaginta interpretibus adiunctum fuerat, cum in Hebræo (ut iam diximus) non esset,

16. De Ciu.
Dei.De pond.
& mens.Apl'i usi
sunt septua
ginta inter
pretum cõ
uersione.
Gal. 3.
Deut. 21.

Deut. 27. fet, & rursus idem Apostolus aliam Deuteronomij execrationem recitans dixit [Maledictus omnis, qui non permanfit in omnibus, quæ scripta sunt] addens similiter uniuersalia signa [Omnis] & [Omnibus] ab iisdem septuaginta olim adiuncta: His uerò similia exempla possemus non pauca proferre ex alijs quoq; Apostolis & Euangelistis, sed breuitatis causa illa reticentes, dicti huius grauisimum & locupletissimum testem producemus IRENEVM, qui ait [Apostoli cum sint his omnibus uetustiores, consonant prædictæ interpretationi, & interpretatio consonat Apostolorum Traditioni; etenim Petrus, Ioannes, & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum sectatores Prophetica omnia ita annunciauerunt, quemadmodum seniorum interpretatio continet; unus enim & idem spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconauit quis & qualis esset aduentus Domini, in senioribus autem interpretatus est bene quæ bene prophetata fuerant, ipse & in Apostolis annunciauit plenitudinem temporum adoptionis uenisse] Quod tamè Irenei testimonium moderatione aliqua interpretandum uidetur, nam etsi ipsi Apostoli hac septuaginta interpretatione frequenter usi sint, Hebraicam tamen editionem non neglexerunt, ex ipsa nonnunquam ea Prophetica testimonia accipientes, quæ in 70. conuersione desiderabantur, ut est illud [Ex Aegypto uocaui filium meum] & alia similia, à Hieronymo præsertim obseruata, ut apertè testatur, docetq; AVGVSTINVS dicens: [Proinde, & ipsi Apostoli ex utrifque, idest ex Hebræis & septuaginta duobus posuerunt prophetica Testimonia, tanquàm utraque scriptura sit una atque Diuina] Post Apostolos autem tum omnes, quicunque fuerunt, Græci Tractatores, tum etiam antiqui latini Patres eadem usi sunt interpretatione, quod quidem ex iam productis ipsorum testimonijs non obscurè patet, atque ex eorundem monumentis diligèti lectori facile perspectum erit; Quare idem rursus longiori oratione

Li. 3. aduc.
hæc. c. 25.

Matth. 2.
Osee. 11.

18. De Ciu.
Dei. c. 43.

Patres ufos
fuisse 70.
interpretatione.

oratione confirmare operæpretium nobis non uidetur; illud tamen non reticebimus, Philonem quoque Iudæum Iudæorum omnium doctissimum, & disertissimum, Apostolis coæuum, hac eadem scripturæ interpretatione in suis scriptis usum fuisse. His uerò omnibus accedit ad huius interpretationis dignitatem & auctoritatem summam ostendendam consuetudo atque Iudicium ipsius Ecclesiæ, quæ quidem tū in Concilijs ad confirmanda Dogmata, & hæreses conuellendas, eadem est usæ interpretatione, tum in publicis lectionibus, disputationibus, concionibus, & sacris mysterijs eam ipsam adhibuit, ut ipsa Concilia (Græca præsertim) liturgiæ, atque omnes publicæ ecclesiasticæ scripturæ palam testantur; quod AVGVSTINVS quoque fatetur dicens [Hanc tamè quæ septuaginta est, tanquàm si sola esset, sic recepit Ecclesiæ, eaque utuntur Græci populi Christiani, & ex eadem, quod latinæ ecclesiæ tenent, etiam in latinam lingua est interpretatum] Nec solum usum ecclesiæ testatur AVGVSTINVS, sed eiusdem præterea iudicium inquiring [Ecclesiæ Christi tot hominum auctoritati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum munus electorum, neminè iudicant præferendum] Concurrentibus igitur ad eiusmodi interpretationis dignitatem, & præ cæteris omnibus eminentiam ostendendam, interpretum præstantia, Apostolorum usu, Patrum consensu, Ecclesiæ consuetudine & iudicio, concludendū nobis iam erit cū Augustino [In Græcis septuaginta interpretum excellit auctoritas] & rursus cum CHRYSOSTOMO (si tamen ipsius illud est commentarium) [Ad faciendam ueræ Translationis fidem omnibus alijs iure septuaginta interpretes sunt digniores] Quorum quidem præstantiam tantam fuisse credidit Augustinus, ut de ipsis tandem dixerit [Etsi non in eis unus apparuisset Spiritus sine dubitatione diuinus, sed tanquàm septuaginta docti more hominum contulissent, ut quod placuisset omnibus hoc maneret, nullus eis unus interpres debuit anteponi.]

70. interp.
ecclesiæ
usu, & iudicio
confirmatur.

18. de Ciu.
Dei. c. 43.

18. de Ciu.
Dei. c. 43.

2. de Doct.
Chriſt. c. 5.
In Matth.
hom. 1.

18. de Ciu.
Dei. c. 43.

De

De latinis librorum Canonorum interpretationibus, in primis uerò de Veteri, & de ea quæ est B. Hieronymi.
Cap. XXX.



Is iam de Græcis scripturæ conuersionibus quæsitis ac definitis, restat nunc ut ipsas latinas pariter examinemus, atque inter se conferamus, eas uerò omnes, quæcunque olim extiterunt, sigillatim percensere non utique poterimus, ut potè quas innumerabiles fuisse Patres testentur; de illis enim AVGVSTINVS dicebat [Qui scripturas ex hebræa lingua in græcum uerterunt numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus uenit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi met utriusque linguæ habere uidebatur, ausus est interpretari] ET rursus [Et latinæ quidem linguæ homines, quos nunc instituendos suscepimus, & duabus alijs ad scripturarum Diuinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit latinorum interpretum infinita uarietas] in tanta tamen ac ferè innumerabili latinarum Conuersionum uarietate unam fuisse conijcimus magis probatam, cæteras auctoritate antecedentem, atque in ecclesijs communiter, à Tractatoribus frequenter usurpatam, eam scilicet, qua Romana Ecclesia ante Hieronymi, uel etiam Gregorij tempora uti constanter solebat, quam quidem tum uulgatam, tum Italam, tum ueterem appellari solitam obseruauimus; illam enim commemorans HIERONYMVS, & uulgatam nominans dicebat [Satis miror quomodo Vulgata editio fortissimum contra Iudæorum perfidiam Testimonium alia interpretatione subuer-

2. de Doct. christ. ca. 11.

2. de Doct. christ. ca. 11.

In Esa. ca. 49.

subuerterit dicens, Congregabor, Conglorificabor Domino] AVGVSTINVS uerò eandem (ni fallimur) Italam appellans ait [In ipsis interpretationibus Itala cæteris præferatur, nam est uerborum tenacior cum perspicuitate senectiæ] GREGORIVS tandem cum Hieronymi conuersione ipsam comparans Veterem uocabat dicens [Nouam editionem dissero, sed cum comprobationis causa exigit, nunc nouam nunc ueterem per testimonia assumo, ut quia sedes Apostolica (cui auctore Deo præfideo) utraq; utitur, mei quoq; labor studij ex utraque fulciatur. Quærenti autè a nobis quænam sit Vulgata ista, Itala, & uetus latina interpretatio, cui Auctori inscripta, & ex qua lingua ad nos deriuata, an scilicet ex Hebraica, ueluti fonte, uel ex Græca, ut sit Cõuersionis quædam cõuersio. Respondemus (de Veteri scilicet Testamento loquentes) illam utique fuisse ex Græca conuersione deriuatam, id enim eruditus nemo negat, atque Hieronymum primum fuisse qui ex Hebræo in latinum scripturam conuerterit, tum ipse asserit, tum omnes fatentur; præterea uerò dicimus eandem generatim ac ferè totam fuisse ex græca septuaginta seniorum interpretatione in latinum translata (quasdam enim solas eius particulas excipiebat Hieronymus, ut puta Daniele, quem ex Theodotione græco in latinum conuersum legi idem assererat) illud uerò intelligere qui uis facile poterit, qui latinorum Conciliorum, ac Patrum usque ad Gregorij tempora uolumina uolutans, producta scripturæ testimonia seligens, cum Græcis septuaginta interpretum exemplaribus, atque Hebraicis Codicibus accuratè contulerit, statim enim cognoscet latinas uoces cum Græcis illis congruere, ab Hebraicis uerò piè discrepare. Idem quoque testantur Latini Patres, inter quos AVGVSTINVS dicebat [Hanc tamen quæ septuaginta est, tanquam si sola esset, sic recepit Ecclesia, eaque utuntur Græci populi Christiani, & ex eadem, quod latinæ ecclesiæ tenent, etiam in latinam linguam est

2. de Doct. christ. ca. 15.

Epi. in lib. Moral.

Dubium.

18. de Civ. Dei. ca. 43.

est interpretatum] **HIERONYMVS** uerò idipsum comprobans ad Chromatium scribebat [Si septuaginta interpretum pura, & ut ab eis in græcum uersa est, editio permaneret, superfluo me Chromati Episcoporum sanctissime, atque doctissime impelleres, ut Hebræa Volumina latino sermone transferrem; quod enim semel aures hominum occupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, iustum erat nostro silentio comprobari] Qui tamen Hieronymus trium linguarum peritissimus nō solum ab Episcopo Chromatio, sed ab alijs etiam amicis plurimis assidue, ac maximo studio rogatus, & à re ipsa mirum in modum persuasus, nec rogantibus iusta negare, nec utilitati publicæ eadem postulanti operam denegare tandem potuit; instantibus itaque amicis, & iustissimis urgentibus causis, nouam ex Hebræo in latinum conuersionem aggredi non est ueritus. Nos autem, omissis amicorum precibus, tanti laboris causas inquirere operæritium erit. In primis igitur uir doctissimus assidua, & diligentis scripturarum lectione obseruauerat, non solum plurima in Hebraicis exemplaribus legi, quæ in septuaginta interpretum conuersione desiderantur, sed multa etiam (quod uix ferendum uidebatur) Prophetica testimonia ab Apostolis ipsis & Euangelistis ad euangelicam doctrinam persuadendam ex scripturis producta, in nullo Totius Veteris Testamenti Volumine in latinum, uel Græcum conuerso, reperiri; quorum exempla aliquot percensens ipse **HIERONYMVS** dicebat [In euangelistis & Apostolis multa de Veteri Testamento legimus, quæ in nostris codicibus non habentur, ut est illud, Ex Aegypto uocaui filium meum; Et, Quoniam Nazareus uocabitur; & Videbunt in quem compunxerunt; & Flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ; Et, Quæ nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit, quæ præparauit Deus diligentibus se] Ne igitur ipsi Apostoli & Euangeliste huiusmodi Prophetias recitantes mendacij rei fieri possent,

&

& euangelica ueritas repugnantibus infirmior uideretur, eadem in latina ex Hebræo conuersione legendas curauit **HIERONYMVS**, cui Apostolorum dignitas & existimatio antiquior erat, quàm ipsa septuaginta seniorum interpretatio, ut iccirco diceret [Non reprehendo septuaginta, sed confidenter cunctis illis Apostolos præfero; per ipsorum os mihi Christus sonat, quos ante Prophetas inter spiritalia Charismata positos lego, in quibus ultimum penè gradum interpretum tenent] Aliud præterea obseruabat Hieronymus, non equidem contemnendum, multa scilicet ab ipsis septuaginta fuisse obscure ac tectè nimis in Græcū conuersa; illi enim (Spiritu sancto scilicet id suadente ac docente) fidei sacramenta, atque arcana mysteria Gentium Regi Ptolomæo (infidelinimirum uiro) palàm referare, nondum præsertim nato Christo, indecorum, ac nephas esse putarunt, ut **IDEM** fatebatur dicens [Vnde coniectio noluisse tunc temporis septuaginta interpretes fidei suæ sacramenta perspicuè ethnicis prodere, ne sanctum canibus, & margaritas porcis darent, quæ cum hanc editionem legeritis, ab illis animaduertetis abscondita] Eiusmodi igitur obscure olim interpretata, æquissimū putauit esse **HIERONYMVS**, ut iam tandem Euangelij gloria reuelata fidelibus clarè paterent; quæ ipse in latinum conuertens, aperire & nudata proponere iccirco non dubitauit, quod testatus ait [Quasi mox reprehendat, qui uel restituit, & emendat, & quod per alios erat uitiatum, uel declarat, elucidat, aperit, addit, quod spiritus Dei certis ex causis pro tempore uoluit esse clausum] Cuius quidem obscuritatis aliam præterea causam affert **HIERONYMVS**; ipsorum uidelicet interpretum hæitationem quandam, quàm gestæ iam res prorsus abstulerunt à nobis, inquit igitur [Illi interpretati sunt ante aduentum Christi, & quod nesciebant dubijs protulere sententijs, nos uerò post passionem & resurrectionem eius, non tam Prophetiam, quàm historiam scribimus,

aliter

Præf. in p
salip.Causæ no-
uæ Hierony-
mi interpre-
tationis.

Causa 1.

Præf. in Pē
tateuchū.Præf. in Pē
tateuchū.

Causa, 2.

Prolog. i Isa.

Apolog.
contra Ruf-
inum.Præf. in Pē
tateuchū.

aliter enim audita, aliter uisa narrantur, quod melius intelligimus, melius & proferimus] Quod quidem affirmare Hieronymus non est ueritus, ut potè qui à communi Patrum sententia discedens, nunquam putauit septuaginta illos seniores Prophetas fuisse, nos tamen eosdem ueluti Prophetas agnoscentes, hoc Hieronymi dictum nihil mouerèt, nisi id quoq; moderatione temperatum eiusdem latinæ conuersioni fauere deprehenderemus; etsi enim Prophetas (à Sybillis in hoc discrepantes) illa intelligere, quæ prænunciant, fateamur, rerum tamen gestarum aspectum maiorem euidentiã habere, quàm Prophetarum auditum uel uisionem non negamus, quòd ipse Hieronymus eo in loco inueniens dicebat [Non tam Prophetiam quàm historiã scribimus, aliter enim audita, aliter uisa narratur, quòd melius intelligimus melius & proferimus] Quod quidè nos nõ inuiti concedentes, fatemur ipsum Hieronymũ clarius, plenius, cumulatius Res à Christo gestas, atque eiusdem instituta cognouisse, quàm septuaginta illi interpretes spiritu Prophetico eadem intellexerint; iccircoq; potuisse eum nobis fidelibus illa omnia planius, ut rebus iam gestis congruebat, interpretando explicare. Codicum deinde Græcorum maxima uarietas, & plurima in singulis exemplaribus menda HIERONYMO persuaserunt, ut uitiosæ huic inconstantia nouæ & emendatæ interpretationis remedium afferret, quam uarietatem ipse testatur dicens [Quorum (70. scilicet interpretum) exemplaria uarietas ipsa lacerata, & euersa demonstrat, nec potest utique uerum asseri quod diuersum est] Nominatim uerò singula eiusmodi uaria exemplaria commemorans ait [Alexandria enim & Aegyptus in septuaginta suis Hesychium laudat auctorem; Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat; mediæ inter has prouinciæ Palestinæ codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus uulgauerunt] Et ad Suniam & Fretellam scribens affirmat

Causa 1.

Prol. in
Esdram.

firmat aliam esse communem 70. interpretationem ab eaque illorũ est uera & germana, ait enim [*κοινὴ* autem ista, hoc est cõmunis editio; ipsa est, quæ & 70. sed hoc interest inter utramque, quòd *κοινὴ* pro locis & temporibus, & pro uoluntate scriptorum ueterum corrupta editio est, ea autem quæ habetur in *ἑβδομήκοντι*, & quam nos uertimus; ipsa est quæ in eruditorum libris incorrupta, & immaculata translatio referuatur] Ad Augustinum uerò scribens inquit [Et miror quomodo 70. interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos siue correctos per obelos & asteriscos, & Christiani omnis interpretatiunculã non sequaris] Quibus in locis multiplicem codicum uarietatem in 70. seniorum græca interpretatione distinctè declarat, eorundè uerò menda & uitia non obscurè alibi indicat idem HIERONYMVS, culpam tamen omnem in scribas, & librarios conferens, inquit enim [Nec hoc 70. interpretibus, qui Spiritu sancto pleni ea, quæ uera fuerunt, transtulerunt, sed scriptorum culpæ ascribendum, dum de emendatis in emendata scriptitant] Et rursum [Neque hoc dicimus ab illis factum, quibus uetustas auctoritatem dedit, sed per multa secula scriptorum, atq; lectorum uitio deprauatũ] His itaq; codicum tum mendis, tum uarietatibus ad nouam interpretationem edendam se persuaderi testatur HIERONYMVS, cum ad Chromatium scribit [Nunc uerò cum pro uarietate Regionum diuersa ferantur exemplaria, & germana illa antiquaque Translatio corrupta sit, atque uiolata, nostri arbitrij putas, aut è pluribus indicare quòd uerum sit, aut nouum opus in ueteri opere cudere] Quas quidem tres iam dictas causas nouæ latinæ conuersionis simul breuiter complectens HIERONYMVS dicebat [Audiant canes mei, iccirco me in hoc uolumine laborasse, non ut interpretationem antiquam reprehenderem, sed ut illa quæ in ea obscura sunt, aut omissa, aut certe uitio scriptorum deprauata, manifestiora nostra inter-

Ep. ad Aug.

Epist. ad
Demnonẽ
& Rogã.
In Ezech.
cap. 3.Præf. in
Paralip.Præf. in
Iob.

Q. preta-

prol. in If.

Causa 5.

prol. in Ef-
dram.
Causa 6.

pretationem facerem] Quibus quarta accessit causa, Iudæorum scilicet arrogans insolentia, qua in Christianos insultabant, & fastidiosè nimis illudebant, ueluti scripturarū ignaros, quas in græcum & latinum conuersas, falsas & mendaces legerent; istam enim Iudæorum arrogantem loquacitatem, ut frangeret atque comprimeret HIERONYMVS ex hebræo in latinum scripturas conuertere non recusauit; ut ipse testatur dicens [Ipse mihi mercedem restituat in futuro, qui scit me ob hoc in peregrinæ linguæ eruditione sudasse, ne Iudæi de falsitate scripturarum Ecclesijs suis ditius insultarent] Nec solos quidem Iudæos audacius insultantes comprimere, ac repugnantes conuincere, sed Græcos quoque nimis exultantes, & quasi triumphantes reprimere, & continere oportebat eadem ex Hebræo in latinum conuersione, immoderatè enim isti se iactabant dicentes, Ecclesias latinas Diuinis scripturis caruisse, nisi ab ipsis essent illas mutuatae; quam occasionem breuiter indicans HIERONYMVS, ut paria paribus responderet, de hac noua conuersione dicebat: [Quanto magis latini grati esse deberent quòd exultantem cernerent Græciam à se aliquid mutuari] Tandem uerò illud Hieronymū non fugit, latinam ueterem conuersionem nō magis dici posse septuaginta seniorū interpretationē, quàm ista dicatur Hebraica editio, cum non minus hæc ex Hebræo quàm latina ex Græco fonte manarit, Græcam autem interpretationem Hebraicam ipsam esse editionem quis unquam diceret? cur itaq; latinam Græcam esse 70. interpretationem dicemus? potuit quidem fieri ut 70. illi in Græcū scripturam rectè conuenterint, latinus autem interpretes uel corruptos codices (qui erant innumerabiles) habuerit, uel etiam ex incorruptis Græcis Latinos mendosos fecerit: nunc uerò de ipsa latina conuersione loquimur nō ex fonte, sed ex riuulo fluentem, quam ad nos tertio gradu peruenisse rectè dixit quandoque HIERONYMVS iniquens [Neque ego de ueteri

dispu-

disputo instrumento, quod à 70. senioribus in græcam linguam uersum tertio gradu ad nos usque peruenit] atque eiusdem errata, ac menda animaduertens AVGVSTINVS, hortabatur Hieronymum, ut Græcam interpretationem in latinam rursus conuertet dicens [Plurimum profueris, si eam scripturam Græcam, quā 70. operati sunt, latinæ ueritati reddideris, quæ in diuersis codicibus ita uariata est, ut tolerari uix possit, & ita suspecta] Quod quidem non solum præstitit ipse HIERONYMVS, sed ut cumulatius etiam satisfaceret, nouam præterea interpretationem, ut magis perspicuam, atque tum Hebraicis exemplaribus, tum tempori congruentem, edere cogitauit: de qua dicebat [Si cui sanè 70. interpretum magis editio placet, habet eam à nobis emendatam, neque enim noua sic euidemus, ut uetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit, sciat magis nostra scripta intelligi, quæ nō in tertium uas transfusa coacuerint, sed statim de prælo purissimæ commendata testæ suum saporem seruauerint] Hæc igitur præcipuæ causæ fuerunt, quæ Hieronymum ad scripturam sacram ex Hebræo in latinum conuertendam impulerunt; quòd pariter persuadebant leuiores aliæ rationes, quas breuitati studentes silentio præteribimus. Eam tamen interpretationem non desuerunt qui reprehenderent, atque uiuo & audiente Hieronymo oppugnarent, inter quos magis celebres numerantur Palladius, Ruffinus, & Augustinus; quæ uerò obijciebant isti, hæc ferè sunt, in primis qui illū grauius reprehendebant, eius criminis reum faciebant, quòd sua hac noua interpretatione ueterem illam ab ecclesia ubique, & iamdiu receptam, & Spiritu sancto auctore omnium consensione editam tacitè damnaret, atque euertere moliretur, quam noua accedente explosam esse cuperet. Modestius autem arguentes se timere profitebantur, ne hac Hieronymi conuersione latinarum ecclesiarum usu fortè recepta, illud sequatur incommodum; quòd istæ à Græcis ecclesijs 70. Se-

Q 2 niorum

Ep. ad Hieronymū.
Præf. in euang.Epist. 2d Chrom.
& Heliod. de lib. Salomonis.

Interpretationi Hieronymi quæ obijciuntur.

Obiectio 1

Obiectio 2

niorum interpretatione utentibus dissentire uideatur, ut potè quæ inter se eiusdem Scripturæ uocibus sibi inuicem respondentibus non cohæreant; Præterea quoque illud opponerebat repugnantem aduersarium, & scripturæ testimonia, ueluti corrupta, & prauè interpretata. declinantem, à quo uis facillè posse Græco producto codice, unde latina conuersio manauit, statim conuinci, cum sit Græca lingua cuius erudito satis nota; quod si fuerit Hebraicus, codex, ex quo latinus deriuauerit producendus (quod quidem frequentissime accideret ob nouæ editionis à peruulgata ueteri discrepantiâ) iam difficile erit ignotæ linguæ codice producto obsistentē aduersariū euincere. Quod si fortè èt contigerit omni superata difficultate, interpretationis ueritatem & fidem palam demonstrari, quænam erit (obsecro te) ista uictoria? qua omnes tum latinæ tum græcæ interpretationes aliter se habentes mendacij arguantur quo crimine fides omnis illis abrogetur, & antiquorum Patrum constans Iudicium damnetur. Nonne hoc erit Patrum pudenda integumentis nudata publicè ostentare? Deinde uerò hanc ipsam Hieronymi interpretationem examinantes, ac singula eiusdem uerba expendentes, aliqua notarunt minus rectè conuersa, ut exempli causa in Iona Propheta, quod uocabulum 70. Curcurbitam sunt interpretati, ipse Hederam latinè dixit, quam uocem Hebraicæ non respondere certissimum est, quæ quidem uocis commutatio non leues turbas uiuo Hieronymo, & teste Augustino fecit, ut iccirco iste de ipsis illum admone re coactus fuerit. Alibi quoque dixit idem Hieronymus [Et erit Terra Iuda in festiuitatem] cū ipsa uox hebraica nihil minus sonet quam [festiuitatem] Denique dicunt isti, quæ fides adhiberi poterit ipsius Hieronymi interpretationi, quem integram eius linguæ notitiam non habuisse constat? quod ipsemet èt fatetur, dum Ieremiam exponēs, complurium uocabulorum germanam significationem se ignorare profiteretur.

Tot

Tot itaque sunt, quæ hanc ex Hebræo interpretationem, à Hieronymo editam, maxime oppugnare uidentur, a qua edenda illum auocare studebat AVGVSTINVS, quem potius cupiebat hoc labore, sibi minus probato, supersedentem, in ueteri 70. interpretum conuersione diligenter emendanda, & in latinam linguam transferenda omne studium suum ponere; atque iccirco ad ipsum scribens dicebat: [Ego sanè mallem te græcas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quæ septuaginta interpretum auctoritate perhibentur] De his tamen obiectis criminibus tū seipsum Hieronymus frequenter purgat, tum eadem propulsare, & iustam sancti uiri causam defendere pius quilibet & ueritatis cultor facillè poterit. Quod enim Palladius uir (ut Epiphanius refert ad Ioannem Hierosolymitanum scribens) Hæreticus & Rufinus ipsius Hieronymi æmulus, nec quidem illi amicissimus, palam obiciebant, eum scilicet 70. interpretum conuersionem reprehendere ac damnare, ut ea conuulsa ad suam amplectendam homines impelleret, idem Hieronymus constanter negat, & suum consilium, ac pium institutum frequenter aperit; atque iccirco ad Rufinum scribit: [Ego cōtra septuaginta interpretes quicquam sum locutus? quos ante annos plurimos emendatos diligentissime meæ linguæ studiosis dedi, quos quotidie in conuentu fratrum edissero, quorum psalmos iugi meditatione decanto] Et post pauca [Cogor per singulos Diuinæ scripturæ libros respondere maledictis aduersariorum, qui interpretationem meam criminantur esse reprehensionem 70. interpretum, quasi mox reprehendat, qui uel restituit, & emendat quod per alios erat uitiatum, uel declarat, elucidat, aperit, addit, quod spiritus Dei certis ex causis pro tempore uoluit esse clausum] Et rursum [Audiant canes mei, iccirco me in hoc Volumine laborasse, non quòd antiquam interpretationem reprehenderem, sed ut ea, quæ in illa aut obscura sunt, aut

Q 3 omiffa,

Obiectio.

4.

4.

Ep. Augu.
ad Hieron.
Nicolaus li
ranus sup
Pfal. 4.
Obiectio.
6.

Epist. r. ad
Hierony.
Responsio
nes ad obie
cta crimi
na.
Ad primū.

Apol. ad
uersus Ruf
inum.

Prolog. in
Iob.

omissa, aut certè scriptorum uitio deprauata interpretatione nostra fierent manifestiora, non iccirco arguendus est Ieremias Propheta, quòd mysteria de Christo obscurius quàm Isaias intimauerit] Nullum igitur reprehendendi studium incitauit Hieronymū ad nouam latinā interpretationē edendam, sed charitas, & publica utilitas uarijs, quas iam exposuimus, rationibus impulerunt, ea propter AVGVSTINVS eiusmodi culpam in ipsum non confert, sed amicè & piè magis, cur eiusdem studium in Scriptura ex Hebræo in latinum conuertenda non probet, exponit, cuius rationes in secundo, tertio, & quarto obiectorum argumentorum locis collocatis recensuimus; ipse uerò omnes breuiter oratione perstringens ait [Ego sanè mallem te græcas potius canonicas nobis interpretari scripturas, quæ 70. interpretum auctoritate perhibentur; perdurum enim erit si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius cœperit lectitari, quòd à græcis ecclesijs latinæ ecclesiæ dissonabunt, maxime quia facile contradictor conuincitur græco prolato libro linguæ notissimè; si quis autem in eo quod ex Hebræo translatum est aliquo in solito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit, aut uix aut nunquam ad Hebræa testimonia peruenitur, quibus defendatur obiectum, quòd si etiam peruentum fuerit, tot latinæ & græcæ auctoritates damnari quis ferat?] Ad id igitur, quod secundo loco obijciebatur, respondentes dicimus in primis, quòd sicut Alexandria & Aegyptus una olim interpretatione utebantur, alia uerò ipsa Constantinopolis Antiochiam usque, ac rursus aliæ quæ sunt inter illos mediæ Prouinciæ, nec tamen inter se pugnare quòd ad ipsam scripturam Græcæ ecclesiæ dicebantur, ita Latinæ ecclesiæ ob diuersam scripturæ interpretationem cum Græcis non pugnarent, imò interpretationum uarietas ob linguæ diuersitatem aut uix aut multò minus in illis appareret: Præterea uerò cum uerax sit 70. seniorum interpretatio, &

falsita-

falsitatis argui Hebraica incorrupta editio non debeat; Verum erit uero consonum, nec una editio cum altera pugnet, sicut nec Matthæus à Marco, nec Ieremias ab Isaias dissentit, quamuis alia ipsi narrent, uel eadem alijs uerbis enuncient: quare nec latina ex Hebræo interpretatio cum græca pugnet, nec ista, uel illa utentes ecclesiæ dissentire uidebuntur, nec ipsæ Græcæ ecclesiæ quandam latinæ interpretationis & græcæ discrepantiam mirabuntur, ut potè quæ pro comperto iamdiu habeant Hebraicam editionem cum græca 70. interpretum conuersione in omnibus non coherere, sed consono tamen & pio interuallo disiunctas potius, disiunctas potius, quàm disidentes illas esse: Quod quidem experientia ipsa fuit denique comprobatum; A magni nanque Gregorij Pontificatu ad nostrum usque seculum latinæ ecclesiæ interpretatione scripturarum usæ sunt à 70. interpretum conuersione diuersa, nec tamen grauis iccirco offensio in Latinam Ecclesiam concitata est, imo nec leuem ex eo offensionculam se accepisse Græcia aliquando declarauit. Negamus deinde quòd non possit ad Hebraicum codicem sine difficultate perueniri; id enim tum superioribus temporibus sæpissime factum esse nouimus, tū hoc nostro seculo assidue fieri experimur, non desunt enim in ecclesia plurimi, nec olim etiam aliquot defuerunt, qui hebraicam linguam callerent; sunt præterea fueruntque semper Iudæorum Rabbini sanctæ eiusmodi linguæ periti, quos interrogare, & uocum significationes ab ipsis declarandas petere, atque latinis uocabulis an Hebraica in scripturis respondeant; quibus facile potest, quod quidem faciendum HIERONYMVS monebat inquit [Sicubi ergo editio mea à ueteribus discrepauerit, interroga quolibet Hebræorū, & liquidò peruidebis me ab æmulis frustra lacerari] Et rursus [Sicubi in translatione tibi uideor errare, interroga hebræos, diuersarū urbiū magistrōs cōsule] idque ipso uiuo experientia comprobatū fuisse,

Q 4 imò

Ep. ad Hic.

Responso
Ad 2.

Ad 3.

Prol. in
Psalt. ad
Saphoniam.

Prol. in
Pentateuchū.

imo totius interpretationis, quã ille ex Hebræo ediderat, Iudæos periculum fecisse, atque eandem uniuersam probasse testatur AVGVSTINVS dicens [Quamuis non defuerit tēporibus nostris Presbiter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in latinū eloquium easdem scripturas cōuertit; sed eius tantum laborem quamuis Iudæi fateantur esse ueracem, & cōtendat 70. in multis errasse, tamen Ecclesia Christi tot hominum auctori tati, ab Eleazaro tunc Pontifice ad hoc tantum munus electorum, neminem iudicat præferendum] Næc propterea tamen tum ueterum latinorum tum Græcarum interpretationum auctoritas conuellitur aut labefactatur, cum certum & perspectum sit 70. interpretum conuersionem & Hebraicam editionem inter se non esse concordēs, quamuis ambæ (ut diximus) ueræ iudicentur, & piè possint inuicem conciliari: Quare palam demonstrata ueritate latinæ ex Hebræo conuersionis, & interpretis fide productis codicibus declarata, ueterum tum conuersionum auctoritas, tum interpretum fides ne tantillum quidem imminuitur, sicut unius uel Propheticæ, uel Apostolicæ scripturæ auctoritas, & probata fides, alterius quamuis diuersa (consona tamen) narrantis dignitatem non lædit. Vocabula autem illa, in quorum interpretatione HIERONYMVS reprehēdebatur, ipsemet quid sonent fusè declarat, & de obiecto eiusmodi crimine abundè se purgat dicens [In eo loco ubi 70. interpretes cucurbitam, & Aquila cum reliquis hederam transtulerunt, in Hebræo uolumine scriptum est Ciceion, quam uulgò Sicij Ciceiam uocant; est autem genus uirgultu lata habens folia in modum Pampini, cumque plantatum fuerit, citò confurgit in arbusculum absque ullis calothorum, et hastilium adminiculis, quibus & cucurbitæ, & hederæ indigent, suo trunco se sustinens: hoc ergo uerbum de uerbo differens, si Ciceion transferre uoluissē, nullus intel-

lige-

ligeret, si cucurbitam, id dicerem quod in Hebraico non habetur, hederam posui, ut cæteris hebræis consentire] Quod autem uocabulum ipse interpretatus fuerat [Festiuitatem] uim eiusdem ac significationem diligentius postea expendens conuertit [Pauorem] ut nunc legimus, quæ admissum errorem IPSEMET animaduertēs dixit [Melius reor proprium errorem reprehendere, quàm dum erubescō imperitiam confiteri, in errore persistere in eo, quod transtuli, & erit terra Iuda Aegyptio in festiuitatem] Illa uerò Vocabula, quæ se ignorare fatebatur Hieronymus, obsoleta iam erant, & antiqua nimis, ut circo eorum germanam significationem ipsum latuisse mirum esse non debeat, cum Cicero pariter, non quidem externa, ut Hieronymus, sed patria Vocabula aliquot à Catone, Varone, alijsque uetustioribus latinis scriptoribus usurpata, se non intelligere profiteatur, ut potè prisca, & obsoleta; quod quidem, & multò æquius, in Hieronymo absque reprehensionis nota ferendum, & sponte etiam ipsi, quamuis non postulanti, concedendum uideretur. Qui omnibus eiusmodi tum reprehensionibus, tum argumentationibus posthabitis nunquam detereri & auocari ab incepto labore, atque interpretandi studio potuit, cum ueterem interim interpretationem non neglexerit, sed amicis, sibi que satis faciēs, & publicæ Ecclesiarum utilitati consulens, illas accuratissime emendauerit, ut ipse est frequenter testatus, & posteris sapius retulerunt; inter quos CASSIODORVS ait [Quòd si tamen alia uerba reperiuntur absurdè posita, aut ex his codicibus quos B. Hieronymus ex editione 70. interpretum emendauit, uel quos ipse ex hebræo transtulit, intrepidè corrigenda sunt] Vtrumque igitur sanctissimus, ac doctissimus uir egregie præstitit, cuius nouam ex Hebræo conuersionem tum plurimi eo uiuo eruditi uiri probarunt, tum Ioannes Cassianus paulo etate illo inferior, alijque coeui & nobiles Tractatores ea statim uti non abhorruerunt; Tandem uerò

18. de Ciu
Dei. 43.

Ad 4.

Ad 3.
Ep. ad Aug.

Ira. 19.

In Ira. l. 5.

Ad sextū.

Li. de Diu.
lectionib.
c. 15.

Epi. in lib.
Moral.

Noui Te-
stamenti
interpreta-
tiones.

An Hiero-
nymus no-
uum Te-
stamentum
sit interpre-
tatus.

De script.
ecclesiasti-
eis, in fine.
Præf. in
cuang.

Dubium.

Ep. 10. ad
Hieron.
Responsio.
Ep. ad Aug.

uerò Veteri interpretationi eandem in suis commentarijs anteponere, ab illa tamen ipsam non disiungens Magnus quoque GREGORIUS non est ueritus, qui ait [Nouam autem editionem differo, sed cū comprobationis causa exigit, nunc nouam nunc ueterem per testimonia assumo, ut quia fides Apostolica (cui auctore Deo præfideo) utraque utitur, mei quoque labor studij ex utraque fulciatur] Hæc autem dicta sint tum de Veteri, tum de ea, quæ B. Hieronymi est, interpretatione, quò ad Testamētum quidē uetus solum, Nam Testamenti noui dispar est ratio, cuius unicam quidem fuisse olim antiquam in latinum conuersionem in ecclesia (præsertim Romanā) iustitiam, ac cæteris omnibus constanter prælatam usque ad Hieronymi tempora tum omnium consensio- ne asseritur, tum innumeris testimonijs, & rationibus demonstrari facile posset: An uerò HIERONYMVS nouā pariter ediderit eiusdem ex Græco interpretationem aliqui dubitāt, cui de se loquenti, & suamet gesta commemoranti si credendū est, nos pro certo habemus, ipsum non conuertisse, sed iam- diu conuersum illud emendasse, conuersionis enim, eiusmodi à se editæ nunquam is meminit, correctionis autē frequē- ter mentionem fecit, quam & inter suas lucubrations nume- rauit dicens [Nouum Testamētum græcæ fidei reddidimus] AD DAMASCUM uerò scribens, se non conuertisse, sed cor- rexisse apertè profitetur cū ait [Igitur hæc præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste, Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum græcorum emendata collatione, & ueterum, nec quæ multū à lectionis latinæ consuetudine discreparēt, ita calamo tēperauimus, ut his tantum, quæ sensum uidebantur mutare correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant] Cum hac nostra autem sentē- tia uidebitur alicui pugnare AVGVSTINVS, qui ad Hierony- mum scribit [Non paruam Deo gratiam habemus, quod nouum uerteris Testamentum] Quamuis tamen id scripserit Augu-

Augustinus, uel relata narravit, uel minus propriè forsan lo- cutus, congruenter est interpretandus; Hieronymus enim il- li rescribens, & ipsius uerba interpretans, inter cætera inquit; [Et si me, ut dicis, in noui Testamenti emendatione suscipis, exponisque causas cur suscipias, quia plurimi linguæ Græcæ habentes scientiam, de meo possent opere iudicare] Cum igitur Hieronymus de sola correctione rescribat, tum quid ipse egerit non obscurè declarat, tum Augustini dictum uero cō- cilians interpretatur: Quare dicamus ipsum Hieronymū nō edidisse nouam Noui Testamenti conuersionem, sed ueterē uulgatam mendis plurimis aspersam Damasi iussu emenda- se. Si quis autē quærat cui auctori sit uetus illa interpretatio inscribenda, Respondemus, nec nobis esse nec Antiquis Pa- tribus fuisse notum Auctorem, quem tamen antiquissimum esse omnes fatentur, cum huius interpretationis uerba uetu- tissimi Patres recitent. An uerò eadem interpretatione nūc quoque utatur Ecclesia, & quæ ipsius sit ueritas, & auctori- tas mox declarabimus.

Dubium.
Responsio.

An præter iam enumeratas aliæ quoque sint latinæ interpretationes, & quæ. Atque inter latinas quænam dicatur uulgata uetus.

Cap. XXXI.



N præter eas, quas recensuimus, latinæ interpre- tationes aliæ adhuc supersint enumerandæ con- siderantibus nobis, obuia in primis sit uulgata ue- tus editio, quam diuersam esse ab illa quam uete- rem tum Gregorius, tum Augustinus & Hieronymus appel- labant, multis argumentis demonstrari posset, ex quibus nos pauca, certissima tamen, adducemus. Constitutum quidem il- lud à nobis de communi Patrum sententia fuit, ueterem illā interpretationem non ex hebræo, sed ex græca 70. interpre- tum

Vulgatam
editionem
diuersam
esse à Vete-
ri. Probatur.
1. Argum.

argum. tum conuersione manasse, cum qua concordem illam ab Hebraica editione plurimum discrepare; Quæ autem nunc est uulgata latina, si utrique comparetur, cum hebraica conuenire, à græca uerò abhorre deprehenditur, quo solo argumento facile euincitur, eandem à ueteri esse diuersam. Id ipsum uerò ex eo quoque ostenditur, & quasi digito demonstratur, quòd Hieronymus loca aliquot nominatim notauit, ipsamet uerba ex ueteri interpretatione recitans, quæ in hac nostra uulgata aliter se habere comperiuntur: ut, exempli causa, in GENESI legebatur [Venerunt pueri Isaac, & nunciauerunt ei de puteo quem foderunt, & dixerunt non inuenimus aquam, unde appellatum est nomen eius iuramentum] ET rursum [Viri Sodomorum erant mali, & peccatores uehementer in conspectu Dei] ITEM [Facta sunt autem non insignia Labam, insignia uerò Iacob] Rursum [Mutauit mercedem meam decem agnis] ET [Maledictus omnis qui pendet in ligno] & [Maledictus omnis qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt] Quæ quidem omnia aliaque eiusmodi plurima loca à Hieronymo in suis scriptis & commentariis, præsertim uerò in Hebraicis Quæstionibus, in libro de optimo genere interpretandi, & in epistola ad Suniam, & Fretellam ex ueteri interpretatione recitata, nunc diuersè leguntur in uulgata latina conuersione, quam propterea à ueteri sciunctam omnino esse fateri compellimur: Sed à Hieronymi quoque interpretatione eandem diuersam esse rationibus concluditur. Habemus enim Psalterium ab ipso Hieronymo ex Hebræo conuersum, quod à uulgato ualde discrepare collatione ipsa intelligere qui uis facile potest, quod quidem uulgatum cum 70. interpretum conuersione potius concordem esse, ab Hebraica uerò editione abhorre re norunt eruditi omnes. Præterea uerò Hieronymus in Commentariis & quæstionibus suis, ut ipsius studio si meminisse possunt, plurima loca obseruauit in Græca 70. interpretum

&

Gen. 13.
Gen. 30.
Gen. 31.
Deut. 21.
Deut. 27.

Argumenta quibus probatur uulgatam interpretationem non esse Hieronymi.
1. argum.
2. argum.

& ueteri latina conuersione malè interpretata, quæ ipse corrigenda putabat, nec tamen nunc immutata leguntur, ex quo apertè intelligitur uulgatam hanc interpretationem ab ipso non fuisse Hieronymo editam. Huiusmodi autem exempla si quis à nobis postulet, aliquot statim producemus, legimus enim in uulgata nostra latina [Spiritus Domini ferebatur super aquas] Hieronymus corrigebat [Incubabat] siue [Confouebat] legimus [Egrediamur foras] ipse hæc uerba ut supernacanea auferebat. Rursum uulgata habet [Respexit Deus ad Abel; & ad munera eius, ad Cayn autè & ad munera eius non respexit] ille [Et inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius, super Cayn autem, & super sacrificium eius non inflammauit] Vulgata [Vt ambularetis in atrijs meis] Ille [Calcare atriū meū nō apponetis] Vulgata [Facta sunt mihi molesta] ille [Facti estis mihi in facietatē] Vulgata [Eritis uelut Quercus] ille [Et eritis uelut Terebinthus] Vulgata [Plāta uit uineā electā] ille [Plantauit uineā Sorech] Vulgata [Apre hédite disciplinā] ille [Adorate pure] Vulgata [Filij excusorū] ille [Filij iuuentutis] Vulgata [Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum] ille [Væ qui dicunt malo, bonus es tu, & bono, malus es] Pauca ista ex Veteri Testamento breuiter perstrinximus; Totidem ferè ex nouo profereimus, ut ostendamus eiusdem quoque uulgatam non esse Veterem illam, quam diximus à Hieronymo emendatam, qui legendum monebat [Non contuli cum carne & sanguine] Vulgata habet [Continuò non acquieui carni & sanguini] ille [Arabonem] Vulgata [Pignus] ille [Indolentes semetipfos tradiderunt impudicitia] Vulgata [Desperantes] ille [Si tradero corpus meum ita ut glorier] Vulgata [Ita ut ardeam] ille [Sapere ad prudētiam] Vulgata [Sapere ad sobrietatem] ille [Panem nostrum substantialem] Vulgata [Panem nostrū quotidianum] ex quibus concluditur Vulgatam editionem tum ueteris tum noui Testamenti diuersam esse à Hieronymi

Gen. 1.

Gen. 2.

Isa. 1.

Isa. 1.

Quæsti. hebraic.
Isa. 5.
Isa. 5.
Gen. 3.

a psal.
b psal.
d Apol. ad uerf. Ruffinm.
e super eodem psal.

mi

mi ex Hebræo interpretatione, atque eiusdem ex græco noui Testamenti correctione, quam cum paulo ante sit demonstratum à Veteri pariter latina interpretatione discrepare, iam conclusum uidetur præter enumeratas iam pridem latinas conuersiones superesse Vulgatam istam, illis comitem adiungendam; ex contrariò probatur earum alteram necessariò esse hanc, quam diximus uulgatam, cum in ipsa scripturæ uerba ita se habeant, sicut in antiquorum Patrum monumentis recitata leguntur, atque certum sit ipsa fuisse semper usam ecclesiam saltem post tempora magni Gregorij, quem solas eas nouisse, quas B. Hieronymi & ueterem esse diximus, atque iisdem solis uti consueuisse, tum ipsum tum Romanam ecclesiam superiori capite ostendimus; nec credibile sit maximæ auctoritatis interpretationes fuisse simul explosas extinctasque à noua alia conuersione, cuius nec auctor notus esset, nec origo certa, nec auctoritas & ueritas ab Ecclesia uel Patribus olim comprobata, atque Veteri & Hieronymi conuersionibus prælata, quæ omnia de hac Vulgata editione dicenda essent, si neutra illarum esse ipsa putaretur, quarum alteram omnino esse ex singulis etiam locis inter se comparatis deprehendi potest, atque aliis præterea rationibus concluditur, ut mox cognoscemus, quænam illarum sit examinantes, nam istud quoque eo constituto in dubium uocatur, quo explicato utrumque pariter definitur; singularis enim quæstio diluta communem dilucidat, quare operæpretium erit pro utraque controuersia simul dirimenda, nominatim demonstrare quænam illarum sit hæc uulgata interpretatio. Quam quidem suspicari quispiam posset esse eam ueterem potius quàm Hieronymi; Psalterium enim non esse Hieronymi, nec ex Hebræo in latinum conuersum paulo ante fuit demonstratum; quòd uerò sit ipsummet uetus ex eo præterea concluditur, quòd si legamus Hilarium, Ambrosium, Augustinum, cæterosque omnes latinos Tractatores Psalmos exponentes, & alio-

Quòd uulgata editio latina sit necessariò saltem altera distarum interpretatio.

Quòd uulgata editio sit illa uetus præbatur.
1. Argum.

& aliorum etiam non interpretantium producta testimonia seligamus, atque uerba, & commentaria eiusmodi cum Vulgata latina editione singulatim conferamus, ipsam tum explanari tum recitari ab iisdem antiquis Patribus comperimus; Sapientia quoque Ecclesiastici, & Machabæorum uerba ab antiquissimis Patribus recitata (inter quos ipse est Cyprianus, qui in libro de exortatione ad Martyrium, & alibi frequenter ex illis libris testimonia accipit) cum uulgata editione comparata eiusdem germana deprehenduntur. Deinde uerò quæ loca paulo ante protulimus tum ex ueteri, tum ex nouo Testamento à Hieronymo emendata, sicut eo modo non leguntur correctæ, ut Hieronymus iudicauerat corrigenda, ita iacent nunc in iisdem mendis à Hieronymo notatis, quod apertè testatur, ueterem illam nunc uulgatam esse interpretationem. Denique uulgata hæc caret obelis, & asteriscis, quos HIERONYMVM addidisse ferunt, & ipse testatur dicens (Consueta præfatione commoneo tam uos, quibus forte labor iste defudat, quam eos, qui exemplaria istiusmodi habere uoluerint, ut quæ diligenter emendauit, cum cura & diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque uel iacentem lineam, uel radiantia signa, id est obelos; uel asteriscos, & ubicunque uiderit uirgulam præcedentem ab ea usque ad duo puncta, quæ impressimus, sciat in 70. Translatores plus haberi; ubi autem perspexerit stellæ similitudinem, de Hebræis uoluminibus additum nouerit, æque usque ad duo puncta iuxta Theodotionis dumtaxat editionem, qui simplicitate sermonis à 70. interpretibus non discordat, id ipsum quoque alibi ipse fatetur: eiusmodi autem notæ, Vulgatæ editioni nullibi asperse sunt, quod quidem declarat eam neque ex Hebræo conuersam, neque ex Græco emendatam fuisse ab ipso Hieronymo, sed ueterem esse in pristino, & antiquo statu constitutam. Eruditi nihilominus uiri arbitrantur, ac palam asserunt, ipsam esse Hieronymi; quod quidem in primis

2. Argum.

3. Argum.

Præf. in Psalt. ad Paulam, & Eustochium.

1. Argum.
In Isa. c. 49
Apol. ad
uer. Ruffi-
num
2. Argum.
Ep. in lib.
Iob.

mis demonstrant ex libris Prophetarum, in quibus expla-
nandis Hieronymus profiteretur se tum ueterem, tum suam
conuersionem explicatione dilucidare, id ipsumque cumula-
tè præstitisse deprehenditur, sed illam et, quam suam ipse uo-
cabat conuersionem, nunc uulgata dicitur. Magnus deinde
Gregorius in epistola quam ad Leandrum scribit, fatetur se
nouam (Hieronymi scilicet) explanare conuersionem libri
Iob, quam autem ipse dilucidauit, eadem nunc est uulgata,
ut lectio ipsa declarat. Præterea dicebat Hieronymus, in Ve-
teri interpretatione libri Iob defuisse plusquam octingentos
uersiculos, qui quidem in uulgata nostra non desunt, ut potè
qui à Hieronymo fuerant restituti. Adhæc testatus est ipse
HIERONYMVS se singulis libris canonicis à se conuersis Præ-
fationes adiunxisse, quibus se de obiectis calumnijs purga-
ret, quod quidem sæpius repetit, & aduersus Ruffinum scri-
bens ait [Cogor per singulos Diuinæ Scripturæ libros re-
spondere maledictis aduersariorum, qui interpretationem
meam criminantur esse reprehensionem. 70. Interpretum]
huiusmodi autem Hieronymi Præfationes nunc in uulga-
ta editione leguntur singulis libris annexæ, quas saluas &
incolumès mansisse deleta ac repudiata Hieronymi inter-
pretatione, & alteri præterea conuersioni fuisse adiunctas
nullus mentis compos sibi persuadere unquam poterit, qua-
propter unà cum Præfationibus singulæ quoque annexæ &
uulgatæ interpretationes erunt ipsi Hieronymo iure ascribèn-
dæ. Atque ex eiusmodi Præfationibus singulis possunt argu-
menta duci ad singulorum librorum interpretationem agno-
scendam: ut exempli causa, cum profiteretur Hieronymus se
conuersioni ex Hebræo quædam addidisse ex Veteri latina
editione sumpta, quæ nunc in uulgata conuersione nos le-
gimus, scribit enim ipse [Quæ habentur in Hebræo plena fi-
de expressi, Hæc autem quæ sequuntur scripta reperi in edi-
tione uulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur,

&

& interim post finem libri hoc capitulum ferebatur, quod iux-
ta cōsuetudinem nostram obelo, id est ueru prænotauimus]
SIMILITER cum asserit se multa adiunxisse Danielis libro;
quæ quidem in uulgata editione leguntur, inquit enim [Da-
niel apud Hebræos nec Susannæ habet historiam, nec hym-
num trium puerorum, nec Belis Draconisque fabulas; quæ
nos quia in toto orbe dispersæ sunt, uerò anteposito, easque
iugulante subiecimus, ne uideremur apud imperitos magnā
partem uoluminis detruncasse] Præterea idem ex eo aperte
concluditur, quòd eruditus qui uis intelligit uulgatam istam
conuersionem tam cum Hebraica editione concordem esse,
quàm à 70. Seniorum interpretatione abhorrentem. Quòd
autem Vetus latina ex Græca 70. interpretum conuersione
manuerit, quæ uerò fuit Hieronymi ex Hebræo in latinum
deriuauerit, atque prima & sola antiquis illis temporibus ex
eo scnte ducta sit, nemo negat, & superiori capite nos uete-
rum testimonia, ^a Augustini præsertim, ^b Ruffini, ^c & Hiero-
nymi producentes cumulatè demonstrauius: Denique id-
ipsum apertissime deprehenditur ex accurata singularium
aliquot locorum tum cum Hebraico codice, tum cum Hie-
ronymi dictis collatione. Nō solùm. n. Adam anni antequàm
Seth filio auctus esset cxxx. numerantur in hac uulgata no-
stra editione, & ab ipsius Seth ortu usq; ad eiusdè Adā obitū
dccc. cū illi cxxx. isti uerò dccc. in græca 70. interpreta-
tione narrantur, & rursus in nostra ab Adā usque ad Diluuiū
anni cldclvi. & à Diluuiō ad Abrahā cclxxi. itercessif-
senarratur, cū illos cldclxxxii. istos uerò cldclxxii.
fuisse 70. cōmemorent, & innumera alia maximi momēti di-
scrimina inter uulgatam latinam, & græcam conuersionem
obseruantur, in quibus ipsa uulgata ne transuersum quidem
unguem ab Hebraica editione discedit; sed etiam in ea lectio-
nem sic immutatam nunc habemus, quemadmodum uerba
Hebraica sonare Hieronymus nominatim monuit, ut in Ge-

R nesi

3. Argum.

4. Argum.

Bibher.
c. 10.

a Ep. 8. 10.
ad Hiero.
18. de Ciu.
Dei.
b Aduers.
Hierony.
c Descrip.
eccle.
6. Argum.

Gen. 2. nesi [Virgo] nunc legitur, non [Mulier] & [Compleuitque
 Quæf. Heb. Deus die septima] non ut prius [Sexta] & [Immisit Deus so-
 Gen. 2. pore] Non [Estasim] & [Egressus inde uenit uerno tempo-
 Gen. 2. re] non [In Hippodromū] ut 70. legisse Hieronymus affir-
 Gen. 3. 5. mat, uel [In Chibratha] ut nos in eo, quem habemus, 70.
 interpretum codice legimus. Hæc quidem sint ueteris Testa-
 menti exempla: Noui aut hæc, quæ adscribimus, sequentia
 loca: Hieronymi correctionibus emendata, in Vulgata enim
 Rom. 12. legimus [Domino seruientes] ut Hieronymus emendabat,
 non ut uetus habebat [Tempori seruientes] & Mulier innu-
 1. Cor. 7. pta & virgo] ut Hieronymus, non ut Vetus [Mulier diuisa
 a Contra & virgo] & [Quibus neque ad horam cessimus] ut Hierony-
 Iouin. mus, non ut Vetus [Quibus ad horam cessimus] & [Për-
 Gal. 2. sua-
 a Ibidem. fio: hæc non est ex eo qui uocat nos] ut a Hieronymus, nõ ut
 Gal. 5. Vetus [Për-
 a Ibidem. suasio uestra ex Deo est] & [Qui est pignus hæredi-
 Eph. 1. tatis nostræ in redemptione] ut a Hieronymus, non ut Vetus
 a Ibidem. [Adoptione] & [Fidelis sermo] ut Hieronymus, non ut Ve-
 a. Tim. 2. tus [Humanus sermo] Eiusmodi igitur exëplis præter iã alla-
 tas rationes concludi uidetur, hanc uulgatam latinam editio-
 nem esse Hieronymi, in quam quidem sententiam multi iue-
 runt: eruditi, alij tamen oppositis argumentationibus ue-
 a Ioannes hementius persuasi eandem esse Hieronymi negarunt. Rur-
 Picus. sus a alij inter sepugnantibus rationibus utrinque oppugna-
 a Augusti- ri in neutram discedere sententiam statuerunt, sed tertiam
 nus Eugu- ipsi sententiam ferentes, ex Veteri & Hieronymi conuersio-
 nus. ne permixtam esse ipsam Vulgatam asseruerunt. In tanta au-
 Sanctes Pa- tem eruditorum disensione difficile oportet esse iudicium,
 gninus. b Paulus nec tamen propterea reticendum, dicemus igitur nos etiam
 b Paulus quod sentimus, illud in primis pro comperto habentes Vul-
 episcopus gatam editionem non posse ab utraque conuersione (Vete-
 Forosemp. ri scilicet & Hieronymi) esse omniuo diuersam, quod qui-
 Io. Driedc. dem docti omnes fatentur, atque rationes paulo ante addu-
 c Sixtus Se- ctæ non obscure demonstrant; Quare necessaria consecutio-
 nen. ne
 Auctoris opinio.

ne concluditur ipsam Vulgatam uel esse illam Veterem, uel
 à Hieronymo editam, & emendatam, uel ex utraque com-
 positam; quod tertium & postremum partitionis membrum
 adhuc partiendum est, uel enim ita est ex utraque composita,
 ut in singulis libris permixta sit, uel diuersorum librorum
 diuersæ pariter sunt aliquando interpretationes, non qui-
 dem confusæ, sed diiunctæ, cum singulæ singulis libris re-
 spondeant: Quam totius diuisionis postremam particulam
 nos arripientes ad Vulgatam editionem ipsam accommoda-
 re tentabimus. Dicimus itaque Pentateuchum, Iosue, Iudi-
 cum & Ruth librum, libros Regum, & Paralipomenon, To-
 biam, Iudith, Esther, Esdras, Prophetas omnes, Canti-
 cum Canticorum, Prouerbia & Ecclesiasten Salomonis, &
 librum Iob, nunc legi in uulgata editione, sicut Hieronymus
 non quidem ex Græca 70. interpretatione, sed ex Hebræo
 in latinam illos conuertit. Exceptis tamen septem postremis
 Esther capitibus, & historia Susannæ, Belis, & Draconis, at-
 que trium puerorum hymno, Quas particulas cum in He-
 braicis codicibus ille non reperisset, tum ex Græca ab ec-
 clesia usitata interpretatione in latinam conuertit, tum à
 ueteri uulgata editione accepit, ut ipsemet palam testatus
 est: Hos uerò libros omnes Hieronymum conuertisse &
 ecclesiam eius conuersionem usu comprobasse, ut eadem
 uulgata dicatur, illud nobis maxime persuadet, quod inter-
 pretationi cum hebraicis codicibus congruenti adiunctæ
 sint ipsius HIERONYMI certissimæ singulorum librorum
 Præfationes, quas à se annexas iisdem libris fuisse sæpius indi-
 cavit. Psalterium quoque ex Hebræo idem conuertit, quod
 ad Sophonium misit, & nunc est unà cum Præfatione super-
 stes, nec tamen uulgatum est, id ipsum præterea ex græca 70.
 interpretum germana & incorrupta conuersione in latinam
 linguam accuratissime transtulit, quod ipse testatur ad Suniã
 & Fretellam scribēs [In quo breuiter admonco, ut sciatis aliã
 esse

Præf. in
 Dan.
 Esther.
 c. 10.

Psalteriũ.

Epist. ad Su-
 niam & Fre-
 tellam.

esse editionem, quam Origenes, & Cæsariensis Eusebius, omnesque Græci Tractatores κοινή, id est communem, atque vulgatam, & à plerisque nunc λικιανός dicitur, aliam 70. interpretū, quæ & in ἑξαπλόῃs codicibus reperitur, & à nobis in latinū sermonem fideliter versa est]. Quod pariter non est vulgatum; in eo enim teste Hieronymo deerant illa verba [Dirige in cōspectu tuo viam meam] quæ nos in vulgata editione habemus, in qua etiā ubi legitur [Quiescere faciamus omnes dies festos] 70. & alij eodē teste legebant [Incēdamus, siue, Cōburamus] rursus ipsi legebant [Petra refugiū leporibus] ubi nos legimus [Petra refugium Erinaceis] Præter quas duas ex Hebræo, & Græco cōuersiones, Veterē quoque latinā se emendasse Hieronymus testatur, atque eandem iterū deprauatā (Scribarū. n. incuria ipsæ correctiones paulatim euauerāt) rursus diligentissime correxisse fatetur ad Paulā & Eustochiū scribēs [Psalteriū Romæ dudū positus emēdarā, & iuxta 70. interpretes magna tamen ex parte correxerā, quod quia rursus videtis à Paula & Eustochium scriptorum vitio deprauatū, plusque antiquum errorem, quā nouam emendationem valere, me cogitis, vt veluti quodam nouali scissum iam aruum exerceam, & obliquis sulcis renascentes spinas eradicē, equū esse dicentes, ut quod crebrò malè pullulat, crebrius succidatur. Vnde consueta præfatione commoneo tam vos, quibus fortè labor iste defudat, quā eos qui exemplaria istiusmodi habere voluerint, ut quæ diligenter emendauī, cum cura & diligentia transcribantur. Notet sibi unusquisque uel iacētē lineam, uel radiantia signa, id est obelos uel asteriscos, & ubicunque uiderit uirgulam præcedentem, ab ea usque ad duo puncta, quæ impressimus, sciat in 70. Translatoribus plus haberi, ubi autem perspexerit Stellæ similitudinem, de hebræis Voluminibus additam nouerit, æquē usque ad duo puncta iuxta Theodotionis dumtaxat editionē, qui simplicitate sermonis à 70. interpretibus non discordat] Hanc itaque ueterem

lati-

latinam interpretationem à Hieronymo emendatam dicimus esse nostram Vulgatam, eandemque esse Græcam, Lucianeam, siue κοινήν de qua Hieronymus dicebat [κοινή, autem ista, hoc est communis, editio, ipsa est quæ & 70. sed hoc interest inter utramque, quod κοινή pro locis & temporibus, & pro uoluntate scriptorum ueterum corrupta editio est] in ea enim ita legebantur, ut in nostra uulgata leguntur, illa omnia, quæcunque aliter legi in 70. interpretum cōuersione pauloante dicebamus, auctorem sequentes ipsum Hieronymum in hac eadem ad Suniam, & Fretellam epistola; in qua ipse pariter testatur Lucianeam lectionem talem fuisse, qualem nunc nostram uulgatam esse nos experimur; nam eadem uerba ex ipsa recitat, quæ nos in uulgata habemus. Sed dicet quispiam, Veterem illam interpretationem à Hieronymo emēdatam obelis & asteriscis notatam fuisse, quibus nostra cum careat, ab ea diuersa deprehenditur. Cui respondemus, mirum nobis nō uideri quod in cccc, annis (totidem enim iam intercesserunt) imò & in solis quingentis, notas illas adiunctas librariorum culpa euaniisse, quæ uiuo Hieronymo iterum periisse, & quidem breuissimo temporis interuallo, ipse testatur ad Paulam & Eustochium scribēs, cuius uerba iam recitauimus; atque iccirco in recenti memoria, & quasi ante oculos sita repetere superuacaneum iudicamus. Quod si quis præterea quærat, tot alijs scripturæ libris, quos Hieronymus in latinum ex Hebræo conuerterat, ecclsiæ usu ad nostra usque tempora, ut diximus, comprobatis, Psalterium ab eodem pariter conuersum cur ecclsiā similiter non probarit, sed potius ipsum Vetus ab illo emendatum suscepit. Respondemus, inter omnes Canonicos libros Psalterium in omnium ore frequentissimè uersari; Psalmi enim tum publice in ecclsijs statutis horis cani semper consueuerunt, tum à singulis fidelibus priuatim ad ipsorum usum, fructumque pronunciantur; ut potè qui ad singulos

R 3 tum

pl. 5.
Epi. ad Suniam & Fretellam.
Eadem ep.
Eadem ep.
Pl. 103.

Præf. in Psalt.

Epi. ad Suniam & Fretellam.

Dubium.

Responsio.

Præf. in Psalt.

Dubium.

Responsio.

tum affectus moderandos, tum mores temperandos sint maxime opportuni; ex quo fit, ut non solum eruditi uiri, uel etiam Ecclesiastici, sed idiotæ, pueri, foeminae ex hoc canonico libro multa memoriter recitare soleant, & in pluribus præterea eiusdem ab alijs recitatis errores (si qui fortè ex ore pronunciantis exciderint) animaduertere sciant. Eius itaque inueterata lectio in omnium sermone, memoria & auribus hærens, egrè admodum, uixque diuelli, depelli, mutari potest: Qua tanta difficultate cæterorum librorum nouæ lectiones (Veteris præsertim Testamenti) non premuntur. Nō debet igitur esse mirū, si Hieronymi ex hebræo cōuersio in cæteris libris Veteri prælata, in ipso Psalterio fuerit posthabita, cum eiusdem Veteris correctio ipsa paulatim pulsa, uix secundo admissa locum tenuerit in Psalterio, in quo HIERONYMVS dicebat [Plus antiquum errorem, quam nouam emendationem ualere] quamuis in ipsa etiam correctione modeste admodum se gessisset HIERONYMVS, cum à ueteri Psalterij lectione nunquam nisi coactus disceserit, ne nouitate lectorum offenderet, ut ipsemet profiteretur inquit [Nos emendantes Psalterium olim, ubicunque sensus idem est, ueterum interpretum consuetudinem mutare nolimus, ne nimia nouitate lectoris studium terreremus] libros autem Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum, cum in hebræis codicibus partim non inuenirentur, & omnes extra Canonem Hieronymus collocarit, facile concedimus fieri posse, ut nunc secundum Veterem, quam diximus, editionem legantur. Testamentum denique nouum dicimus totum nunc legi secundum Veterem editionem, à Hieronymo tamen emendatam. Si hæc enim non est, quænam alia (quæso) esse potest uulgata? cum Hieronymus non couerterit, correctiones eadem manent, Verba cum Antiquorum Patrum testimonijs & commentarijs mirè conueniant, Damasi summi Pontificis iussu Veterem editionem iam Ecclesiæ iudicio & cōsuetudine com-

proba-

probatam Hieronymus emendans in incorruptū statum restituerit, eius correctionem ab omnibus probatam fuisse testetur Augustinus, nullam postea conuersionem factam legamus, quam si ueteres exploræ ab ipsa essent, magni utique nominis & auctoritatis fuisse oporteret. Nostram autem sententiam de uulgata editione in singulis canonicis libris distinctam, & multiplicem proferentes, simul etiam oppositas argumentationes diluimus, una excepta, quæ loca aliquot à Hieronymo emendata, uel emendanda obijciebat, nunc in ueteri illa ipsorum lectione nihilominus manentia. Ad hoc igitur respondententes dicimus, parum istius discrepantiæ multiplices fuisse causas, primam autem arbitramur esse librario- rum culpam, qua libros sæpius corrumpi nouimus; eorum igitur iniuria fieri potuit, ut omniſsæ quædoque fuerint Hieronymi correctiones. Secundam causam dicimus fuisse ipsiusmet Hieronymi iudicium, cui non est uisum quandoque opportunum usitatam uocem immutare, quæ tolerari facile posset; ut aliam arriperet, quæ aliquantulum significantius rem eandem exprimeret, quod accidit Voci [Ferebatur] quæ Hieronymus in quæstionibus Hebraicis non reprehendebat ueluti ineptam & rei parum congruentem, sed uocem [Incubabat] rem apertius & significantius exprimere affirmabat, ob hoc tamen paruum discrimen noluit in ipsa interpretatione quam edidit, receptum & usitatum uocabulum repudiare: Aliquando etiam Nominum uires & Origenes diligentius ipse expendens è pristina sententia decessit, & quod dixerat uno modo interpretandum, alio postea interpretatus est, ut, exempli causa, [Nazarenus ex radice eius ascendet] couertendum esse dicebat non [Flos] atque ad hunc Isaia locum nos allegare MATTHÆVM dicentem [Scriptum est enim quia Nazarenus uocabitur] Nihilominus ipsemet Isaiam ex Hebræo in latinum conuertens, id ipsum uocabulum interpretatus est [Flos] cuius interpretationis causam affe-

R 4 rebat

Epi. ad Suniā & Fratellam.
Præf. in Psal. ad Paul. & Eustoch.

Lib. Sap. ccc. Matt.

Test. nouū.

Epi. ro. ad Hier.

Responsiones ad obiectas argumentationes.

Gen. 1.

Isa. 11.

a De opt. gen. interp. Matth. 2.

Com. in
Matth.

rebat huiusmodi in Commentarijs [Illud quod in Euangelio Matthæi omnes quærunť Ecclesiastici, & non inueniunt ubi scriptum sit. Quoniam Nazareus uocabitur, eruditi Hebræorum de hoc loco assumptum putant, sed sciendũ quod hic **N E Z E R** per Sade litteram scribitur, porrò Nazarei, quos 70. sanctificatos, Symachus separatos transtulerunt per **ZAI** semper scribuntur elementum] in commentarijs etiam Matthæi ait, ipsum Matthæum non ad Isaiam nos allegasse, sed omnes Prophetas indicasse. Tertiam denique causam dicimus esse Ecclesiæ iudicium, cui antiquam lectionem alicubi retinere fortasse placuit, cui de Hieronymi iudicio iudicare licuit, ut exempli causa iudicabat Hieronymus rectius interpretandum esse [Lasciuientem] quam [Refręnantem] cum ait [Aquila interpretatus est incuruum atque peruersum, in curuo senes intelligi uolens, in peruerso lasciuientes pueros, qui omnia peruersa faciunt] quam interpretationem ipse Hieronymus approbare uidetur, & & Ecclesia nihilominus legit [Refręnantem] in Ecclesia igitur iudicium, in Hieronymi opinionem, & in scribarum culpam causas omnes conferimus cuiuscunque discrepantię editionis Vulgatę ab ea, quę Hieronymi esse demonstratur, quas interpretationes in plurimis, ut dictum est, Canonicis libris unam & eandem esse asserimus. Quoniã uerò de ea interpretatione sapius mentionem fecimus, quam se edidisse Hieronymus testabatur congruentem cum ipsa integra & incorrupta 70. interpretum conuersione, atque lectione ea, quę est in *εξαρτοις* nec tamen eiusmodi Hieronymi conuersionem uulgatam esse diximus, interrogabit fortasse aliquis, an ipse quoque legatur. Cui respondemus, Conuersionem illam Totius Veteris Testamenti tamdiu in silentio iacuisse, cum sola uulgata ab omnibus legeretur, ut iam perijsse dolendum sit, nisi fortè alicubi (quod nos ignoramus) adhuc occulta seruetur. Cæteris igitur interpretationibus latinis iã

in

in silentio & obliuione iacentibus, sola ipsa uulgata Ecclesię consuetudine iam diu comprobata triumphabat, cum repente hoc nostro seculo morosiores quidam momi eius senectutem contempserunt, priscam eiusdem locutionem, ueluti barbaram, abhorruerunt, atque latinę, Gręcę, Hebræicęque linguę magistros se profitentes scripturam rursus interpretari non horruerunt, ab Erasmo itaque Rhoterodamo commostratum iter, & ab eodem initum, multi sunt ingressi. Nouę conuersiones undique (ex Germania præsertim) eruperunt, Quot sectarum capita, tot & plures etiam scripturarum conuersiones emerferunt, emerguntque quotidie: Quę tamen abortiuę, & uix natę (ueluti prisci illi, & fabulosi terrigenę) statim inter se pugnant, & se inuicem lacerant; cuiusmodi sunt Zuinglij, Pellicani, Munstheri, Lutheri Castillionis, Serueti, & eius generis reliquę interpretationes, quas omnes conquirere, & nominatim percensere, nec ipsarum præstantia & sanctitas, nec interpretum pietas & auctoritas nobis persuadet.

Quòd Vulgata interpretatio sit omnium latinarum optima, cæteris anteponenda, atque Ecclesię iudicio comprobata, cui obiectę argumentationes diluuntur.

Cap. XXXII.



DOSTOYAM uerò tot undique in Ecclesiam inuectę sunt peruersiores potius quàm Scripturę in latinum cõuersiones, innumerabilibus scilicet, nec ferendis erroribus coinquinatę, quas solùm emendare una litura possët, tum eiusmodi peruersitate commota Ecclesia, tũ assiduus calumniis, ac maledictis compulsa, quibus impii ac nepharii homines, Veterem uulgatam Editionē

ita

Interrogatio.

Responsio.

Latine recentiores interpretationes.

ita exagitabant, ut iam turpissimo cuique ludibrio & despe-
ctui illa esset, ipsius patrociniū palam suscepit, & ab eiusmo-
di molestiis eandem liberare decreuit. Quod uerò cæteras
conuersiones modestè admodum exclusit, tum uetustæ
aliquot in quasdam scripturæ particulas interpretationes, tū
recentiores etiam piorum ac doctorum hominum quædam
conuersiones ipsi Ecclesiæ persuaserunt, quæ omnibus dili-
gentissime in TRIDENTINO CONCILIO consideratis, & diu-
turna disputatione examinatis, tandem Spiritu sancto aucto-
re huiusmodi Canonem promulgauit [Sacro sancta synodus
considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ
Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur,
sacrorum librorum, quænam pro auctoritate habenda sit in-
notescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa Vetus, & uulgata Edi-
tio, quæ longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia probata est,
in publicis lectionibus, disputationibus, & expositionibus
pro auctoritate habeatur, & ut nemo illam reuicere quouis
prætextu audeat, uel præsumat] Quid uerò mirum Ecclesiam
scripta sententia eandem Editionem publicè approbasse, quæ
communi, constantique consuetudine à Magni Gregorii Pô-
tificatu usque ad hæc tempora, quasi tacito testimonio ac iu-
dicio comprobauerat? Cuius uetustiolem portionem Augu-
stinus Italiam uocans, cæteris omnibus anteponendam iudi-
cabat; Reliquam uerò magis nouam ueracem esse tum Iudæo-
rum testimonio (ut uidimus) idem affirmabat Augustinus, tū
GREGORIUS testabatur inquit [Quoniam hæc noua
Translatio ex Hebræo nobis Arabicoque eloquio cuncta ue-
rius transfudisse perhibetur, credendum est quicquid in ea
dicitur] atque ex illa cæteras corrigendas Cassiodorus, ut
diximus, monebat; & ISIDORUS prædicabat [Hieronymus
ex Hebræo Diuinas scripturas conuertit, cuius interpreta-
tio omnibus anteponitur] ac cæteri omnes Patres uariè il-
lam commendabant, ex qua denique ipsi Græci, ut Hiero-
nymus

nymus ipse frequenter testatus est, in suam linguam multa
transferre nō abhorruerunt. An ecclesiam Verbi Dei custo-
dem (Romanā præsertim) latina ueraci interpretatione tot
seculis caruisse pius aliquis dicere audebit? An tot Genera-
lia Concilia, quæ uulgata editione Dogmata confirmarunt,
Hæreses confutarunt, sacros canones ediderunt, delusa, de-
cepta, mentita esse concedere non horrebit? An ad græcos
& hebraicos codices nobis esse in singulis confugiendum
affirmare non dubitabit? Quod per fugium semper quidem
difficile esse omnes norunt, aliquando etiam ἀδύνατον fuisse il-
li sciunt, qui meminerunt se legisse ex D. C. latinis episcopis,
qui ad Ariminense Concilium conuenerant, ne unum qui-
dem fuisse, qui græcas calleret litteras, quos Græcam lin-
guam, non admodum ignotam, nescientes, an hebraicam
nouisse putabimus? Sed nec præterea tutum istud per fugiū
esset, imò inconstans ualde, & maxime periculosum illud
eruditi Viri experiuntur; nō solum enim ab hostibus nostris,
(Iudæis scilicet, & Schismaticis Græcis) petenda Scripturæ
ueritas tunc esset, sed ex multis, uarijs, dissimilibus, & inter
se pugnantibus uel græcis, uel hebraicis exemplaribus uera
lectio esset inuestiganda; quæ aut nunquam, aut rarè & uix
inueniretur, cum ipsi Codices tum Græci tum Hebraici cor-
rupti, & mendis inquinati esse deprehendantur, ut paulo post
fusè demonstrabimus. Huic tamen Vulgatæ editioni Eccle-
siæ tum Canone, tum perpetua consuetudine comprobatæ
obijciunt nonnulli uerborum aliquot hebraicorum minus
ueracem, & aptam interpretationem, ut, exépli causa, quod
in Genesi [Bdellium] est interpretatum, illud propriè sona-
bat [Lapidem pretiosum] & ubi dicitur [Fraudulenter] he-
braicè sonat [Prudenter] Vbi latinè interpretatum est [Cen-
tum agnis] Hebraicè significabat [Centum numis, seu obo-
lis] similiter ubi legitur] Egressus autem inde, uenit uerno
tempore ad terram, quæ ducit Ephratha] Verba hebraica
signifi-

Sess. 4.

Li. 20. mo-
ral. c. 25.De Diu. le-
ctio.
6. etym. 5.
De script.
eccl.
a Ep. ad so-
phom.
a Aduer.
Ruffinum.Ruffinus
huiusce li.
10. c. 21.Obiecta ar-
gumenta
Vulgatæ
editioni.
1. Argum.
Gen. 2.

Gen. 27.

Gen. 33.

Gen. 35.

significat [Et profecti sunt de Bethel, fuitque adhuc quasi stadium terræ ad locum Ephratha] rursus ubi dicitur [Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine] Non aquas calidas inuenisse, quæ in deserto esse non poterant, sed nouam generationem mulorum reperisse tum uocibus hebraicis, tum loco ipso maxime congruit. Vbi etiam legitur [Non permanebit spiritus meus] Verba hebraica sonant [Non iudicabit spiritus meus in homine in sempiternum] quam lectionem Hieronymus etiam commendat, ut non solum cum hebraicis uocibus, sed cum Dei quoque benignitate & misericordia apprimè congruentem. Pauca ista ex Genesi selecta loca male (ut uidentur) conuersa argumento sint nobis reliquorum similium, quæ ex cæteris tum Veteris tum Noui Testamenti libris peruersè interpretata seligi possent, nam omnia colligere & singula respondentes examinare nimis longum esset, atque hæc sola disputatio integrum sibi opusculum postularet. Deinde obijciunt Barbarissimos & solæcissimos, quibus uulgata editio referta est, ut exempli causa [Nonne uos magis plaris estis illis?] & [Non uenit ministrari, sed ministrare] & [Non ex sanguinibus] Locutionem quoque barbaram & rusticam esse dicunt, in qua nec eloquentiæ, nec grammaticæ rectus sit usus. Atque breuiter respondentes dicimus, Hebraica Vocabula multiplices habere significationes, atque iccirco recentiores Iudæos punctis illas seiungere solere, ueluti uocalibus, quæ puncta nos admittere non debemus, ut potè quibus florens olim synagoga non sit usæ; eisdem autè Talmudistæ, quasi uinculis, scripturam constrinxerint: illis itaque remotis, dicimus in productis exemplis hebraica uerba non minus latinæ conuersionis uoces, quam correctionis sonare, nec esse ἀδύνατον, ut in deserto aquæ calidæ Dei uoluntate inuenirentur. Verbum quoque hebraicum ubi legitur [Non permanebit spiritus meus] tum manere æque significare, ac iudicare, tum eiusmodi illius significationem Dei

Gen. 6.

Quæst. in Gen.

2. Argum.

Matth. 6.
Matth. 20.
Io. 1.Responso.
ad primū.

Gen. 6.

Dei misericordiæ perinde congruere, atque iudicare, imò esse eundem sensum. Non permanebit enim intelligendus est ut iudex, spiritus in Dei homine, hoc uerò idē est, quod nō iudicabit. Nullum tamen mendum in Vulgata editione esse non affirmamus, sed librariorum culpa aliquot irrepisse fatemur: Quos errores omnes Cōcilium Tridentinum repudiavit, non admisit, ut falsò criminantur hæretici, atque iccirco Vulgatam istam editionem Summi Pōtificis iussu quàm emendatissime imprimendam reliquit; eiusmodi autem errores sigillatim notare atque corrigere nostri nō est nec muneris nec instituti, quibus sufficit duos quasi responsionū fontes aperuisse, Hebraicarum scilicet uocum maximam ambiguitatem, & Græcarum etiam (quamuis multo minorem) amphibologiam, quam propter Nouum Testamentum non reticendam putamus; Deinde Vulgatæ editionis corruptos Codices. Tertium denique addentes tum hebraicos tum Græcos codices dicimus uitiatos & inquinatos esse, (ut mox ostēdemus) quorum propterea lectionem Vulgatæ nostræ opponere non debeamus. Hæc sint igitur responsionum capita tria, prudentis lectoris iudicio relinquenda, cum singulis calumnijs illa accommodare nobis ad reliqua festinantibus non liceat: Qui tamen Grammaticæ & eloquentiæ crimen alteri obiectum ridemus, cum in ipso Paulo Apostolo, atque illius græcis epistolis non paucos barbarissimos & solæcissimos Hieronymum notasse meminerimus, ipsumque & cæteros Apostolos barbarè & rusticè locutos fuisse à Patribus didicimus, qui eiusmodi infantiam Apostolorum magnificè iactantes in eo gloriabantur, quòd in Piscatorum solæcismis superati essent Attici syllogismi; Nec regulis Donati astringendam esse Diuinam scripturam, uel eius interpretationem Gregorium dixisse nouerimus; CASSIODORVS quoque momentem legerimus [Nec illa uerba tangenda sunt, quæ interdum contra artem quidem humanam posita reperiuntur, sed auctori-

Chemnitius i Cōc. Trident.

Ad secundum.

Pref. in lib. mor. De Diuinis lectionibus c. 15.

au^{ct}oritate multorum codicum uincatur] quod pariter sen-
tiens Hieronymus, Nouum Testamētum emendans, eiusmo-
di Barbarissimos & solēcissimos doctus & sanctus uir ab ipsa scri-
ptura auferre noluit, quibus scioli isti & delicatuli fastidio-
sè stomachantur. Hæc quidem raptim nunc respondentes,
uel ridentes potius, percurrimus, ut pote qui interpretum in-
fantiam non horreamus, auctorum barbariem & rusticitā-
tem commendantes, de qua aliàs copiosè egimus, Aposto-
los & Prophetas rusticè locutos esse demonstrantes, atque
ipsorum diuinam eloquentiam humanæ eloquentiæ, &
Grammaticæ imperare, non earum legibus teneri abundè
ostendentes.

Tit. de
cul.

Quòd præter Græcas & latinas interpreta-
tiones aliæ quoque sint, & Quæ, &
Quantæ in Ecclesia auctoritatis.
Cap. XLIII.



GRÆCAS & latinas scripturæ interpreta-
tiones hucusque enumerauimus, quam in alias
quoque linguas minus communes, & barba-
ras dicta translata fuisse memoriæ prodi-
tum, & experientia compertum est. Narrat
Ecclesiastica Historia Vidfilam Gothorum
episcopum in linguam Gothicam cōuertisse scripturam sub
Valente Imperatore, in cuius exercitu gens illa militabat, &
ab Arrianis Doctoribus ad fidem Christi paulo antè conuer-
sa fuerat, quæ postea interpretatione eadem diu est usa. An-
tiquissima pariter est Syriaca, quam totius ferè Noui Testa-
menti integram nunc habemus: an autem Gothica sit hæc
uetustior ignoramus, cum ipsius Auctoris nomen & ætatem
obliuio deleuerit; post quas numeramus Dalmaticam, siue
Sclau-

Hist. Trip.

Syriaca.

Sclauicā, ea. s. lingua conscriptam interpretationem, qua
nunc Dalmatæ, Sclaui, Bohemi & Poloni utuntur, hanc Po-
puli isti in B. Hieronymum auctorem referunt, qui Gentis
suæ commodis utilitatique seruiens, non solum Canonicos
libros in Patrium & barbarum sermonem conuerterit, sed
à summo etiam Pontifice obtinuerit, ut eiusmodi conuersio-
ne priuatim & publicè possit uniuersa illa Gens perpetuò &
liberè uti; id tamen cum nullibi Hieronymus testetur (qui
minores etiam lucubrationes & vigilias suas reticere non so-
let) nec illustri Auctoris testimonio aliquo expresse com-
probetur, nos quoque huiusmodi interpretationem Hiero-
nymo auctori non facile inscribemus. Trium uerò istarum,
quas enumerauimus, interpretationum interroganti quæ-
nam sit cæteris anteposenda, & quæ cuiusque sit auctoritas
& dignitas, Respondemus, Gothicam tum propter linguæ bar-
bariem, tum propter Arrianam hæresim, qua Gothos illos
interpretes inquinatos fuisse certū est, in nulla unquam au-
toritate, uel existimatione apud Ecclesiam fuisse, nunc uerò
sempiterna obliuione extinctam esse. Sclauicam quoque,
ueluti incerti auctoris, in plebe uersatam, eruditorum nec
manibus attritam, nec iudicio emendatam, à nullo Eccle-
siastico scriptore commendatam, absque auctoritate & di-
gnitate superstitem manere. Syriacam tandem propter Do-
mini nostri reuerentiam, qui ea lingua, ueluti patria, locutus
fuit, cuius linguæ uerba sæpius recitarunt Euangelistæ, qua
Matthæum etiam Euangelium suum conscripsisse nonnulli
suspiciuntur, quæ cum lingua sancta cognationem nescio
quam habere deprehenditur, quamuis incerti auctoris sit hæc
quoque interpretatio, ceteris tamen anteposendam arbitra-
mur, quam etiam antiquissimam, & à multis fidelibus nunc
quoque in Oriente usitatā esse non dubitamus, esti eiusmodi le-
ctioni certam fidem non adhibeamus, cum nullum existet de
ipsa Ecclesiæ iudicium, uel testimonium. Præter quas iam

Sclauica.

Quæ dicta
ru interpr.
sit antepo-
nenda.

enu-

enumeratas cōuerfiones innumeras ferè olim extitiffe fingulis Nationibus proprias & familiares THEODOR ETVS ipfe testatur dicens [Hebraici uerò libri non modò in Græcum Idioma conuerfi funt, fed in Romanam quoque linguam, Aegyptiam, Perficam, Indicam, Armenicamque, & Scithicam, atque adeo Sauromaticam, femelque ut dicam linguas omnes, quibus ad hanc diem Nationes utuntur] Nostro quoque feculo Canonicos libros conuerfos esse scimus in Germanicum Gallicumque sermonem, & in alias pariter linguas translatos. Quàm autem bene ipsi, qui utuntur, uiderint.

An Vulgatam latinam editionem ita probet ecclesia, ut eam, quæ 70. seniorum est, interpretationem, & Hebraicam editionem, ac Noui Testamenti græcam damnet, atque illarum usu fidelibus interdicit, & an eiusmodi editiones inter se pugnent.

Cap. XLIII.



VM in eo, quod paulo ante protulimus, de uulgata latina editione Ecclesiæ Decreto cōtineatur, illam solam in publicis lectionibus, disputationibus, & expositionibus auctoritatem habere, ac dignam esse cui certa fides adhibeatur, satis apertè doceri uidemur eandem auctoritatem cæteris quibusuis editionibus ab Ecclesia silentio prætermisissis non fuisse tributam, nec iam nobis licere docentibus, disputantibus, ac interpretantibus uti reliquis eiusmodi editionibus, ab Ecclesia pariter non approbatis; quapropter tum 70. interpretum conuerfionis, tum hebraicæ editionis usu fidelibus interdicitum esse putandum erit. Id ipsumque ex eo confirmatur, quòd sola hæc latina palam

palam probatur, & ex omnibus latinis excipitur; sed quæ 70. interpretum editio est, ipsa quoque in latinum tum conuersa est, tum conuerti posset, & Hebraicam pariter in latinam linguam rursus transferri, uel uniuersam, uel aliquam eius particulam legenti, disputanti, exponenti opportunam, accideret, quarum usu nisi interdictum esset, alijs (etiam latinis) editionibus præter uulgatam liberè uti liceret, quod nephas dictu cum sit, omnes penitus editiones præter Vulgatam explosas esse dicendum erit. Quod alia præterea firmissima ratione comprobatur. Ea enim quæ inter se non cohærent, sed maxime pugnat, uera simul esse non possunt; cum Verum uero sit consonum; Sed eiusmodi cæteræ editiones cum uulgata latina pugnant, ut, exempli causa, quæ est 70. interpretum in annis ab ortu Adam ad Seth ortum, & ab huius ortu usque ad Adam interitum, & ab eodem Adam usque ad Diluuium, & à Diluuiio usque ad Abraham, & in numero animarum quæ ingressæ sunt in Aegyptum cum Iacob, alijsque innumerabilibus palam dissentiant, præsertim cum iam conclusum sit LXX. interpretes multa immutasse, ad didisse, ademisseque ab Hebraica scripturæ editione; sed nec Vulgatam cum ipsa Hebraica conuenire, uel ab ea semper pendere, iam dictum est; Græcam quoque Noui Testamenti Editionem cum latina uulgata pugnare exemplis demonstratur; in Vulgata enim legimus [Quibus neque ad horam cessimus] cum in Græco affirmatiue; legi tum Ambrosius tum Hieronymus testentur, uidelicet [Quibus ad horam cessimus] & rursus in Vulgata legimus [Persuasio hæc non est ex eo qui uocat uos] Quod in græcis codicibus affirmatiue legi Patres asserunt [Persuasio uestra ex Deo est] & Vulgata legit [Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur] cum Græci codices à Tertulliano, Origene, Theophilo, & Chrysostomo secuti haberent [Non omnes quidem dormiemus,

S omnes

De Nat. ho
minis.

Quod præter
Vulgatam editio
nè omnes
aliæ exclu
dantur pro
batur.
s. Argum.

s. Argum.

3. Argum.

Gal. 2.

Gal. 5.

1. Cor. 15.

omnes tamen immutabimur] Quæ quidem dicta contradi-
ctoriè (ut logici loquuntur) inter se pugnant, nec simul ue-
ra esse possunt; Quare nec simul ab Ecclesia tum ipsa dicta,
tum ipsorum discrepantes codices, & editiones probari po-
terunt; sed uulgata iam approbata cæteras cum ea pugnan-
tes explosas damnatasque esse necessaria consecutione faten-
dum erit. Postremò uerò id ipsum ex eo demonstratur, quòd
70. interpretum conuersionem corruptam & plurimis men-
dis refertam esse tum in latinis, tum in Græcis exem-
plaribus HIERONYMUS, Augustinus cæterique Patres pa-
lâm ac frequenter testati sunt; Hebraicòsque codices corru-
ptos fuisse Iustinus, Origenes & plures alij doctissimi uiri tñ
affirmarunt, tum exemplis demonstrarunt: A corruptis au-
tem editionibus obtinendum esse, atque ipsarum usu no-
bis Ecclesiam interdixisse credendum est: Quare Vulgata la-
tina editione, Concilij canone approbata, cæteras omnes tñ
Hebraicas, tum Græcas, tum 70. interpretum editiones, præ-
ter recetiores latinas, promiscue & pariter exclusas, explo-
sas, damnatasque esse dicendum sine exceptione erit. Hæc
autem Assertio etsi abundè confirmata uideatur, eiusmodi
tamen difficultatibus premitur, ut impietatis crîmen reuo-
cari posse uideatur. Cuius enim piæ aures ferre poterunt
Hebraicam editionem a Spiritu sancto eisdem uerbis dicta-
tam, A Prophetis conscriptam, Ab Esdra mirabiliter re-
stitutam, A Christo recitatam, & interpretatam, Quam
floreus synagoga custos est uenerata, & assidua publica le-
ctione peruulgauit, Paulus didicit, Petrus explanauit, Cu-
ius antiquitate fides nostra roboratur, auctoritate Iudæi cõ-
uincuntur, Vocibus ipsis auditis earum Scribæ, Prophetæ,
& auctor Spiritus sanctus (ut piè & doctè conijcit, Athana-
sius) delectantur, uocati adsunt, opitulantur, A qua de-
nique cæteræ omnes editiones ueluti à Parente & fonte flu-
xerunt, Correctiones deriuarunt, & Discrepantiæ Inter-
pretum,

Quòd non
sit damna-
ta Hebrai-
ca, uel Græ-
ca editio
70. inter-
pretatio, p-
batur.

pretum, ac librariorum culpa exortæ sæpius sublatae sunt;
nunc explosam & damnatam esse? cum ne uoculas quidem
pauca, ut Amen, Osanna & similes, in omnibus conuersio-
nibus studio e ab interpretibus relictas, eadem religione
obstricti sancti Patres, Correctores, Ecclesia denique cu-
stos, immutare, & in aliam linguam transferre unquam co-
gitarint, uel ab aliquo conuertitolerarint. At multò etiam
minus Græcam Noui Testamenti editionem damnatam ef-
se illos affirmantes æquo animo audire poterimus. Cuius
auctorem Christum Dominum, & Spiritum sanctum esse
non dubitamus, scribas uerò Apostolos Prophetis dignita-
te superiores, Quæ Apostolici uiri, sancti Patres Græci legèn-
tes, disputantes, explanantes usi sunt, Quam tota Græca ec-
clesia publice legit, A qua denique pro creatrice latina de-
riauit: Sed nec 70. interpretum conuersionem explo-
sam esse eosdem dicentes facile feremus, Quam summi Pon-
tificis Iudæorum iussu à doctis, pijs, & laudatissimis uiris
editam, A Spiritu sancto tum in interpretationis sermonum,
tum Prophetiæ Donis mirabiliter confectam, Apostolorum
& Ecclesiæ iudicio & usu commendatam, A sanctis Patri-
bus miris laudibus celebratam, summa religione uenera-
tam, & commentarijs auctam esse paulo ante tumulatisimè
demonstrauimus. Dicimus itaque TRIDENTINI CONCILII
Canonem cæteris quidem omnibus latinis Vulgatam ue-
terem editionem antepone, & canonicam auctoritatem
eidem tribuere, Græcarum autem ac Hebraicarum nullam,
uel expressam uel tacitam mentionem facere; eius enim uer-
ba erant. [Sacrosancta synodus considerans non parum uti-
litas accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis edi-
tionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quæ-
nam pro auctoritate habenda sit innotescat] Non damnauit
igitur nec explosit Hebraicas & Græcas editiones, quas om-
nia superiora Concilia amplexa fuisse, atque usu & testimo-

Sec. 4.

nio commendasse certum est, sed nec eisdem Vulgatam latinam editionem prætulit, quam solis latinis omnibus anteponendam statuit, cum de ea sola esset controuersia, nec ipsius auctoritas Ecclesiæ scripto iudicio adhuc esset confirmata, ut iam tres habeamus scripturæ editiones: omni exceptione maiores; In primis quidem eam uel Hebræicam, uel Græcā, quæ ab ipsismet tum Prophetis tum Apostolis est edita, Fontem uidelicet ipsum, & caput omnium editionum. Secundò interpretationem ipsam Græcam 70. seniorum, integram scilicet & incorruptam, sicut illi in Pharo insula constituti eā ediderunt. Tertio ueterem uulgatam latinam diligentissime emendam. Ex qua triplici editione, tum opportunum fructum & commodum omnes, quæcunque sunt, Nationes & ecclesiæ percipiunt, tum omnium maxime illustres, & cōmunes linguæ decus illud & ornamentum suscipiunt, cuius ~~αυθονόρ~~ fuit Titulus ille eisdem tribus linguis à Pilato conscriptus, in quo ipsæ coniunctæ cum cruce fuerint affixæ & consecratæ, atque corpore & passione Domini cuiusdam sanctitatis quasi participes effectæ, fore ut eiusdē mysteria omnes simul enarrarent indicabatur. Ad ea igitur quæ obijciebantur, respōdemus, Concilij Decretum de solis latinis loqui editionibus, quarū omniū usū, excepta uulgata, nobis huiusmodi Decreto est interdictū. Cōcedimus et̄ 70. interpretū editionē in latinū conuersam fuisse eodē Decreto exploratam, nec tamē græcā ipsam eorum germanam, & incorruptā: Vtriusque enim dispar est ratio, Græcam enim illam summis laudibus omnes extollunt, hanc uerò ex mala Græca peiorem factam esse latinam eruditi omnes fatentur; corruptos enim fuisse & esse græcos codices tum iam pridem diximus, tum paulò post Patrum testimonijs abundè demonstrabimus; magis adhuc deprauatos esse Latinos tū Hieronymū dicentem audiuius, tum Augustinum cum eo consentientem, & eundem ad Latinos codices emendandos hortatē produximus, diximusque

eiusmodi

eiusmodi latinā interpretationē esse conuersionis conuersionē, cui 70. interpretū editio cōparata sit ueluti fons, & caput ipsius, quo saluo & incolumi latinum riuiculum negligere liberè possumus, sicut Hebræicam editionem amplectentes eiusdem interpretationes latinas præter uulgatam repudiare licebit. Absit uerò ut concedamus tres illas, quas diximus, editiones integras & emendatas inter se pugnare, quas optime cohærere, nec tantillum quidem dissentire affirmamus, mendis tamen asperfas esse non negamus, atque inter cætera, discrimen illud annorum menōum continere facile suspicamur, de quo loquens AVGVSTINVS dicebat [Scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca Ptolomæi Regis codicem primum accepit describendum, & ex huius iam occasione accidit tanta inter 70. interpretum & Hebræorum codices diuersitas annorum] quò uerò ad animas in Aegyptum ingressas, Hebræicæ editioni Græcam interpretationem optime conciliari posse putamus, cū hæc unā cum ingressis, Manasses & Ephraim filios paulopost nascituros adnumeret, quam interpretationem multa commutasse, adscripsisse, sustulisse reperentes affirmamus, sed quæ cum immutatis, præteritis, ablatis apprimè congruat, perinde atque ipsis Euangelistis uaria narratibus accidere omnes norunt; quos cum

S 3 terpre-

Ad terciū.

Responso.
Ad primū.

Ad secūdu.

15. de Ciu.
Dei. c. 13.
De consen-
su euang.
li. 2. c. 57.

terpretatione id omne accipit, quod ad ecclesiæ fructū momentum aliquod afferre animaduertit. Quæ autem ex Græca Noui Testamenti editione, & uulgata latina inter se collata exempla proferebantur, uerbis quidem pugnant, sensibus tamen cohærent, tum enim falsis fratribus celsisse, tum non celsisse Apostolum ad diuersa respicientes dicere possumus; tum uerò persuasionem illam ex Deo esse, uel non esse dispari ratione dicemus, imò & resurrectionis & immutationis illa (quæ maior uidebatur) discrepantia pariter tollitur, quæ omnia illi facillè intelligent, qui antiquos patres legent eiusmodi, quas diximus, atq; illis similes uarias lectiones diuersè, piè tamen & Catholicè sunt interpretati; quorum explanationes cuius in eisdem locis obuias recitare tum minus necessarium, tum nimis longum hoc loco esse ad alia festinantes iudicamus. Quamuis huiusmodi Noui Testamenti uarias lectiones non approbemus, sed alteram solam, siue unicam esse existimemus, corruptos enim esse codices sapius diximus, & iterum repetimus. De incorruptis autem tum Hebraicis, tum Græcis, tum latinis Codicibus semper loquimur, cum triplicem (quam diximus) editionem probatam suscipimus; nam eosdem mendis inquinatos, uel Hebraici & Græci fontis, uel 70. interpretum, uel latinæ uulgatæ conuersionis hac exceptione admittimus, ut cum Concilio Tridentino illos accuratè emendandos moneamus. Hic uerò quæret nō in seite quispiam, cum solæ iam dictæ editiones probatæ sint, quarum auctoritati obistere non liceat, præter illas autem multæ sint tum latinæ tum in primis Græcæ, quas Origenes magno labore conquisitas in exaplis uel octaplis pulchro ordine disposuit, reliquarum ullus ne usus & quis erit inutiles enim illas prorsus esse, cum in aliqua semper apud ueteres existimatione fuerint, uix dicendum uidetur. Cui respondemus, aliquod profectò commodum ex eiusmodi interpretationibus capiendum esse; illis itaque utemur cum probatis

editio-

editionibus ipsas accuratè conferentes, non quidem ut easdè probatas eiusmodi lectionibus corrigamus, sed ut obscurius aliquādo expressa clarius intelligamus; hunc enim usum tum exemplo sapius nos docuerunt Antiqui Patres, tum uerbis etiam quandoque indicauerunt; ea propter dicebat HIRONYMVS [Horum quoque interpretum, qui uerbis tenacius inhæserunt, collatio non est inutilis ad explanandam sæpe sententiam] idem antea dixerat Origenes, & id ipsum postea comprobauit Augustinus, nec præter eiusmodi usum alium quempiam uel factis uel dictis Sanctos Patres commendare obseruauimus.

in Isa. c. 49.

An Hebraica editio sit integra & incorrupta uel mutila, & mendis contaminata. Cap. XLV.



LIBRORVM Canonorum Hebraicam editionem integram, puram, & incorruptam esse non solum Iudæi sibi certò persuadent, atque Herætica, recentiores præferunt, mordicus defendunt, sed multi præterea Christiani, pii, & docti uiri id ipsum palam affirmant, & rationibus concludunt, illud in primis commemorantes, synagogam semper fuisse eorundem librorum fidelissimam ac diligentissimam custodem, cuius summam fidem & diligentiam in ipsis seruandis PHILo Iudæorum doctissimus prædicans dicebat [Mirabile mihi uidetur duobus annorum millibus, imò maiore tempore iam ferè transacto (non enim exquisitissime annorum possum dicere numerū) nec uerbum unum in lege illius esse immutatum, sed centies unusquisque Iudæorum morietur, quàm legi Mosaiçæ derogabit] Quæ Philonis uerba EVSEBIVS etiam CESARIENSIS recitabat: eadem uerò diligentia & religione recentiores Iudæos sacra Volumine custodire, Ioannes Isaac narrat, & experientia ipsa comprobatur. Deinde uerò huius editionis de-

a Calanus Gregorius Brentius. Quod Hebraica editio sit incorrupta probatur. 1. Argum. Li. de exitu

Li. 8. de Prepat. euang. cap 2. Lib. contra Lindannm 2. Argum.

S 4 fenso-

Ad quartū

Interrogatio.

Responsio.

fensores eiusmodi utuntur Dilemmate: Si Iudæi libros canonicos corrupissent, uel ante Christi ortum, aut ipso uiuo tantum flagitii commississent, uel eo crucifixo & mortuis Apostolis admisissent, Non quidem Christo adhuc nascituro, aut ipso uel Apostolis uiuis id factum fuisse dicendum est, cum eiusmodi non ferendi nec reticendi criminis reos Iudæos nunquam illi fecerint, quorum leuiores etiam peccata reprehendere palam solebant, imò CHRISTVS ipse eosdem, ueluti apud quos puræ scripturæ seruarentur, ad ipsas perscrutandas hortabatur dicens [Scrutamini scripturas] ex quibus sententias illos recitantes, tanquam ex ueris & incorruptis, audiendos obediendosque esse monebat inquit [Super Cathedrâ Moyfi sederunt scribæ & Pharisei, quæ dicunt seruate & facite, quæ autem faciunt nolite facere] Multò uerò minus post Christi & Apostolorum obitum eiusmodi facinus à Iudæis commissum fuisse suspicandum est, cum ea omnia testimonia, quæcunque Christus uel Apostoli ex Veteri Testamento protulerunt, nunc etiam in Hebraicis codicibus eodem modo legantur. Huiusmodi autem Dilemmate usus est Hieronymus, qui ex ORIGENE illud se accepisse profitetur dicente [Nunquam Dominus & Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Phariseis, de hoc crimine, quod maximum est, reticissent; sin autem dixerint post aduentum Domini Saluatoris, & prædicationem Apostolorum libros Hebræos fuisse falsatos, cachinum tenere non potero, ut saluator & Euangelistæ, & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Iudæi postea falsaturi erant, Nomen Christi de quadam gente in humilitate nascituri, & de quodam Regno ab hoc propagato & instituto, & conuersionem uitæ eius, prædicationem doctrinæ, Vocationem Apostolorum, signa, prodigia, & miracula, incrementum Ecclesiæ illius ex Sion crescentis in omnes Gentes, Iudæorum excitationem, & desertionem, cætera que id generis, omnia ita exhibent præsentia tempora

Io. 5.

Matth. 23.

In Isa. c. 6.
In Isa. 8.
uel.

pora, sicut in scripturis longè antè conscriptis, & per successionem temporum custoditis Prophetæ nunciauerunt futura] Quòd si dixeris post tempora saltem tum Origenis, tum Hieronymi fuisse Hebraicos Codices à Iudæis corruptos, eorum defensores statim respondebunt, contrarium demonstrari tum eisdem, quæ diximus, Noui Testamenti testimonijs, tum antiquorum Patrum & Tractatorum Commentarijs, in quibus plurima ex Veteri Testamento dicta recitantur, quæ cum ipsa Hebraica editione optimè concordant. Ad hæc uerò ita argumentantur, Deus ipse, qui ad fidei nostræ fructum, & Ecclesiæ incrementum Iudæos Christiani nominis hostes superstites, & per Gentium ciuitates dispersos manere, Propheticos libros adhuc custodire, & eorum tum antiquitatis, tum ueritatis testes esse mirabiliter prouidit, nunquam passus esset eorundem Iudæorum malitia, uel incuria libros ipsos corrumpi, uel decurtari, quibus contaminatis fides abrogaretur, atque euangelij prædicationi testimoniū illud maximo Christianorum incommodo subtraheretur: quod argumentum non reticuit ORIGENES, qui librorum Hebraicorum ueritatem & integritatem cõfirmans, illis, quæ paulo ante recitauimus, uerbis sequentia ista adscripsit [Poterāt persecutores Christianæ fidei dicere, Christianos composuisse, seu confinxisse has literas, quas propheticas appellamus, ut ante diuinitus prædicta putarentur, quæ prædicta non essent, sed ne occasionem haberent hæc dicendi latè dispersus, lateque notus Iudæorum Populus, Christianæ fidei inimicus, in omnes Gentes portauit, & custodiuit libros suos Propheticos, in quibus legimus omnia hæc esse prænunciata, quæ in Christo, & in Apostolis, & in Apostolorum Ecclesia uidemus adimpleta] cui subscribens AVEVSTINVS inquit [Iudæi ubique non desunt, & per scripturas suas testimonio nobis sunt Prophetias nos nõ finxisse de Christo] Er rursus super illud Psalmi [Ne occidas eos, ne quando obliuiscantur

3. Argum.

In Isa. 8.
uol.18. de Ciui.
Dei. c. 46.
In Ps. 58.

scantur populi mei] Per omnes Gentes dispersi sunt Iudæi testes iniquitatis suæ, & ueritatis nostræ, ipsi habent Codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christum, & si fortè quando aliquis paganus dubitauerit, cum ei dixerimus prophetias, quarum euidentiam obstupescat, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas, de codicibus Iudeorum probamus, quia hoc totū ante prædictū est. Deniq; argumētantes isti concludunt, quod nec ēt permittēte Deo, & uolentibus Iudæis, potuerint unquā corrumpi tot Codices per Christianorum, Iudæorum, & Gentium loca dispersi; quod palām affirmat AVGVSTINVS dicens [Absit ut prudēs quispiam, Iudæos cuiuslibet peruersitatis, atque malitiæ tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tam longe, lateque dispersis] Ex contrario plurimis & firmissimis rationibus demonstrari potest, tum mendis contaminatam, tum mutilam esse ipsam hebraicam editionem. In primis enim ex Ecclesiæ tum Canone, tum traditione abunde iam demonstratum est Sapientiam Salomonis, Historiam Susannæ, Belis, & Draconis, Hymnum trium puerorum, septem postrema capita libri Esther, & secundum Machabæorum inter canonica Volumina esse numeranda, quæ tamen omnia in Hebraica editione desiderantur, etsi in Vulgata latina conuersione legantur, atque iccirco decurtatam esse Hebraicam editionem etiam nolentes fateri compellimur. ORIGENIS præterea testimonio non solum probatur eosdem libros in hebraica editione deesse, sed plures etiam, atque Iudæorum culpa & fraude subtractos fuisse; is enim ad Iulium Africanū scribens tum Historiam Susannæ, Belis, & Draconis, & Hymnum trium puerorum à Iudæis sublata fuisse affirmat, tum generatim illud (quod maius est) testatur [Ex ijs quæ Presbiterorum & Magistratum & Iudicum continebant uituperationem, quæcunque potuerunt sustulerunt eorum Sapientes à cognitione Populi] Quos Iudæos IDEM suspicatur solitos

4. Argum.

15 de Ciu. Dei. c. 13.

Quod Hebraica editio sit mutila & corrupta probatur.

1. Argum.

2. Argum.

Ep. ad Iul. African.

tos fuisse quibusdam canonicis libris fabulosas & indecoras orationes admiscere, ut eiusmodi libris auctoritatem, & fidem omnem adimerent, inquit enim [Est manifestum, quod dicunt traditiones sectum esse Isaiam Prophetam, & hoc habetur in quodam Apocrypho, quod quidem fortasse consulto per dolum factum est a Iudæis quibusdam, non decētibus scripturæ iniectis dictionibus, ut toti fides abrogaretur] id ipsumq; Prophetico libro Enoch, & Ieremiæ accidisse nos cōiueiebamus; tum præter canonicos numeratos alios fuisse à Spiritu sancto dictatos libros concludebamus. Quod uerò eiusmodi libri desiderarentur, & Iudæorum culpa perierint, ATHANASIVS quoque affirmat, qui postquam eorum Voluminum meminisset ait [Itaque hæc omnia per impiorum Iudæorum amentiam, & incuriam interijisse manifestum est] Ex quibus testimonijs cumulatè ostēditur plures tum libros, tum librorum insignes particulas in Hebraica editione deesse, illamq; Iudæorum culpa mutilam & decurtatam esse. Quod autem alicubi etiam desint integri periodi in eadem Hebraica editione, testatur locupletissimus testis ORIGENES dicēs [In Genesi quoq; illud, Vidit Deus quod esset bonum, ad id, Quod factum esset firmamentum, apud Hebræos non inuenitur, & est hæc apud eos non leuis quæstio] & rursum [In Iob ab illo loco, scriptum est autem illum resurrecturum cū ijs quos suscitatur Dominus, ad finem usque non est apud Hebræos, quamobrem neque apud Aquilam, apud 70. autem, & Theodotionem ea sunt, quæ tantundem ualent inter se] idem asserit & multis exemplis confirmat IUSTINVS MARTYR, atque huiusmodi defectionum, detractionumque culpam omnem in ipsos Iudæorum Doctores palām confert, cuius aureum testimonium integrum recitabimus, inquit igitur Tryphonem Iudæum alloquens [Sed Doctoribus uestris minime credo, qui recte interpretantes senes illos 70. quæ interpretati sunt negant, eos qui apud Ptolomæum Aegypti Regem

Ep. ad Iul. African.

In synopsi sacrę scrip.

3. Argum.

Ep. ad Iul. Africanū.

Dial. ad uer. Tryphonem.

Regem fuerunt, uerum ipsi interpretati conantur. Ego autem multas scripturas eos ex illorum interpretatione amputasse, quæ planè hunc ipsum, qui cruci suffixus est, & Deum esse & hominem, & in crucem actum esse, & mortuum docent, uelim persuadeatis; quas quoniam negare ac repudiare omnes, qui generis uestri sunt scio, talibus testimonijs nõ uitor, sed ad eas probationes, quæ etiam apud uos ualent uenio] & paucis interiectis [Tum Tryphon primum inquit petimus, ut nobis exponas quas tu scripturas penitus ab illis corruptas fuisse dicas, Adhæc ego, ut nobis libet inquam faciam, Ab interpretationibus quidem quibus Esdras legem de Paschate exposuit, hæc abstulerunt. Dixitque Esdras populo, Pascha hoc conseruator est, nostrumque perfugium, & si cogitatis, atque uobis in animum ueniat, fore ut eum etiã in ligno abiectum reddamus, deinde in eo spem nostram collocabimus, non deferatur locus hic in omne tempus, ait Dominus exercituum. Quòd si ei credatis, nec uerba eius docetis & prædicantis audiatis, irrisioni eritis omnibus nationibus. Ex Ieremiæ quoque uerbis hæc detraxerunt. Ego quasi agnus, qui ad imolandum abducitur, in me excogitauerunt dicentes. Venite lignum in panem eius ingeramus, eumque ex terra uiuentium obteramus, nec iam nominis eius fiat mentio. Quamuis ex libris detruncatis in quibusdam exemplaribus Ieremiæ, eorum quæ in synagogis Iudæorum asseruantur, etiam nunc scripta reperiuntur. Hæc enim paulo ante præciderunt, quoniam his etiam uerbis hoc demonstratur, Iudæos iniuste consilium de ipso Christo, ut eum crucis supplicio consultò interficerent, idemque ut ovis ad cædem, quemadmodum etiam ab Isaia prædictum est, raptus esse ostenditur, & hic ut agnus innocens declaratur, quibus destituti ad contumelias ueniunt. Ex uerbis etiam eiusdem Ieremiæ hæc amputarunt. Recordatus est Dominus Deus mortuorum Israelis, qui in terra aggeris sepulti sunt, descenditque

ditque ad eos nunciatum illis seruatorem suum. Ex xcv. etiã Dauidis psalmo hæc pauca uerba exciderunt. A ligno. Cum enim scriptũ esset: Dicite in nationibus, Dominus à ligno, siue per lignum, regnauit. Reliquerunt hoc tãtum. Dicite in nationibus Dominus regnauit] Ad hoc autem Iustini grauissimũ Testimonium, qui editionis Hebraicæ integritatẽ mordicus defendunt, huiusmodi responsionem afferunt, Iustinũ scilicet testari potius Iudæos septuaginta interpretum editionem corrupisse, quam Hebraicam. Hæc tamen interpretatio quàm recitatis uerbis congruat perspicax quilibet facile animaduertit; cum enim Iustinus dicat illos Iudæos reprehendere 70. seniorum interpretationem, quam ipse laudat, præfertque Iudæorum editioni, ex qua illi multa amputarunt; satis apertè indicat, detractiones eiusmodi nõ in 70. interpretum editione, quam illi negabant, ipse uerò summopere commendabat, sed in ipsorummet editione deprehendi, quam idem propterea dånabat: Id ipsum uero apertius declarat, cũ profitetur se nolle ipsos Iudæos conuincere eiusmodi testimonijs ab illis subtractis dicens [Talibus testimonijs non uitor, sed ad eas probationes, quæ etiã apud uos ualent, uenio] si enim eiusmodi testimonia subtracta fuissent à 70. seniorum interpretatione, in hebraica autem editione inuenirentur, potuisset equidẽ ipse apud Iudæos iisdem liberè uti, sed ab Hebraicis codicibus illa detracta fuisse id etiam non obscurè confirmat, quod sequitur [Quamuis hæc ex libris detruncatio in quibusdam exemplaribus Ieremiæ, eorum quæ in synagogis Iudæorum asseruantur, etiam nunc scripta reperitur] In synagogis. n. seruari solitos Hebraicos, nõ Græcos Codices certũ est. Deinde uerò eiusmodi sententiarum, & uerborum detractio audita, nec Tryphoni incredibilis uisa esset, nec Iustinus omnium criminum, & flagitiorum à Iudæis commissorum grauissimum, & atrocissimũ illam esse affirmasset; si quidẽ salua & incolumi Hebraica editione 70. seniorum

niorum interpretationē corrumpere Iudæi aui fuissent; vel enim quæ ipsi ex ea subtraxissent in Hebraica non reperiebatur, quam detractiōnem facere laudi potius quàm crimini Iudæis dandum uideretur, atq; ipsorum religioni facile concedendum, uel in Hebraica quidem editione legebantur, qua tamen salua & integra manente 70. seniorum interpretationem corrumpere, tum leue admodum peccatum Iudæis uisum esset, nec Iustinus tam nefarium facinus illud iudicasset, tum nullum ex eiusmodi detractiōibus Iudæi auctores fructum uel commodū capere sperassent, cum ex ipsorum met. codicibus incorruptis conuinci, atque eisdem temerè subtractis testimonijs oppugnari facile potuissent; quod ut melius intelligamus Tryphonis & Iustini uerba ipsa iam audiamus [Hoc loco Tryphon, Magistratus ne ac Principes, inquit, populi aliquid ex scripturis, ut dixisti deleuerint, Deus scire potest, incredibile autem hoc uidetur: Certè inquam incredibile uidetur, horribilius est enim quàm Vituli confectio, quem fecerunt in terra cum manna referti, fatiatique essent, & quàm illud flagitium, quo se contaminauerunt, cum liberos suos Dæmonijs immolauerunt, aut quàm Prophetarum cedes] dicamus itaque cum **CASARIENSE EVSEBIO** [Propheticis etiam quibusdam utitur testimonijs Iustinus ad Tryphonem, cōuincens eum de his, quod Iudæi absciderint hæc de scripturis, & abstulerint] hoc enim tum facilius, tum utilius multò erat ipsorum impietati, qui Hebraicos codices ipsi met seruabant, & ex illis solis conuinci poterant; Græcam uerò interpretationem aspernabuntur, & palam negabant, atque Gentilium Bibliothecis seruata, & publica ac priuata Christianorum lectiōe peruulgatam corrumpere non audebant, nec audentes poterant, uel aliquod ex eo commodum ipsis accessurum sperabant, ut potè qui suis potius gladijs, quos euitare nō poterant, quàm alienis, quos facile propulfabant, confici posse timebant. **Quinimò** Hæ-

RONYMVS ipse, qui Hebraicæ editioni inter antiquos Patres plurimum fauit, non potuit aliquando non suspicari Iudæorum malitia ex ipsis Hebræis codicibus aliquid fuisse subtractum; cum enim legeret in Iesu naue nomina ciuitatum & oppidorum Tribus Iuda à **LXX.** interpretibus sigillatim adscripta, in hebraica uerò Editione silentio præterita, dixit [Sive de ueteribus libris erasum sit malitia Iudæorum, ne Christus de Tribu Iuda ortus uideretur, siue à **LXX.** additum nequaquam liquido cognoscentes certum quid nouimus] Nec solum multa ex Hebraica Editione detracta fuisse, ut demonstratum est, sed plura etiam uerba in illa fuisse immutata & aliquando addita Antiqui Patres, & recentiores uiri testantur, & exemplis declarant; in primis quidem **ORIGENES** inquit [Deinde alia sequitur Prophetia; quam nescio quare apud **LXX.** non inuenientes, in cæteris Editionibus, quæ cū Hebræo cōsentiunt sermone reperimus, quæ plena est necessarijs rebus, & tam utilibus, ut possit, si animus fuerit attentus, à uitijs reuocare lectorem, sic autem sequitur. Peccatum Iuda conscriptum est in stilo ferreo, in ungue adamantino, sculptum super pectus cordis eorum. Quoniam difficile est aliquem se malum confiteri, ideo Iudæi qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam in loco pro peccato Iuda, peccatum eorum posuerunt] Hoc autem Origenis testimonium Hebraicæ Editionis fautores declinare se putant dicentes de **LXX.** interpretum Editione loqui Origenem, atque in ea uerbum Iuda immutatum esse affirmare, sed ita respondentes non aduertunt fieri non posse, ut dicat Origenes **LXX.** interpretes in locum peccati Iuda, peccatum eorum posuisse, cum antea dixerit integram illam Prophetiam in **LXX.** interpretum Editione desiderari: sensus igitur uerborum ipsius, si accuratè expendantur, est Totam illam Prophetiam deesse in **LXX.** interpretatione, in alijs autem, quæ cum Hebraica Editione cōsentiunt, inueniri quidem eiusmodi Prophetiam, in una tamen

In Michæ
cap. 5.

4. Argum.

In Ier. ho.
12.Dial. ad
uer. Tryphonem.I. ib. 4. hist
Eccl. c. 18.

men uoce ab ipsa illas discrepare, ut potè quæ habeant, Peccatum Iuda, quod in Hebraica legitur, Peccatum eorum. Ex hoc uerò Origenis testimonio non solum illud concluditur, Hebraicos codices in eo loco fuisse corruptos, sed in alijs quoque plurimis fuisse à Iudæis pariter contaminatos; hoc enim non obscurè significant illa recitata uerba [Ideo Iudæi, qui exemplaria nonnulla falsarunt, etiam hoc loco pro peccato Iuda, peccatum eorum posuerunt] **HIERONYMVS** quoque coactus fuit quandoque suspicari Hebraicos codices fuisse corruptos, & quidem ab homine Christiani nominis hoste, inquit enim [Ceterum ut ad nos redeat disputatio, scire non possum, quare Apostolus in eo quod scriptum est, Maledictus à Deo omnis qui pendet in ligno, uel subtraherit aliquid, uel addiderit; si enim semel auctoritatem **LXX.** sequebatur, debuit sicut ab illis editum est, & Dei nomen, Sine uero ut hebræus ex hebræis id quod in sua lingua legerat putabat esse uerissimum, nec Omnis, nec in ligno, quæ in Hebræo non habentur, assumere; ex quo mihi uidetur, aut ueteres Hebræorum libros aliter habuisse, quàm nunc habent; aut Apostolum, ut ante iam dixi sensum scripturarum posuisse non uerba; aut, quod magis est æstimandum, post passionem Christi, & in Hebræis & in nostris Codicibus ab aliquo Dei nomen appositum, ut infamiam nobis inureret, qui in Christum maledictum à Deo credimus] Recentiores præterea alia loca in Hebræis codicibus corrupta obseruarunt, ut exempli causa, ubi in **PSALMO** legitur [In omnem terram exiuit sonus eorum] quam lectionem fuisse in antiquis incorruptis codicibus hebraicis probatur non solum ex **LXX.** seniorum interpretatione, & Hieronymi ex hebræo conuersione, sed ex ipso Apostolo Paulo, qui ad Hebræos scribens eo usus est testimonio, eisdem uerbis illud recitans, nunc tamen uerba Hebraica sonant non, sonus eorum, sed [Linea, uel perpendiculum eorum] & in **Isaia** ubi antiqua lectio &

ab

ab omnibus (etiam hæreticis) probata, est [Et uocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi] nunc hebraici codices habent [Vocabit Deus fortis admirabilem Patrem futuri seculi] Rursus in **Psalmo**, ubi antiqua lectio & ab uniuersa Ecclesia probata habet [Foderunt manus meas] Hebræi nunc legunt [Quasi Leo manus meæ] in **Ieremia** quoque nunc est diuersa lectio ab antiqua, & alibi, ut iam apertè intelligatur corruptos nunc esse Hebraicos codices propter uerborum aliquot commutationem, & prauam inuersionem. Denique ubi non sunt neque subtracta, neque addita, neque immutata uerba, lectio nihilominus est punctis corrupta, & scripturæ sensus eisdem, quasi iniectis uinculis, constrictus: Ut enim **Tiquy Sophrim**, reticemus, quam nondum Christo nato **Iudæorum Scribæ** ediderunt, & non paruam lectionis inuersionem fecerunt, certè silentio præterire nõ possumus **Talmudicam** peruersionem, quam imperante **Constantino**, & ad Christi fidem conuerso, impij & uasri **Iudæorum Scribæ** impudenter cõfinxerunt, puncta apponentes, quibus uocalia elementa supplerent; atque ambiguas & multiplices uoces suo arbitratu determinarent, ut scripturæ & Spiritus sancti sententiæ arctissimis catenis colligatæ & constrictæ ab ipsis tenerentur; hac autem corruptissima Editione nunc utuntur ipsi **Iudæi**, qua nulla impurior, fædiorue esse potest. Quapropter concludendum uidetur, Hebraicam Editionem tum mutilam & decurtatam esse, tum mendis plurimis contaminatam, ut potè quæ careat multis canonicis libris uel integris, uel eorum partibus, in quibus desint multi periodi, sententiæ & uerba scripturæ, plura sint etiam immutata & addita uerba, & tota denique lectio sit corrupta, quod abunde iam demonstratum est: Restat autem ut obiectas argumentationes breuiter diluamus. Dicimus itaque **Philonem** eruditum quidem uirum fuisse, sed tamen **Iudæum**, & Gentis suæ studiosissimum; atque iccir-

T co

In Epist. ad Gal. c. 3.

Psal. 18.

Heb. 11. Isa. 9.

a Caluinus in ist. u. c. 7. §. 11.

Psal. 21.

Ier. 21.

5. Argum.

Conclusio. a In 1. arg. sc 20.

b In 3. arg. c In 4. arg. d In 5. arg. Responiones ad arg. Ad primam.

co nō esse mirum si Iudeorum fidem & diligentiam prædicet, quamuis ipse de sola Moysis lege (Pentateucho scilicet) loquatur; quam quidem magis incorruptam semper Iudæos seruasse, & maiori fide & diligentia ab ipsis custoditam fuisse fatemur, quam nunc etiam solam sine punctis in synagogis adseruant; præterea uerò minus miramur Philonem hoc dixisse, cum Apostolis fuerit ipse coæuus, quorum temporibus uix paruam corruptionem factam esse putemus. Quæ uerò Isaac refert ridemus, cum nihil aliud, quam ridiculam superstitionem declarent. Ad illud uerò Hieronymi Dilemma respondemus, Hebraicos codices maxime fuisse contaminatos post Christi mortem, & Apostolorum prædicationē, cum antea pauca fuissent uel subtracta uel immutata, atque ea quoque eiusmodi essent, quæ ad Christum directò non spectarent, sed Principum potius & Magistratum Populi Iudaici scelera, & dedecus continerent; propter quæ nec Christo nec Apostolis uisum est scripturarum corruptionem publicè prædicandam, ex quibus tota ipsorum prædicatio pendebat, & in Christum fides confirmabatur; quæ maxime periclitata fuisset, si ipsis scripturis (quod absit) fides abrogata esset: hortabatur iccirco Christus, ut Scripturas Iudæi scrutarentur, in quibus salua & incorrupta esse de seipso testimonia nouerat, legisque præcepta incolumia esse sciebat, quæ ab ore Sacerdotum suscipienda, custodiendaque esse monebat; Post Apostolorum autem prædicationem, & Christianæ fidei incrementum quamuis Iudæi plurima scripturæ loca contaminarint, ea tamen, quæ in ore omnium magis uersabantur, & frequenti Apostolorum prædicatione erant decantata, atque Iudæis ad fidem Christi conuersis optime nota, subtrahere uel corrumpere non poterant (quamuis ipsorum quoque nonnulla ut^a probauimus, tandè immutarint) mirari itaq; nō debemus, si salua māsērint ea testimonia, quibus Christum uel Apostolos usos fuisse legimus, cum, cætera

(nec

(nec tamen omnia) corrupta fuisse non temerè suspicemur, idque non simul repentè factum putamus, sed diuersis temporibus, & paulatim, dataque occasione cautè perfectum fuisse conijcimus; quod IUSTINI quoque uerba ista paulo antè recitata nō obscurè innuunt [Quamuis ex libris detruncatio in quibusdam exemplaribus Ieremiæ, eorum quæ in synagogis adseruantur, etiam nunc scripta reperitur, hæc enim paulo ante præciderunt] Adhuc tamen plurima remotis punctis purè & incorruptè in Hebraicis codicibus legi non dubitamus, quæ etiam cum testimonijs à sanctis Patribus recitatis optime conuenire nouimus. Origenem uerò dicimus Hebraicorum Codicum puritatem, & integritatem defendendam sibi non proposuisse, ut potè qui sæpius affirmarit, probaritque scripturam sacram à Iudæis tum decurtatam, tum inquinatam fuisse; omnem tamen fidem illis codicibus abrogandam non esse iccirco demonstrasse, ut eorum testimonijs apud Gentiles Christiani uti liberè & commodè possent. Quæcunque igitur cum fide nostra congruentia eisdem codicibus leguntur, nos arripere, atque testimonia ab hostibus data uel custodita producere poterimus, (sunt uero eiusmodi plurima) quæ uerò deerunt, aliunde à nobis erunt cōquirenda, hoc itaq; concludere uolebat ORIGENES, propterea dicebat [Poterant persecutores Christianæ fidei dicere Christianos composuisse] & reliqua quæ sequuntur, à nobis paulo ante recitata uerba: id ipsum autem nos quoque asserimus, & Hebraicorum codicum testimonium nostræ fidei prodesse fatemur, semotis præsertim punctis, quæ à Talmuditis adiuncta cuius amouere liberè licet. Qua responsione illud pariter argumentum diluitur, quod ratione, & Origenis atque Augustini auctoritate firmabatur, Iudæos enim per Gentium ciuitates dispersos, Christiani nominis hostes suis, quos seruant, leguntque, codicibus Prophetica de Christo & Ecclesia testimonia ita con-

T 2 fir-

Ad secundum.

2 Pf. 17. 21.

Dial. aduers. Tryphonem.

In Isa. 8. ual.

Ad 3.

firmare dicimus, ut à Christianis conficta illa non esse apertè demonstrant, sed à suæ Gentis hominibus multis ante seculis conscripta fuisse testentur, quàm Christus ipse natus esset: In eiusmodi autem codicibus si quid Iudæorum malitia, uel incuria deest, aut redundat, aut corruptum est, id omne ad fidem & salutem nostram necessarium, & ad Ecclesiæ incrementum utile Deus ipse prouidit, ut ex interpretibus, latina præsertim uulgata, & ea, quæ LXX. Seniorum dicitur, conquiri, & haberi possit. Quòd uerò potuerint Iudæi Hebraica exemplaria corrumpere, cum tot sæcula interceserint, ipsi studiose curauerint, & Christiani eorum codices ipsorum fidei, uel perfidiæ custodiendos & tractandos reliquerint, ut potè qui Christiani eiusmodi lectione aliquando parum delectarentur, cum ne græcam quidem linguam addiscere curarent, ut Ariminense Concilium testatur, in quo omnes, qui aderant, sexcenti Patres græcas litteras ignorabant, non ualde miramur, & facile præterea credimus illos tantum facinus admittere nunquam horruisse, quos Prophetas occidisse, Christum condemnandum curasse, Apostolos & Ecclesiam persecutos esse, canonicos libros subtraxisse, Totam denique scripturam punctis maculasse, nemine repugnante, nouerimus.

Ad 4.

An Græca 70. interpretum Conuersio, & Noui Testamenti Græca editio, Atque latina Vulgata interpretatio corruptæ, uel emendatæ legantur. Cap. XLVI.



VARIA esse, & iam diu fuisse græca LXX. interpretum exemplaria & nos experimur, & veteres testantur, dicebat enim **HIERONYMVS** [Alexandria & Aegyptus in LXX. suis Heschium laudat auctorem, Constantinopolis usque ad Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat, mediæ inter has Prouinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus uulgauerunt] Nec solum uaria, sed alijs interpretationibus insertis permixta & impura illa esse testatur **ORIGENES**, qui in eo elaborauit dicens [In exemplaribus quidem Veteris Testamenti quæcunque fuerunt consonantia, Deo præstante, coaptare potuimus, utentes iudicio cæterarum Editionum; ea enim, quæ uidebantur apud LXX. dubia esse propter consonantiam exemplariorum, facientes iudicium ex Editionibus reliquis conuenientia seruauimus, quædam quidem notauimus, quasi non posita in Hebræo, non audentes ea omnino auferre, quædam autem cum Asteriscis addidimus, ut sit manifestum quoniam quæ non fuerunt apud LXX. ex Editionibus cæteris conuenienter addidimus Hebræo] Quos codices ab Origene ita emendatos Ecclesiam latinam legere consueuisse affirmat **HIERONYMVS** ad Augustinum scribens [Et miror quomodo LXX. interpretum libros legas non puros, ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos, siue correctos per Obelos, & Asteriscos, & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris] Communem uerò LXX. interpretum Editionem tum permixtam tum corruptam esse idem **HIERONY-**

Præf. in Paralipomenon.

In Matth. hom. 3.

Ep. ad Aug.

Ep. ad Suniā & Frete-
tellam.Præf. in Pa-
ralip.Epi. 10. ad
Hier.

Dubium.

Ep. ad Suniā & Fre-
tellam.

MVS apertè asserit dicens [*κοινή* autem ista, hoc est commu-
nis Editio, ipsa est, quæ & LXX. sed hoc interest inter utram-
que, quod *κοινή* pro locis & temporibus, & pro uoluntate
scriptorum corrupta Editio est] id ipsum affirmat HIERO-
NYMVS ad Chromatium scribens, Corruptos scilicet esse
LXX. interpretum peruulgatos codices, cum ait [Si LXX. in-
terpretum pura, & ut ab eis in Græcum uersa est Editio per-
maneret, superflue me Chromati. episcoporum sanctissime
atque doctissime impelleres ut Hebræa Volumina latino ser-
monem transferrem; quod enim semel aures hominum oc-
cupauerat, & nascentis Ecclesiæ roborauerat fidem, iustum
erat nostro silentio comprobari; nunc uerò cum pro ua-
rietate Regionum diuersa ferantur exemplaria, & germa-
na illa antiquaque Translatio corrupta sit, atque uiolata, no-
stri arbitrij putas aut è pluribus indicare quod uerum sit, aut
nouum opus in ueteri opere cudere] cum quo optime con-
sentiens AVGVSTINVS ad ipsum scribit [Plurimum profue-
ris, si eam scripturam Græcam, quam LXX. operati sunt, lati-
næ ueritati redideris, quæ in diuersis codicibus ita uariata
est, ut tolerari uix possit, & ita suspecta, nec in græco aliud
inuenitur.] Hoc autem loco dicet quispiam; Hieronymus
id accuratissime præstitit, qui se in latinum emendatè con-
uertisse fatetur LXX. interpretum conuersionem ex Græca
emendata & incorrupta Editione, cæteris igitur corruptis
Editionibus prætermisis; habebimus illam saltem Græcam
integram & incorruptam, quam Hieronymus in latinum
sermonem conuertit, & latinam præterea emendatam HIE-
RONYMI conuersionem, qui de eiusmodi Editione tum
Græca, tum latina ait [Ea autem quæ habetur in *ἐξ αὐτοῖς* &
quam nos uertimus, ipsa est, quæ in eruditorum libris in-
corrupta, & immaculata translatio referuatur] quod in ea-
dem epistola ipse repetens dicebat [In quo breuiter illud
admoneo, ut sciatis aliam esse Editionem quam Origenes
&

& Cæsariensis Eusebius, omnesque Græci Tractatores *κοινήν*, idest communem, appellant, atque uulgatam, & à ple-
risque nunc *λεκτικὸς* dicitur, aliam LXX. interpretum, quæ &
in *ἐξ αὐτοῖς* codicibus reperitur, & à nobis in latinum sermo-
nem fideliter uersa est, & Hierosolymis, atque in Orientis Ec-
clesijs decantatur] & alio in loco dicit [Ego contra LXX.
interpretes quicquam sum locutus? quos ante annos
plurimos emendatos diligentissime meæ linguæ studiofis
dedi] Ad quod respondemus, nec Hieronymi conuersionem
illam, nec Græcam eiusmodi Editionem nunc legi,
uel manere (quod sciamus) cum in omnibus admisiones
quædam & errores deprehendantur, inter quos (ut cæteros
breuitatis causâ nunc omittamus) illum de annorum nu-
mero manifestum esse putamus, Ab Adam scilicet ad Seth,
& ab huius ortu ad Adam obitum, & ab eodem Adam us-
que ad Diluuium, atque à Diluuiio usque ad Abraham, in
omnibus enim istis LXX. interpretum Codices omnes ab
Hebraica Editione, & à ueritate ipsa discrepare noscuntur:
eapropter dicebat AVGVSTINVS, cum de huiusmodi an-
norum discrepantia loqueretur [Sed hoc nec malitiæ Iudæo-
rum, nec diligentiae, uel prudentiæ LXX. interpretum, sed
scriptoris tribuatur errori, qui de Bibliotheca Ptolomæi
Regis codicem primum accepit describendum, & ex huius
iam occasio accidit tanta inter LXX. interpretum, & He-
bræorum codices diuersitas annorum] Etsi quod Hiero-
nymus de LXX. interpretum in *ἐξ αὐτοῖς* Editione narrat nos
suspicemur uel piè interpretandum esse, uel de eo fortasse
dubitandum, in primis enim cum eo pugnat, quod ipsemet
ad Chromatium scripsit à nobis paulo ante recitatum, si ta-
men uerba illa diligenter à perspicaci uiro expendantur: De-
inde uerò nunquam Origenes, qui *ἐξ αὐτῶν* digessit: Editio-
nem illam incorruptam & puram esse affirmauit, nec id se
putasse demonstrat, cum Editionem aliam, cuius paulo an-

Responsio.

15 de Ciu
Dci. c. 13.a Præf. in
Paralip.

te meminimus, maximo labore & studio confecit, quam impuram ex pura & integerrima reddere illū uoluisse, & Ecclesijs legendam obtulisse, uel Eusebium & Pamphilum eandem peruulgasse potius, quam illam germanam & incorruptam in Bibliotheca ab ipsis seruatam nec erratum saltem annorum, quod diximus emendasse, uix credibile uidetur, sed illud solum fortasse Hieronymus affirmabat, non fuisse illam in ἑξάρτοις Editionem alijs permixtam, uel ab aliquo, sicut cæteræ emendatam, sed in eomet statu, in quo reperta fuerat, constitutam, quod quidem facile credimus; quàm uero emendata fuerit, & illi persimilis, quam ipsimet LXX. interpretes in Pharo insula ediderunt, prorsus ignoramus: Vt cunque uerò sit, cum eiusmodi Editio in manibus hominum non uersetur, sed uel perierit, uel occulta iaceat, de ipsa nobis non erit sermo, de qua hæc obiter diximus, cæteras, quæ leguntur, corruptas & permixtas esse non dubitantes. Quare hoc constituto ad Græcam ipsam Noui Testamenti Editionem examinandam accedamus, quam pariter corruptam esse non temerè conijcimus; Varia enim in primis fuisse Græca exemplaria Veteres testantur, ut ORIGENES, qui ait [Multam differentiam inter exemplaria inuenimus] & HIERONYMVS [Sed apud Græcos exemplaria sunt diuersa] AMBROSIVS [Græci diuersos habent codices] Hanc autem codicum uarietatem & dissimilitudinem tollere ne ORIGENES quidem ausus est, qui narrans se conuersionem LXX. interpretum emendasse, atque obelis, & asteriscis distinxisse, hæc uerba statim adscripsit [In exemplaribus autem Noui Testamenti hoc ipsum me posse facere sine periculo non putauit, tantum suspiciones, rationesque, & causas suspicionum me debere exponere existimaui nō esse irrationabile] Quis uerò eiusmodi loca ab Origene obseruata correxit, & codicum uarietatem sustulerit ignoramus, cum adhuc dissimilitudo, & corruptio in illis appareat, loca quidem

Conclusio.

Noui Testamenti græcā editionē corruptā esse demonstratur.

In Matth. hom. 8.
In epist. ad Gal. 3.
In epist. ad Rom. 5.

In Matth. hom. 8.

quidem aliquot à Marcione corrupta Epiphanius tum obseruauit, tum etiam restituenda monuit; sed nec propterea sublata illa menda omnino fuisse nouimus, cum in Græcis codicibus nunc quoque legatur [Secundus homo dominus de cœlo] cum integra & germana lectio, quam etiam in uulgata latina Editione habemus, sit [Primus homo de terra terrenus, Secundus homo de cœlo cœlestis] quam de tractionem & corruptionem Marcionis fuisse testatur Tertullianus, post cuius tempora & Origenis alia præterea loca contaminarunt Arriani, ut est illud, quod Ambrosius expresse notauit [Spiritus est Deus] quæ uerba illi sustulerunt, nec soli ipsi, sed alij quoque Heretici codices corruerunt, quod testatus TERTULLIANVS dicebat [Hæresis non recipit quasdam scripturas, & si quas recipit adiectionibus & de tractionibus ad dispositionem instituti sui interuertit] Idem comprobans HIERONYMVS ait [Hæretici quicquid contrarium suo dogmati uiderunt, eraserunt] cum uerò eiusmodi hæreses in græcia maxime uiguerint, græci quoque codices ualde sunt corrupti, & magis etiam quam ipsi latini, ut AMBROSIVS testatur inquires [Græci diuersos habent codices, qui ob studium contentionis à se inuicem discordant, latinos autem quosdam de ueteribus Græcis esse translatos, quos simplicitas temporum incorruptos seruauit, nam & hodie, quæ in latinis codicibus inueniuntur, sic deprehenduntur à ueteribus posita, Tertulliano, Victorino & Cypriano] quod non negans HIERONYMVS de tota latina Editione dicebat [Aliud est si contra se postea ab Apostolis usurpata testimonia probauerint, & emendatiora sint exemplaria latina, quàm græca, & hebræa] Quod si coniecturas etiam omnes & Patrum testimonia missa faciamus, ex ipsismet græcis codicibus, quos habemus, corruptos & deprauatos illos esse conuincemus; nō solum enim locum illum, quem ex epistola ad Corinthios paulo ante protulimus,

T 5 tulimus,

Ir. 42.

1. Cor. 13.

Li. 5 aduc.
Marcionē.
Li. 3. de Spi-
ritu sancto
ca. 1. 10. 4.

De præscri-
ptionibus.In Procem.
ep. ad Tit.In epist. ad
Rom. c. 5.Præf. in Pē-
tateuchū.

1. Cor. 13.

tulimus, corruptum esse omnes fatentur, quem legendum
 dicunt [Primus homo de terra terrenus, secundus homo
 de cœlo cleſtis] idque negare non audeat^a Calvinus ille qui
 latinos codices ex græcis emendandos esse monebat, sed
 in eadem quoque epistola, ubi Græcilegunt [Qui uerò du-
 xerit uxorem, sollicitus est de his, quæ sunt Mundi, quo-
 modo placeat uxori, & diuisa est mulier & uirgo] locum ual-
 de corruptum esse facile conuincitur, idque testatur H I E-
 RONYMVS aduersus Iouinianum scribens, Qui incorruptus
 in latinis codicibus ita legitur [Qui autem cum uxore est, so-
 llicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & di-
 uisus est, & mulier in nupta, & Virgo cogitat quæ Domini
 sunt] Atque in Epistola ad Romanos legunt Græci [Tê-
 mpori seruientes] cum non solum latina uulgata, sed Orige-
 nes, Chrysoſtomus, Theophilaſtus, cæteri; Græci Patres
 legant [Domino seruientes] & Hieronymus ad Marcellam
 scribens dicat, lectionem illam græcam non esse Apostoli-
 cam. In oratione quoque Dominica addita leguntur hæc
 uerba [Quoniam tua est gloria] quæ uerba adulterina esse
 ex eo demonstratur, quod Tertullianus, Cyprianus, Am-
 brosius, Hieronymus, Augustinus, cæteri que omnes Do-
 minicam orationem explanantes, eiusmodi uerba reticent,
 nullam ipsorum mentionem facientes; id ipsum quoque de-
 clarant Græcorum cæremoniæ, in missa enim totus Popu-
 lus Orationem Dominicam recitat, qua recitata sacerdos
 dicit [Quoniam tua est gloria] uerba ista, ueluti extranea,
 ab oratione Dominica seiungens. Multa præterea desunt,
 in plurimis saltem græcis codicibus, ut est de^a Adultera
 muliere narratio, De^b sudore sanguinis, & Angelo Domi-
 num confortante, atque integrum ferè Marci ultimum Ca-
 put: has autem particulas canonicas esse iam pridem demon-
 strauimus. Quibus exemplis apertè ostenditur, corruptam ef-
 se Noui Testamenti græcam Editionem. Sed neque Vulga-
 tam

^a Inf. c. 7.
§. 10.

1. Cor. 7.

1. Cor. 7.
Li. aduer-
sus Iouinia
nũ Ro. 12.

Ep. ad Mar-
cellam
Matth. 26.

^a Io.
Luc. 22.

Mar. 6.

tam latinam interpretationem puram, & incorruptam esse
 arbitramur, cum eam quam emendatissime imprimendam
 moneat Tridentinum Concilium, tacite indicans emenda-
 tione aliqua ipsam egere: Nos uerò demonstrauerimus po-
 steriõra Esther capita confusa ac perturbata esse; atque
 eandem Editionem eratis nõ carere, pariter declarat quædam
 uarietas, & dissimilitudo, quæ in latinis exemplaribus repe-
 ritur; Menda etiam aliquot (non magni tamen momenti) li-
 brariorum culpa & negligentia in ipsam paulatim irrepisse
 manifestò deprehenduntur; Quam nihilominus tum Hebrai-
 ca Editione, tum Græcis omnibus minus corruptã & men-
 dis contaminatam esse pro certo habemus; labeculas autem,
 quibus fortè aspersa est, percensere, & illas accurate exami-
 nare nostri non est nec muneris, nec instituti. Dicit au-
 tem hoc loco quispiam, postquam conclusum est, tum He-
 braicam editionem, tum Græcas ipsas, tam Noui, quam Veteris
 Testamenti, tum deniq; Vulgatam latinam, corruptas & mē-
 dis inquinatas esse, illud quoq; iam concludendum uidetur,
 Ecclesiam ipsam non habere Diuinam scripturam integram
 & puram: Quod quidem nõ solum mirum, sed dictu nephas,
 & impium uideri debet. Cui respondemus, Triplicem hunc
 esse funiculum, quem dirumpi nõ posse sapiens prædicabat,
 Hebraicam, scilicet Græcam, & Latinam Editionem, quæ mutuò se
 complectuntur, confirmant, iuuant, corrigunt, explicant, ut
 mox fusius declarabimus; eas uerò omnes utendas ecclesiã
 possidere, quibus defectiones (si quæ sunt) suppleat. Deinde
 uerò illud quoque palam affirmare non pertimescimus, lati-
 nam uulgatam Editionem ita puram, integram, & incorru-
 ptam nunc esse, ut nullũ omnino mendum in ea deprehenda-
 tur, quod cum fidei Regula, & Diuina Doctrina pugnet; qui-
 bus saluis Verbi Dei auctoritas, & Ecclesiæ dignitas ac usus
 nec conuellitur, nec labefactatur.

Quod Vul-
garalatina
editio sit
corrupta.

Dubium.

Responso.

Quomodo

Quomodo mendosæ & corruptæ Editiones
possint rectè, & sine errore emendari.

Cap. XLVII.

Quòd ad
fontes sit
confugien-
dum asseri-
tur, & pro-
batur.



QUARUM autem ratio ineunda sit corruptæ Editionis sine errore emendandæ quærentibus nobis, multi eruditi & pij uiri, atque etiam Hæretici, statim respondent, esse ad ipsum fontem relictis riuulis confugiendum, fontem uerò appellant primam illam Editionem, non ex una in aliam linguam translata, sed ab ipso met auctore manantem; de qua nos quidem tunc egimus, cum, qua lingua libri canonici ab ipsis auctoribus conscripti fuerint, explicauimus. Riuulos deinde, nec quidem temerè, illas esse dicunt, quæ inde deriuatæ Editiones in alias linguas interpretatione fluxerunt. Quorum assertio tum ratione, tum Patrum auctoritate confirmari posse uidetur. Omnis enim ex una in aliam linguam translatio difficultatem, obscuritatem, atque frequenter errorem in ipsam conuersionem inducit, eapropter **THEODORETVS** inquirens obscuritatis causas in ipsa scriptura dicebat [Fecit obscuritatem mutatio ex alia lingua in aliam] **VIGILIUS** uero martyr sensum etiam integritatem translatione corrumpi affirmabat inquiens [Nec transferendi in græcum necessitas aliqua adsit, quia difficilius integritas sensuum in aliam linguam pari potest sermonis ueritate seruari] Quod quidem incommodum, cum sit cuius interpretationi commune, minus profectò ferendum, ex Hebræo Cõuersioni accidit propter illius linguæ singularem angustiam, & uocum ambiguitatem maximam, ac multiplicem significationem; quod obseruans **HILARIUS** dicebat [Ex quo fit, ut qui postea transtulerunt, diuersis modis interpretantes, magnum Gentibus attulerint errorem, dum occultæ illius à Mose Traditionis ignari, ea, quæ ambiguè lingua hebræa commemorata sunt, incertis ipsi

Quæst. in 1
Reg.
Li. 1. con-
tra euty-
chem.
In ps. 2.

ipsi iudicijs ediderunt, Ambiguitatis autem linguæ Hebraicæ unum afferemus exemplum, ex quo cætera istiusmodi esse, atque ita, ut sunt, intelligantur] Cum igitur ex linguarum diuersitate, & ipsiusmet Traslationis ui, ac natura, atque ex interpretum inscitia uel fraude tum sæpe error, tum frequentissimè obscuritas in interpretatione gignatur, tutum profectò erit in ipsius interpretationis errore, obscuritate, ac uarietate ad eiusdem fontem perfugium. Quod Patrum etiam testimonijs confirmatur, dicebat enim **HYERONYMVS** [De Nouo nunc loquor Testamento, quod græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Christi hebraicis litteris edidit; Hoc certe cum in nostro sermone discordat, & in diuersos riuulorum tramites ducit, uno de fonte quærendum est] id ipsumque à se fuisse obseruatum in Noui Testamenti correctione palàm fatetur **INQUIENS** [Igitur hæc præfens præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Euangelia, quorum ordo est iste: Matthæus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum græcorum emendata collatione] Quòd uerò tum in Nouo Testamento ad Græcum, tum in Veteri ad Hebraicum fontem sit confugiendum idem **HIERONYMVS** utrumque simul complectens ait [Sicut in Nouo Testamento, si quando apud latinos quæstio exoritur, & est inter exemplaria uarietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo Nouum scriptum est Testamentum, ita in Veteri Testamento si quando inter Græcos, Latinosque diuersitas est, recurrimus ad Hebraicam ueritatem] Cum quo consentiens **AVGVSTINVS** quò ad libros Noui Testamenti dicebat [Libros Noui Testamenti, si quid in Latinis auctoritatibus titubat, Græcis cedere oportere non dubium est] **QVI** in latinis etiam Veteris Testamenti emendandis ad Græcam **LXX.** interpretum conuersionem confugiendum esse monebat, ueluti fontem, cum ex ea (ut dictum

2. Argum.
Præf. in
euang.

Ep. ad Sur-
niam in Fre-
tellam.

2. de Doct. **Christ. c. 15.** Etum est) in latinum conuersa fuerit uetus interpretatio, inquit autem [Latini ergo, ut dicere cœperam, codices Veteris Testamenti, si necesse fuerit, Græcorum auctoritate emendandi sunt, & eorum potissimum, qui cum LXX. essent, ore uno interpretati esse perhibentur] DE omnibus denique latinis tum Noui, tum Veteris Testamenti codicibus ait [Latinis quibuslibet emendandis Græci adhibeantur] **Responsio.** Nec miretur aliquis quòd Augustinus de Hebraica Editione (Veteris Testamenti Codicum omnium fonte) mentionem nullam faciat, quasi ad fontem confugiendum esse non arbitretur; meminisse enim nos oportet, putasse illum multa fuisse à LXX. interpretibus auctoritate prophetica addita, subtracta, immutata, quæ propterea cum Hebraica Editione non concordent, nec tamen sint ad eam sectionem à nobis accommodanda: **Qui** iccirco dicebat [Quamobrem etiam si aliquid aliter in Hebræis exemplaribus inuenitur, quam isti posuerint, cedendum esse arbitror Diuinæ dispensationi, quæ per eos facta est] **Ipsè** uerò palam affirmat ad fontem ipsum semper esse confugiendum in conuersis Codicibus emendandis dicens [Recte fieri nullo modo dubitauerim, ut cum diuersum aliquid in ipsis Codicibus inuenitur, quandoquidè ad fidem rerum gestarum utrumque esse non potest uerum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretem facta translatio] **Quibus** subscribens **Cassiodorus** ait [Quòd si tamen alia uerba reperiuntur absurde posita, aut ex his Codicibus, quos beatus Hieronymus ex Editione LXX. Interpretum emendauit, uel quos ipse ex Hebræo transtulit, intrepidè corrigenda sunt, aut sicut beatus Augustinus ait, recurratur ad Græcum Pandectem, qui omnem legem Diuinam dignoscitur continere collectam; uel quibus possibile fuerit, Hebræam scripturam, uel eius Doctores requirere non detrectent, decet enim ut unde ad nos uenit salutaris **Tran-**

2. de Doct. **Christ. c. 15. Dubium.**

2. de Doct. **Christ. c. 15. Dubium.**

2. de Doct. **Christ. c. 15.**

15. de Ciui. **Dei. c. 13.**

li. 1. de Diu. **lect. c. 15.**

Auſtoris ſententia.

Translatio, inde iterum redeat decora correctio] Patrum itaque auctoritate, & ratione ipsa demonstratum uidetur, in conuersis Editionibus emendandis ad fontes esse confugiendum, Quod nos quoque liberè fateremur, si tamen puri & incorrupti fluerent ipsi fontes, nunc autem illis effectis (ut paulo antè demonstrauimus) impuris, & sordidis, quomodo riuulorum, ab ipsis olim manantium, sordes & labes eluere possumus profectò non uidemus, nec ad incuruam & inflexam lineam cætera dirigi posse intelligimus; Regulam enim rectam certam & firmam esse oportere didicimus, qua sine errore alia metiantur, & ad ipsam ritè dirigantur. **Quid igitur?** dices; an horum, quos diximus, fontium nullus erit usus in conuersis Editionibus emendandis? **Erit** equidem, sed moderatione temperandus, in primis enim oportet ut Interpretantium codices inter se discordes deprehendantur, quorum uarietatem, ac dissimilitudinem omnia illa, quæ producta sunt, Patrum testimonia apertè commemorabant, quæ iterum recitare superuacaneum existimamus; illis tamen aliud **Hieronymi** testimonium præterea adiungemus, qui in eandem sententiam scribit [Si enim latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus, tot enim sunt exemplaria penè quot codices; sin autem ueritas est quaerenda de pluribus, cur non ad græcam originem reuertentes ea quæ à uitiosis Interpretibus male reddita, uel à præsumptoribus imperitis emendata peruersius, uel à librarijs dormitantibus aut addita sunt, aut mutata corrigimus?] **Deinde** uerò necesse est ut concordēs sint illi fontium codices, ex quibus interpretationes sunt corrigendæ, hoc enim tum non obscurè indicant eadem Patrum testimonia, tum uero ratione quiuis intelligere facile potest; multitudo enim ad unitatem, ueluti ad caput, reuocanda est, atque concordia contrahuntur quæ discordia dissipabantur, & uarietate ac dissimilitudine seiungebantur. **Quibus** concurrentibus **Regulis**

Dubium.

Responsio

Regula 1.

Præf. in Euang.

Regula 2.

Regulis, de corrigendis quidem codicibus ualde cogitare poterimus, ad emendandos autem illos festinantes accedere non debemus, de Verbo enim Dei agitur restituendo, in quo nimis cauti vel difficiles nunquā erimus; ceteras itaq; Regulas, quas mox trademus, præterea obseruabimus, illud interim nobis persuadentes, si de Vulgata latina Veteris Testamenti Editione emendanda tractetur, in latinorum Codicū uarietate concurrentibus & conspirantibus omnibus tū græcis tum Hebraicis exemplaribus ad eādem & unieam lectionem, non esse eiusmodi conspirantē consensum negligendū, sed ex eo multo firmiorē reddi iam dictam Regulā arbitrandum. Aliud præterea animaduertentes, huiusmodi diuersarū linguarum Codicum mutuam collationem, & interpretationis cum fonte comparationem, si quando correctioni non sufficere ipsa fortè deprehendatur, utilissimam nihilominus esse ad interpretationis obscuritatem tollendā, & scripturæ sensum aperiendum, quod commodum tum ex cuiusuis editionis collatione capitur, & iccirco dicebat **HIERONYMVS** [Vnde & utranque editionem posui, ut quod in altera uideatur obscurū alterius, lectione referetur] & rursus [Sed tamē ut superius dixi, horum quoq; interpretum, qui uerbis tenacius inhæserunt, collatio non est in inutilis ad explanandam sæpe sententiam] tū uerò ex ipsius fontis comparatione maxime redūdat, ut Hilarij, Theodoretī, & Vigilii pauloante producta testimonia indicabant, & unusquisque experiētia comprobare facile potest. In emendandis autē Codicibus obseruanda præterea sunt ab antiquis Patribus recitata ex scripturis testimonia; uel enim eorum temporibus nondum corrupti erāt ipsi Codices, uel ex uarijs lectionibus sancti illi & doctissimi uiri optimam delegerunt, quorum singulare iudiciū magni faciendum esse pij homines intelligunt: illud tamen in hac Regula est aduertendū, quòd plerunq; ipsi Patres sensum potius scripturæ quàm uerba referunt, quem seruantes ipsi di-

ctiones

ditiones tenere uel immutare non curabant, quas memoriter sapius, quàm ex scripto recitabāt, quapropter singulares ipsorum lectiones non sunt obseruandæ, nisi ad eas cōprobandas alia argumenta concurrant; in quibus autem illi conspirantes cōsenserint, ex scripto recitata uerba fuisse credendum est, atque puram & germanam lectionem illam esse suspicandum. Adhæc uero conferendi inter se sunt vetustissimi codices, uel à Romana Ecclesia, uel ab alijs antiquis Ecclesijs, in quibus doctrina, & pietas maxime floruerunt, diligenter adseruati, & publice lecti, aut quos nobiles Bibliothecæ adhuc seruant; eorum enim antiquitas & consensus ueritatis & integritatis non paruam fidem facit. Quibus omnibus, quasi postremā Regulā adiungendā, esse coniecturam alicui fortasse uidebitur, hoc c. n. argumēto librorū Correctores maxime uti solent, qui acumine quodā ex litterarū similitudine, punctorū uarietate, Grammatica, recteque scribendi arte & usu, atq; alijs permultis coniecturas aptè ducere solent, ut qui acuti sint dictionum coniectores, præclari iidem uideantur librorum Correctores; quod quidem nos etiam in profanis libris plurimum ualere fatemur, in sacris autem uix locum habere putamus; in quibus nimirum, ut iam pridem diximus, Grammaticæ Regulæ non obseruentur, litteræ uerò & elementa ipsa, imò & puncta mysteria quandoque contineant, & paululum immutata hèresim cōfirmant, nec Dei Verbum huc & illuc coniecturis duci æquum uideatur; ne tamen morosi uideamur eiusmodi argumento postremum hunc locum non denegabimus, quo etiā Patres ipsos aliquando usos esse nouimus, illud tamen omnium maxime infirmum esse declarantes, cetera autem tum singula multum ualere, tum plura concurrentia maxime persuadere, tum omnia conspirantia certo demonstrare in Editionum corruptarum recta emendatione putamus.

Regula 4.

Regula 5.

In Isa. 49.

In Isa. 49.

Regula 3.

I V L I I R V G E R I I
O P V S C V L V M
D E S E N S I B V S
S C R I P T V R A E S A C R A E .



*In quo sensus plures Diuinis scripturis contineri demonstratur ;
Quorum singula Species, Natura, & Vires
explicantur ;*

Atque illarum tum mutuae coniunctiones, tum uariae dissi-
militudines ipsarum collatione ostenduntur.

*Quis denique scripturae sensus in Ecclesia sit ; Et quo sensu
Scriptura ipsa demonstret, declaratur .*

I N D E X
CAPITVM OPVSCVLI
de sensibus scripturæ sacræ.

- Cap. 1. Quòd sub eisdem sacræ scripturæ uerbis, atque illorum ambitu, siue periodo plures ac multiplices subjiciantur ueri sensus.
- Cap. 2. Argumenta, quibus probatur non posse in eadem scripturæ uerba plures sensus accommodari. Atq; ad illorum singula responsiones.
- Cap. 3. Quòd singuli sensus in eadem scripturæ uerba accommodandi, à nobis recenseri non possint, cum novos assidue proferre tum Ecclesiæ, tum unicuique Theologo liceat.
- Cap. 4. An singulæ scripturarum enunciationes in plures ueros sensus piè accommodari possint, necne.
- Cap. 5. Quot & quæ sensuum species in scripturis sanctis piè deprehendantur.
- Cap. 6. Argumenta, quibus probatur præter litteralem sensum cætera omnia sensuum nomina esse *συνοχη* putanda.
- Cap. 7. Argumenta, quibus demonstratur præter litterale sensum cætera sensuum nomina nō esse *συνοχη*, sed diuersos re ipsa sensus, ac distinctos significare.
- Cap. 8. Propositæ Quæstionis explicatio.
- Cap. 9. Responsiones ad Argumenta superius allata.
- Cap. 10. Quòd plures eiusdem speciei sensus eiusdem scripturæ uerbis contineantur.
- Cap. 11. Argumenta, quibus probatur litteralem scripturæ sensum falsum, noxium, & mortiferum esse. Eundemque cum spiritali sensu pugnare.
- Cap. 12. Argumentis probatur litteralem sensum verum &

salutarem esse, atque cum spirituali optime conuenire. Quæstionis nodus soluitur, & obiectæ argumentationes diluuntur.

- Cap. 13. Quot, & quæ sint sensus litteralis species. Et Quòd sensus iste sit aliorum sensuum ueluti Basis, & fundamentum.
- Cap. 14. Quòd sensuum species non sint æquè notæ, ignotior autem spiritualis sensus, utpotè qui impios, & improbos homines lateat.
- Cap. 15. Quòd idem spiritualis sensus in alio scripturæ loco efficiatur litteralis, ostenditur.
- Cap. 16. Argumenta quibus probatur seruari in Ecclesia certum & germanum scripturarum sensum Traditione acceptum.
- Cap. 17. Argumenta, quibus probatur nullum traditum scripturæ sensum in Ecclesia seruari.
- Cap. 18. Proposita Quæstio explicatur, & obiectæ utrinq; Argumentationes diluuntur.
- Cap. 19. Quo sensu scripturæ sacræ probent, ac demonstrant declaratur.

5

QVOD SVB IISDEM SACRÆ SCRIPTURÆ VERBIS, atque illorum ambitu, siue periodo, plures, ac multiplices subijciantur veri sensus. Cap. I.



DIVINÆ ipsæ scripturæ adeo excellentem ab auctore Deo præstantiam sunt consecutæ, ut præclara multa sint in illis ita singularia, quòd in nullum hominũ sermonem conuenire unquam possint; inter cætera autem illud quòque priuilegium ipsis irrogatum esse Ecclesiæ traditione accepimus, quòd in eadem uerba uarij ac dispares sensus ita accommodentur, ut ueri illi omnes & germani profus iudicentur. Quinimo illud præterea Patrum consensio demonstrari posse putamus, tot ex iisdem uerbis cõgruentes sensus erui licere, ut cum plurimos inde collegeris, plures adhuc ibidem delitescere meritò suspiceris; ut potè qui à nobis certo numero definiri, atque ipsorum integra ratio haberi minime possit. Nunc uerò, quod initio diximus, eisdem scilicet uerbis plures ab ipso Spiritu sancto sensus non obscurè tributos fuisse, in primis statuimus, ipsiusmet scripturæ testimonijs id ipsum confirmantes; scripta enim hæc uerba in **GENESI** legimus, [Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una] Quod dictum ipse **CHRISTVS** ad matrimonium pertinere est interpretatus, cum à Pharisæis interrogatus [Si licet homini dimittere uxorem suam quacunq; ex causa?] dixit [Non legistis, quia qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos? & dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo

Gen. 2.

Match. 19.

in carne una, quod ergo Deus coniunxit homo non separet) PAVLVS tamen APOSTOLVS in hæc eadem uerba Christi & ecclesie uinculum accommodauit dicens [Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una; sacramentum hoc magnū est, ego autem dico in Christo & in ecclesia] legitur præterea in GENESI [Peperitque Agar Abræ filium, qui uocauit nomen eius Ismahel] & alio in loco [Vocauitque Abraham nomen filij sui, quem genuit ei Sara, Isaac] quæ narrante scriptura, nemo est qui eiusmodi nudam historiam neget (Abraham scilicet ipsum tum Ismahelem ex Agar ancilla, tum Isaac ex Sara libera uere suscepisse) ut propterea sensus hic historicus omnium consensione uerissimus iudicetur; præter quem tamen APOSTOLVS ipse alium quendam allegoricum sensum ex eisdem uerbis eruebat inquit [Scriptū est enim quod Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera; Sed, qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera repromissionem; quæ quidem sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem à monte Sinà in seruitutem generans, quæ est Agar &c.] IDEMQVE ad Verbi Dei ministros illud allegoricè transferebat [Non alligabis os boui trituranti] quod quidem secundum litteram de bobus ipsis erat olim in lege præceptum: his uero consimilia non desunt alia in scripturis certissima exempla, quæ singula recensere longum esset, & (ni fallor) superuacaneum, sunt enim inquirenti facile obuia, atque ex paucis, quæ protulimus, testimonijs ita liquet, Plures aliquando sensus eisdem scripturæ uerbis ab ipso Spiritu sancto impertitos fuisse, ut inficiandi ratio nemini sit relicta; Nec uerba sola, sed res ipsas & acta in scriptura commemorata in alium sensum præter historicum ab eodē Spiritu sancto accommodari certum ac perspectum est, cum dicat CHRISTVS [Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto

ferto, ita exaltari oportet filium hominis] Et rursum [Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus] An uero præter Spiritum sanctum auctorem atque ipsius in exarata scriptura ministros homines, liceat Doctoribus uerbi Dei interpretibus plures ac disparēs sensus ex iisdem scripturæ uerbis eruere, in ea quidem nõ expressos, quos tamen tanquam ueros & germanos Spiritui sancto auctori ascribere non temere possimus, non est utique apud omnes certum & exploratum, de eo tamen nõ minime dubitamus, cum certo sciamus, Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta esse, & gesta ipsa in circo narrari, ut aliquem ex historia fructum fideles capiant, quem quidem ex unico sensu percipere non semper liceret, cum non solum minutæ & tenues quædam narrationes in scriptura legantur, quæ lectori nihil prodesent, de quibus magnus GREGORIUS dicebat [Utique, quæ sequuntur, sunt omnino digna despectu, si ex sola narratione pensentur] sed turpia etiam facta quandoque commemorantur, quæ eidem lectori maxime obessent, si in eo solo, qui in promptu est, sensu ipse hæreret; cum interior & reconditus eorundē sensus maxime prosit; quod obseruans idem GREGORIUS ait [Aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia uirtutis; quod uerum citius ostēdimus, si unum sacre scripturæ testimonium ad utraque probanda proferamus, Quis nanque audiens non solum fidelium, sed ipsorum quoque infidelium nõ omnimodo detestetur, quod David in solario deambulans, Berabeæ Vriæ concupiscit uxorem? &c.] Et rursum [Sic gesta damnat, ut hæc mystice gerenda persuadeat] Antiquissima præterea & communi interpretum consuetudine experimur tum Ecclesiam ipsam, tum singulos doctores ex scriptura novos assidue sensus promere, cum illa apte coherentes, studioforum contemplationi per-

Math. 12.

Quod liceat Doctoribus ex eis dem uerbis uarios sensus eruere probatur.

1. Argum. Rom. 15.

Moral. lib. 18.

Moral. li. 9.

Moral. li. 9. 2. Argum.

Eph. 5.

Gen. 16.

Gen. 21.

Gal. 4.

1. Cor. 9.
Deut. 15.

utiles, atque fidelibus omnibus salutare; ut potè qui scripturæ ipsius tum exemplo, tum consilio & monitu abditos eiusdem sensus inuestigare, ac præter eos, qui peruulgati sunt, recentiores præferre didicerunt: cum enim ipsa scriptura, ut iam demonstrauimus, uariè suam uerba sit aliquando interpretata, id ipsum Patres non perinde accipiebant, ac si in illis solis dictis id fieri liceret, sed contra potius sibi certò persuadebant, uiam fuisse monstratam, quam ingrederentur, & proposita exempla, quæ imitarentur; quare præter historicum sensum, spiritual em alium frequentissime indagare illi experiebantur; ea propter ORIGENES Isaiæ uerba examinans dicebat [Videntes uidebitis, & non scietis, si autem, ut existimant simpliciores, illa quæ facta sunt nõ propter nos sed propter se facta sunt, & nõ erant exempla alterius rei, exponant quem hoc quod dictum est, Videntes uidebitis & non scietis, habeat sensum; nam si non ea, quæ uidebantur, habebat aliquem sensum sacratum, ut cum carnalibus oculis etiam spiritualiter inspicerentur, nunquam dixisset, Videntes uidebitis, & non scietis] IPSE uerò longe aliter sentiens, atque spiritalem sensum præter historicum libenter agnoscens, quod in Ecclesia didicerat, aperte profiteretur inquit [Hæc interim propter eos, qui amici sunt litteræ, & non putant legem spiritalem esse, & spiritualiter intelligendam; sed nos, qui omnia quæ scripta sunt, non pro narrationibus antiquitatum, sed pro disciplina & utilitate nostra dicimus scripta, hæc quæ leguntur etiam nunc fieri non solum in hoc mundo, qui Aegyptus figuraliter dicitur, sed in unoquoque nostrum deprehendimus] id uerò scripturæ familiare esse CYPRIANVS aperte testatur dicens [Cum uero scripturæ diuinitus aspiratæ familiare sit rebus crassè, & historicè gestis quandoque ostendere mysteria, & occultorum sensuum imagines adumbrare] cum quibus consentiens GREGORIUS NAZIANZENSIS ait [Est etiam in scripturis

ris

ris nostris duplex sensus, alter internus, ac spiritualis, alter externus, nec litteræ corticem excedens; ille a paucis perspicitur, hic a plerisque intelligi potest; quod ea ratione factum puto, ut sapientes meliori quam ceteri conditione sint, aut quòd non sine labore ac negotio acceperunt, studiosè quodque conseruent, ac retineant; quòd enim aliquis celeriter facileque adeptus est, id ne retinere quidem magnopere curat: Verum hanc sermones nostri rationem habent, quòd & corpus ipsis illustre est, & anima præclara atque diuina, aptissime ut conferri cum duplici ueste possint, externè nimirum purpurea, internè autem eximio cado re pellucida] Cui coæuus CHRYSOSTOMVS inquit [Talis enim scripturæ mos est, ut & in paruis uerbis plurima sæpe multitudo sensuum inueniatur, diuinæ enim sunt doctrinæ non humanæ, & propter hoc omnem illam uidere licet, secus se habere quàm humanam] Idem asserit AMBROSIVS dicens [Non una tantum figura, sed multiplex in diuinis scripturis esse consuevit, ut unus sermo plures species comprehendat] Quod comprobans HIERONYMVS ait [Non sunt, ut quidam putant, in scripturis uerba simplicia, plurimum in his absconditum est, aliud littera, aliud mysticus sermo significat] A G V S T I N V S uerò aperte testatur, hanc esse totius Ecclesiæ certissimam sententiam, quòd omnis diuina scriptura, in plures sensus accommodari debeat, ait enim [Tum demumque quòd per spiritum Dei scripturæ conscriptæ sunt, & sensum habeant nõ eum solum, qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quam plurimos, formæ enim sunt hæc, quæ describuntur, sacramentorum quorundam, & diuinarum rerum imagines, de quo totius Ecclesiæ una sententia est, esse quidem omnem legem spiritalem, non tamen ea quæ spirat, lex est omnibus nota, nisi his solum, quibus gratia Spiritus sancti in uerbo salutis, ac scientiæ condonatur] Quod quidem pulchra translatione, MAGNVS GREGORIUS expressit, cum de ipsa scriptura sermonem

In Isa. ho. 7

In Exod. hom. 1.

In Isa. li. 2. tit. 2.

In Gen. hom. 37.

In Luc. l. 8. c. 18.

Ep. ad Damasum.

De Incarnatione uerbi. l. 1.

In Ezech. hom. 18.

monem habens dixit [Duo limina habet exterius & interius, quia in litteram diuiditur & allegoriam; limen quippe sacrae scripturae exterius littera, limen uero interius allegoria, quia enim per litteram ad allegoriam redimus, quasi a limine, quod est exterius, ad hoc, quod est interius, uenimus] & alio in loco de eadem scriptura dicebat [Ut ergo de rerum ponderetate, scientias tamen omnes atque doctrinas ipso etiam locutionis suae more antecedit, quia uno eodemque sermone dum narrat textum, prodit mysterium, & sic scit praeterita dicere, ut eo ipso nouerit futura praedicere, & non immutato dicendi ordine, eisdem ipsis sermonibus nouit, & ante acta describere, & agenda nuntiare] Quibus omnibus subscribens **BERNARDVS** dicebat [Non sine causa sane multiplex spiritus a sapiente describitur, nisi quod sub uno litterae cortice diuersos plerumque sapientiae intellectus tegere consuevit] Hucusque igitur tum scripturae tum Patrum testimonijs abunde demonstratum est, sub iisdem Diuini sermonis uocibus, plures sensus ueros & germanos subijci.

Argumenta quibus probatur non posse in eadem scripturae uerba plures sensus accommodari Atque ad illorum singula Responsiones. Cap. II.

Haec tamen, quam diximus, in scriptura sensuum uarietas, & multitudo, quosdam quosdam offendit, quam non modo nullo nobis adiumento, sed maximo etiam impedimento esse arbitrantur: Ut potest quae ambiguitatem & amphiboliam pariat, haec uero fallaciam, illa tandem ignorantiam gignat; Vitia quidem tum ab omni uera doctrina abhorrentia, tum cum ipsa Diuina eruditione maxime pugnantia. Quare Hebraei ipsi (qui in ueteri

lege

lege cognoscenda omne studium posuerunt) ita in solo litterali ac historico sensu propterea acquiescunt, ut spirituales & allegoricos sensus omnes negligant, & missos prorsus illi faciant. Re uera enim (ut isti dicunt) solus litteralis sensus, si accuratè inspiciamus, in scriptura deprehenditur, cum omnis sensus aliqua metaphora, siue figura expositus, quascunque tandem res, uel corporeas uel spirituales, & mysticas completatur, sit utique litteralis: ut exempli causa, Daniel Hirci, Lignorum, Vitis, Montium, Aquarum mentionem faciens, metaphoris quidem utitur, quibus Graecorum Regem, uariosque homines designat, litteralis tamen sensus is est qui metaphoricus uidebatur; vnicus igitur semper & litteralis putandus erit omnis scripturae sensus. Ad haec autem breuiter respondentes dicimus, multiplicem quidem uocum significationem in hominum sermone ambiguitatem & confusionem gignere, inde uero fallaciam & ignorationem oriri, sed tamen humanis uocibus, & sententijs non esse Diuinas scripturas metiendas, quarum longe dispar est ratio, & plurium sensuum in ipsis summa apparet consensus; eorum enim alter alterum uel gignit, uel confirmat, uel aperit, uel saltem cum ipso optime cohæret; quod quidem tum ex ijs quae diximus, colligi potest, tum etiam multò apertius cognoscetur, cum singulas sensuum species, qui ex scriptura eruuntur percensentes examinabimus, ut propterea illorum copia & multitudo notitiâ maxime gignat, errorem excludat, confusa distinguat, perturbata ordine disponat, atque fidelium animas uariè consoletur, fulciat, roboret erudiat; & iccirco dixerit **BERNARDVS** [Charitas, cui scripturas seruire oportet, eò aedificat plures, quò plures ex eis in opus suum ueros erudierit intellectus; cur enim hoc displicet in sensibus scripturarum, quod in usibus rerum assidue experimur? in quantos, uerbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum usus? ita unus quilibet diuinus sermo non erit ab re, si diuersos pariat intellectus diuersis

3. Argum.

Dam. 3.

Resp. ad 1.

In Can. Cā. ser. 51

Mor. l. 20.

In Can. Cā. serm. 47.

1. Argum.

2. Argum.

Ad 2.

sis animarum necessitatibus, & usibus accommodandos] Ad Hebræorum autem sententiam & iudicium, quod secundo loco obijciebatur, respondentes dicimus, ueteres quidem Hebræos (Prophetas. s. & sanctos doctosque in lege uiros) spiritalem scripturæ sensum præter litteralem & historicum optime agnouisse, ut potè qui Christum uenturum intelligebant, cuius aduentum & Euangelij gratiam auidè expectabant; quæ quidem ipsa legis littera quasi uelo obtegebatur; imò spiritales illi uiri in minutis etiam & tenuibus rebus mysticū sensum ex scripturæ uerbis eruebant, quod uetustiorum Rabinorum monumēta apertè declarant, & Orthodoxi Patres testantur, qui etiam allegoricas Hebræorum interpretationes aliquando recitant; ut exempli causa Origenes, Cyrillus, Hieronymus summi sacerdotis uestes mysticè interpretantes, Hebræorum sententiam referunt: Iudæi tamen posteriores, rudes illi quidem & hebetes, quos turbidæ animi perturbationes ita excæcarunt, ut occidentem litteram secuti ad omnem spiritalem intelligētiam obdurerint, spiritales equidem sensus apertè repudiarunt, propterea que nec ipsi aduentum Christi olim agnouerunt, nec illorum filij eadem cæcitate laborantes euangelij gratiam hucusque amplectuntur: Quorum errorem tum Christus ipse, tum Apostoli omnes frequenter illis exprobrantes, legem spiritalem esse, & spiritum ducem & interpretem sequendum commonuerunt. Hæc autem nos uestigia persequi, & præcepta tenere omnino debemus, ut spiritalem sensum in scripturis accuratè inuestigantes, à Iudæorum ruditate ac tarditate lōge refugiamus; quos redarguens PAVLVS dicebat [Sicut Moyses ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filij Israel in faciem, eius quod euacuatur; sed obtusi sunt sensus eorum, usque in hodiernum enim diem id ipsum uelamen in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum (quoniam in Christo euacuatur) sed usque in hodiernum diem cū legitur Moy

2. Cor. 3.

ks,

ses uelamen positum est super cor eorum] Tertium tandem illud erat obiectum, quod Metaphoricus sensus à litterali nulla ex parte differret, ut allatum exemplum demonstrabat, quod quidem eo in loco uerissimum esse libenter concedimus, cum enim scribitur [Iuerūt ligna ad uitam, & dixerunt: impera nobis] quis unquam mentis compos crediderit ligna ipsa loco mota esse? uel quid tale locuta fuisse? translatis utique uocabulis usa est scriptura, ut propriam nos significationem in illis delitescentem acciperemus; præter eum tamen litteralem sensum quis prohibet spiritalem alium nos excogitare? qui quidem uel ex illorum litterali sensu, uel tandem ex ipsis factis rebusque quomodolibet oriatur? Quod alibi factum esse clarissimis exemplis iam declarauimus, & quomodo fiat, de sensuum speciebus atque illorum procreatione tractantes; abunde posthac demonstrabimus.

Ad 2.

Dan. 3.

Quòd singuli sensus in eadem scripturæ uerba accommodandi à nobis recenserī non possint, cum nouos assidue proferre tum Ecclesiæ, tum unicuique Theologo liceat. Cap. III.



N uerò sensus isti certo aliquo numero à nobis definiri possint, uel potius innumerabiles uideantur, cum ipsorum certa numeri ratio non habeatur, iam erit perscrutandum; nobis enim uerborū significationem considerantibus, quæ omnis ab hominum arbitrio, ut docet Aristoteles, uel à natura ipsa, ut Plato, pendere deprehenditur, sensus ipsi definiti omnino esse uidentur, cum in rem finitam à re finita pendentem, infinitum aliquid accommodari non possit, Dei autem infinitam uim & intelligentiam quisquis cogitauerit, eius quoque uerbo immensam

mensam quandam sensuum uim & copiam impertitam esse suspicabitur, nec fieri posse putabit, Deum omnia simul intelligentem eiusmodi uerba proferre (intelligentiæ. s. & cogitationis notas) quæ in angustum quendam locum conclusa, uno uel altero sensu terminentur. In his igitur, quæ pugnare uidentur, conciliandis, temperamentum aliquod adhibere conabimur, dicentes sensus quidem à Deo comprehensos, immensos esse & innumerabiles, ut potè qui ab infinita mente & intelligentia proficiantur, eosdem uerò uerbis conclusos uocum angustijs premi, atque illarum spatij astringi & definiri; quodcunque tamen uerum & conærens ipsa uerba proprie, uel translata significare, indicare, balbutire possunt, id omne in illa esse liberè accommodandum, & quoad honestè & piè fieri possit, uerborum etiam, & grammaticæ uincula laxanda, ut maior tandem illorum sensuum copia exprimat, quos loquens Deus infinita mente complectebatur: Quare nemo tam perspicax, & ad excogitandum acutus esse unquam poterit, qui ex Diuinæ scripturæ uerbis latentem aliquem uerum sensum eruat, quem Deus ipse omnia intelligens non aduerterit, & in eum uerba accommodari posse tum uiderit, tum etiam prouiderit: Quod quidem AVGVSTINVS non obscure nos docuit dicens [Quando autem ex eisdem scripturæ uerbis non unum aliquid, sed duo uel plura sentiuntur, etiam si latet quid senserit ille qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet congruere ueritati ex alijs libris sacrarum scripturarum doceri potest; id tamen eo, qui Diuina scrutatur eloquia, conante, ut ad ueritatem perueniatur Auctoris, per quem scripturam illam sanctus operatus est spiritus, siue hoc assequatur, siue aliam sententiam de illis uerbis exculpet, quæ fidei non refragetur, testimonium habens ex alio quocunque loco Diuinorum eloquiorum; ille quippe auctor in eisdem uerbis, quæ intelligere uolumus, & ipsam forsitan sententiam uidit, & certè ipse Dei spiritus, qui per eum hoc est operatus,

etiam

De Doctr.
Christ. li. 3.
c. 27.

etiam ipsam occursum pio lectori & auditori sine dubio prouidit, imò ut occurreret & ipse, quia subnixa est ueritati, prouidit; nam quid in Diuinis litteris potuit largius, uberius, diuinitus prouideri, quàm ut eadem uerba pluribus intelligentur modis, quos alia non minus Diuina faciant approbari? & alio in loco [Spiritus sanctus ad culmè auctoritatis Diuinum sermonem componens, ita plerumque sermonem eundem aptauit, ut intelligentes plures ueras possent accipere sententias, maluitque scripturam sic pro nostra utilitate esse pluribus sensibus fecundam, quàm eiusdem scripturæ sic aptare sermonem, ut unam solam uerba resonarent, cæterasque ueras sententias excluderent; & ita Deus per sermonem unum in litteris sacris plerumque non unam solum, sed plures etiã litterales uoluit significare sententias, Spiritu sancto ita sermonem multorum sensibus temperante, ut etiam eum, qui scripsit, dum scriberet eodem spiritu erudiente has attendisse credamus] Hinc factum est ut non solum ipsi Ecclesiæ, sed singulis etiam Theologis semper licuerit, liceatque nouos ex scriptura sensus promere, cum ea tamen, & ueritate congruetes; quod admonens ORIGENES dicebat [Tentemus etiam facere illud, quod sapientia commonet dicens, Bibe aquas de tuis fontibus, & de tuis puteis, & sit tibi fons tuus proprius. Tenta ergo & tu Auditor habere proprium puteum, & proprium fontem, ut & tu cum apprehenderis librum scripturarum, incipias etiam ex proprio sensu proferre aliquem intellectum, & secundum ea quæ in Ecclesia didicisti] Idemque & factum & futurum esse, & quàm maxime decere testatur CHRYSOSTOMVS cum ait [Merito Thesauro cuiquam conferatur Diuinarum scripturarum lectio: nam sicut ex illo quisquis uel paruum fructum capere ualeat, multas sibi parat diuitias; ita & in sacra scriptura etiam in breui dictione uariarum sententiarum uim, & indicibiles diuitias inuenire licet; & non solum Thesauro sunt similia Diuina eloquia, sed fonti quoque

Confess. li.
12. c. 28.

In Gen.
hom. 12.

In Gen.
hom. 5.

que largis perennibusque scaturienti fluentis. Vnde etiam qui ante nos fuerunt pro uiribus suis aquas hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt, neque sic totum euacuare poterunt, sed magis interim augetur flumina & crescunt] Quæ Chrysostomi uerba tum singulis licere nouos eruere sensus, tum innumerabiles illos ita esse, ut nunquam exhauriri possint, apertissime ostendunt, cum quo consentiens VINCENTIUS LIRENENSIS ait, Scripturam sacram pro ipsa sui altitudine non uno eodemque sensu uniuersi accipiunt, sed eiusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illic sententiæ erui posse uideantur] Atque iccirco HIERONYMVS non reprehendat Augustinum, quòd post multos tū Latinos tum Græcos tractatores sit Psalmorum librum diuersè interpretatus, sed id iure suo illum fecisse affirmabat dicēs; [Porro quod dicis non debuisse me interpretari post ueteres; & nouo uteris syllogismo; aut obscura fuerunt quæ interpretati sunt septuaginta, aut manifesta: si obscura, te quoque in illis falli credendum est; si manifesta, illos in eis falli non potuisse perspicuum est; tuo tibi sermone respondeo. Omnes veteres tractatores, qui nos in domino præcesserunt, & qui scripturas sanctas interpretati sunt, aut obscura interpretati sunt, aut manifesta: si obscura, tu quomodo ausus es post eos disserere, quod illi explanare non potuerunt? si manifesta, superfluum est te uoluisse disserere, quos illos latere non potuit, maxime in explanatione Psalmorum, quos apud Græcos interpretati sunt multis uoluminibus, primus Origenes, secundus Eusebius Cesariensis, tertius Theodorus Heracleotes, quartus Asterius Scythopolitanus, quintus Apollinarius Laodicensis, sextus Didymus Alexandrinus. Fuerunt & diuersorum in paucos psalmos opuscula; sed nunc de integro psalmorum corpore dicimus: Apud Latinos autem Hilarius Pictauiensis, & Eusebius Vercellensis Episcopus

Ori-

De propheta
nis uocum
nouit.Ep. 89. ad
Augustinum.

Originem & Eusebium transfulerunt, quorum priorem & noster Ambrosius in quibusdam secutus est. Respondeat mihi prudentia tua, quare tu post tantos & tales interpretes in explanatione psalmorum diuersa senseris: si enim obscuri sunt psalmi, te quoque in eis falli potuisse credendum est: si manifesti, illos in eis falli potuisse non creditur: ac per hoc utroque modo superflua erit interpretatio tua: & hac lege post priores nullus loqui audebit, & quodcunque alius occupauerit, alius de eo licentiam scribendi non habebit: Quin potius humanitatis tuæ est, in quo ueniam tibi tribuis, indulgere & cæteris] CASSIODORVS uerò monebat ut scripturarum sensus à quo uis catholico interprete peteremus, dicens [Quòd si in his quæ dicta sunt, aliqua fortasse loca dubia sunt relicta, nec explanatione plenissima satisfacere potuerunt, nequaquam uobis modernos expositores interdico, cautè quærendos esse catholicos, quoniam accessu temporum multis nouiter gratia diuinitatis infunditur, quæ forsitan priscis Doctoribus celata monstratur] Quibus subscribens MAGNVS GREGORIUS inquit [Hæc scriptura quæ à me indigne exponitur ei, cui omnipotens Deus secreta aperire uoluerit, bona & sublimia multa dicit; scriptura enim sacra tam mirabiliter ab omnipotente Deo condita est, ut & si multipliciter uideatur exposita, non desint tamen ei secreta, quibus seruet occulta; quia ferè nunquam sic exponitur, ut ei non plura remaneant, quæ quotidie exponantur] Ex his igitur Patrum testimonijs non temerè colligimus immensam quandam sensuum copiam in eisdem scripturæ uerbis delitescere, quos inde pie eruere unicuique Theologo liceat, eos tamen reuera & proprie infinitos esse, absit, quòd credamus; cum rei finitæ (sermoni scilicet) iisdem subiiciantur, sed similitudine quadam, & ratione nostri, infiniti ac innumerabiles illi dicuntur; ut potè quorum numeratio à nemine habeatur, maximam autem ipsorum multitudinem, & uarietatem esse omnes fateantur. Huic ta-

B men

De Diu. lca
Ae. li 1.Prolog. in li.
Regum.

Dubitatio
Sess. 4.

Responsio.

Sess. 4. 3

Super Mis-
sus est. ho-
mi. 4.

men assertioni obijciat fortasse quispiam sacri TRIDENTINI CONCILII definitionem, qua omnibus interdictum esse uidetur nouas scripturae interpretationes excogitare, atque in illa explananda à Patrum sententijs dissentire. Sed quis unquam mentis compos sibi persuadere poterit Concilij definitionem cum grauisimis, quæ protulimus antiquorum Patrum testimonijs pugnare? cum quibus optime consentire intelligemus, si Decreti uerba diligentius perpendamus, sunt uerò hæc [Decreuit sancta Synodus ad coercenda petulantia ingenia, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram scripturam ad suos sensus contorqueat, aut contra eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, aut etiam contra unanimum consensum Patrum ipsam scripturam sacram interpretari audeant] Prohibet igitur sancta Synodus ne quis interpretæ suæ innitatur prudentiæ; idè Patres olim prohibebant, sed scripturae testimonijs innitendum monebant, Ab Ecclesiæ sententia, Patrumque consensione non esse discedendum eadem Synodus iubet, idem assertio nostra tuetur. At longe diuersum est cum illis pugnare, uel nouum quidem, sed cum eisdem optimè cohærens excogitare & proferre: Item contra, uel præter ipsos aliquid asserere. Impium enim illud est, atque Ecclesiæ & Patribus in sensum; hoc uero maxime pium, laudabile, & apud omnes gratiosum, ut propterea BERNARDVS diceret [Sed si quid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus arbitrator, nec cuiquam displicere debere] Quomodo autem præter antiquos Patres atque illorum interpretationes nouos sensus ex scriptura eruere liceat; & quis in scripturis interpretandis esse intelligatur Ecclesiæ sensus & Patrum consensus, accuratè paulo post explicabimus, cum sci licet de ipsius scripturae interpretatione agemus. Interim tamen sciamus Hæreticorum in primis & sciorum quorundam licentiam

tiam ac temeritatem Concilij Decreto compressam esse. Theologorum autem ac piorum hominum libertatem diligenter seruata, & noua quidem interpretandi genera cum Patribus, cum Ecclesia, cum traditione, cum ipsa denique scriptura pugnata omnibus esse interdicta. Antiquissimam autem ac perpetuam Patrum consuetudinem, atque usitatum in Ecclesia uariè interpretandi morem posteris ipsis non fuisse denegatum. Quare certa & firma manebit assertio, quòd sub iisdem scripturis, uerbis atque illorum periodis uarij ac multiplices subijciantur ueri sensus, qui etiam ab auctore Spiritu sancto tributi, cogniti & præuisi, ratione nostri innumerabiles uideantur, eosque delitescentes illinc erruere unicuique Theologo liberè liceat.

An singulae scripturarum enunciationes in plures ueros sensus piè accommodari possint necne. Cap. IIII.



DIUINAE ipsi scripturae familiare esse paulo ante demonstrauimus, ut eisdem uerbis plures ueros ac germanos sensus illac complectatur; Id uero an sit tantummodo in scripturis frequens, uel ipsis potius ita proprium & innatum dicatur, ut singulis etiam tenuissimis earum particulis conueniat, & nulla prorsus sit enunciatio, in quam plures sensus aptè accommodari non possint, nondum sanè ex his quæ diximus, exploratum uidetur: Sunt autem qui opinentur aliquot esse in scriptura enunciationes, quæ hac lege astringi, regulaque metiri non debeant, ut potè quibus unicus subijciatur sensus; imo aliqui palàm fatentur ridiculum omnino esse, præter litteralem sensum uelle in quibusdam mysticum etiam inuestigare; quorum quidem sententia posset fortasse nonnullis Patrum testimonijs confirmari, cum dicat ORIGENES [Iuste, inquit, sectare quod in-

Opinio
quorundam.

Io. Driedo.

In Num.
hom. 11.De sanctis
serm. 24.
De assumpt.
Mariæ.Dicitur opi-
nioniseuer-
fo.

1. Argum.

2. Argum.

stum est, quid opus est in ijs allegoriam quærere, cum ædificet etiam littera? Ostendemus ergo esse quædam, quæ allegoria penitus immutare non debet, sed omnimodo ita, ut scripturæ de ijs continent, obseruanda sunt] Idem apertius asserit AVGVSTINVS, qui de eadē scriptura sermonem habens ait [Sæpe apertis sermonibus insinuat, in quibus nihil præter id quod sonuit quærendum inuitat, ut est illud, quia Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Iacob Iacob Iudam & fratres eius, &c. talia, in quibus sola littera tenenda est] Quam tamen assertionem probare nos non audemus, scripturæ excellentes priuilegium à minima etiã illius particula auferre pertimescentes, nec Spiritus sanctus immensam intelligentiam nostra contemplatione metiri præsumentes; ut si forte nos ipsi (tardi quidem & hebetes ad excogitandum) uerba aliqua considerantes, in sensum unicum illa accommodemus, idcirco asseramus nullum præterea sensum sub eisdem uerbis subijci posse; hoc itaque temerarium esse arbitrantes, uix etiam adduci possumus, ut suspicemur Spiritus sancti cogitatione sermonis inopia ita quandoque arctatam esse, ut unico penitus sensu astringatur, cum præsertim Patrum commentaria uoluntates didicerimus, & quasi manibus tractantes expertissimus minutas quasdam ac tenues scripturæ narrationes, quæ quidem præ cæteris omnibus unicum habere sensum uidebantur, pluribus tamen, nec uulgaribus, fuisse sensibus refertas, quos delitescerent eruere sancti Patres diligenter curauerunt, illas autem singulas nunc enumerare, atque reconditos in ipsis Thesuros aperire nimis certè longum esset, atque eiusmodi exempla quilibet studiosus memoria repetere facile poterit, & plura etiam omni legenti passim obuia fient. Illudque præterea nobis de scripturæ narrationibus non exciderit [Oia in figura cõtinebant illis, scripta sunt aut̃ ad correptionem nostram] meminimus et̃ esse de singulis scripturæ particulis dictum [Quæcunq; scripta sunt, ad no-

stram

stram doctrinã scripta sunt] Quare potius existimamus nullum in scripturis dictum, factum uè tam nudum, simplex & tenuè uideri posse; quin aliud quoque designet, uel aliquod ad salutem nostram momentum afferat, ut apostolicus uir DIONYSIUS ARBOPAGITA apertissime testatur dicens [Nō enim historiam nudam, sed uitalem perfectionem continet & omnis, & ubique oratio] Plures igitur sensus delitescere in singulis scripturæ enūciationibus non inficiabimur, donec aliquis certis exemplis testimonijsque euicerit, quasdam in ea orationes esse, quæ in plures sensus accommodari nullo modo possint; hoc n. demonstrato in illius sententiã nos libētissime discedemus, quæ interim nō moleste laturum arbitramur, si humanis ingeniolis Diuinam scripturam non metiamur, quorum aciem secretiores sensus effugere hucusque potuerunt; nec obiecta Patrum dicta nostræ sententiæ repugnare putamus: Origenes nanque eo in loco non scripturæ uerba unico, uel pluribus sensibus, distinguebat, sed Diuina legis Præcepta uaria obseruatione discernerebat, ut potè quorum alia secundum litteram, alia secundum allegoriam ac mysticum sensum à Christiano homine seruanda erant; alia deniq; tū secundū litteram, tum et̃ secundum allegoriam custodienda proponebatur; hanc uero Origenis sententiam fuisse, & ipsamet obiecta uerba indicant, & quæ antecedunt ac sequuntur, planius declarant, & ea tandem, quæ totam sententiam paulò post concludunt, apertissime significant, sunt autem hæc [Ostendimus, ut opinor, auctoritate scripturæ Diuinæ ex ijs, quæ in lege scripta sunt, aliqua penitus refugienda esse, & cauenda ne secundum litteram ab Euangelii discipulis obseruentur; quædam uerò omnimodis, ut scripta sunt obtinenda; alia autem habere quidem secundum litteram ueritatem sui, recipere tamen utiliter, & necessario etiam allegoricum sensum] AVGVSTINVS uerò, in illis scripturæ dictis non quidem negat præter litteralem sensum

B 3 alium

Rom. 15.
Auctoris
opinio.

Ep. ad Titū

Responso-
nes ad Ar-
gumenta.
Ad 1.

Ad 2.

alium mysticū delitescere posse, cum id ne scripturæ testimo-
nio, nec rationis ac demōstrationis ui necessariō esset ab illo
inficiandum, sed asserit nullam eiusmodi *divinam* in uerborum
illorū litterali sensu apparere, quæ lectorē alliciat trahatq; ad
mysticos sensus perscrutādos, quæ uis & potestas in plurimis
scripturæ uerbis apertè deprehenditur, quorū exēpla aliquot
ipse statim opponit dicens [Quædā autē sic cōmendat, ut pari-
ter litterā & mysticū intellectū instruat, ut in trāsitu maris ru-
bri, & manna cœlesti, & tabernaculo Dei, atque arca testamen-
ti, ubi futurorum figura, Baptismi uidelicet Christi, & Eccle-
siæ ostensa est prærogatiua] hæc enim quamprimū legimus,
ad inclusos & abditos sensus inuestigandos manifestis sentē-
tijs, quasi stimulis concitatur; quod etiam obseruans GRE-
GORIUS MAGNVS, atque eandem Augustini sententiam, di-
uersis tamen uerbis proferens, dicebat [Sunt in ea (scriptu-
ra.)] permulta, quæ iuxta litteram mentem ædificant, ut per
hoc, quod exterius agitur, audientis mens interius trahatur]
Contra uerò aliqua sunt, quæ nullū reconditi sensus indicium
ostendant, quorū exemplū illud est ab Augustino allatū, quia
Abrahā genūit Isaac, Isaac genuit Iacob, in eiusmodi au-
tem sermone quamuis ad latentem sensum inquirendum hi-
storica narratione non ducamur, nullū tamē inclusum deli-
tescere certō aliquo argumētō nobis propterea non liquet,
nec Augustinus id uel scripturæ auctoritate, uel firma aliqua
ratione exploratum sibi fuisse testatur: Quinimo historica
hæc liberorum procreatio, mysterio nō carere illi fortasse ui-
debitur, qui in memoriā reuocabit, APOSTOLVM PAULVM
docuisse ipsius Isaac generationem noui Testamēti tra-
ditionem olim designasse, qui tum Isaac, tum Ismaelis gene-
rationes mystice interpretatus dixit [Quæ sunt per allegoriā
dicta, hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem à mon-
te Sinā in seruitutem generans, quæ est Agar (Sinā enim
mons est in Arabia) qui coniunctus est ei, quæ nūc est Hie-
rusalem

De sanctis
30. serm.
de Assum.
Mariæ.

In Ezech.
hoim. 15.

Gal. 4.

rusalem, & seruit cum filiis suis; illa autem, quæ sursum est
Hierusalem, quæ est mater nostra &c.] Hoc autem indicio
ductus solers aliquis poterit (ni fallor) latentem sensum
non ineptè ex Isaac ortu eruere, nec nimis fortasse aptè
mysticum aliud excogitabit in ipsius Iacob procreatione il-
li consequente; cum præsertim eiusdem mysteria plura ip-
sa commemoret scriptura, quæ illumini matris utero cum
fratre luctantem designasse dixit Populum cum Populo pu-
gnantem, ortumque, & nomen mysterio non caruisse de-
clarauit, cum Esau loquētem in hæc uerba induxit [Iustè uo-
catum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me en altera
uice] cuius itaque in materno aluo contenti factum, ortus
speciem, & nomen ipsum mysteria monstrasse scriptura
testatur, cur mirum esse debet, si eiusdem procreationis nar-
rationem in mysticum aliquem sensum accommodari posse
suspiciemur? Quare nobis quidem magis pium, & scripturæ
dignitati congruens uidetur, nullam eius particlam à Com-
muni præstantique totius priuilegio excipere, quoad uel scri-
pturæ, aut Ecclesiæ auctoritate, uel certa demōstratione di-
dicerimus, aliquas esse in scripturis enunciationes, quibus à
Spiritu sancto unicus sensus ita sit tributus, ut omnes alii falsi
& adulterini omnino sint iudicandi.

Gen. 25.

Gen. 27.

Quot, & quæ sensuum species in scripturis sanctis piè deprehendantur. Cap. V.



VM tantā in scripturis sensuū copiā, & multitudinē
esse iā diximus, ut ratione nostri innumerabiles il-
li esse dicantur, de singularibus indiuiduisq; sensi-
bus ipsi loquebamur, nā illorū species certō nume-
ro definitas esse certū est, quas et paucas esse mox demonstra-
bimus; inter quas ea in primis numeratur, quæ, cū in prōptu
sit, & litteræ maxime cōgruat, litteralis ferè ab omnibus nū-
cupatur, quāuis nō pauci et historicū illum sensum uocet, ut

Dubium.

Quorūda
opinio, &
auidem
cucisio.

Prov. 16.

Luc. 9.

In Abac. 3.

Solutio.

pote qui secundū historiā, siue narrationē accipiatur, quia ta-
men ad præcepta, iudicia, & fidem ipsam pertinētia Dei Ver-
ba uix, & improprie historiæ uocabulo nominantur, magis
usitato, ac proprio nomine sensum eiusmodi posthac littera-
lem constanter appellabimus. Quoniam uerò scriptura uti-
tur non solum proprijs rerum uocabulis, sed frequenter etiā
trāsclatis, suspicabitur fortasse quispiam eum solum esse litte-
ralem sensum, quem propria uerborum significatio designat,
cum uerò nomina ipsa translata posita translata pariter si-
gnificatione interpretantur, alium præter litteralem erui sen-
sum, ab ipsa metaphora, & figura nuncupandum. Quo
quidem in errore nonnulli uersantur, quos decipi ex eo fa-
cile deprehenditur, quod non solum plurimæ scripturarum
enuntiationes sensu litterali carerent, sed integri etiam libri
nullum eiusmodi sensum reciperent; in Canticorum enim
Cantico (nisi cum Iudæis amatoriam uel obscenam potius fa-
bulam illud esse dicamus) omnia uerba trāsclata sunt, quare
uel nullus in eo est litteralis sensus (qui certe esse deberet;
cum uoces sint eorum, quæ sunt in anima passionum notæ)
uel is ex ipsa translata significatione sumendus erit: In cæ-
teris uerò canonicis libris innumeræ ferè sunt eiusmodi tran-
slatæ enuntiationes, ut, exempli causa. [Quomodo fina-
scatur spina in manutemulenti] & [Nemo mittens manum
ad aratrum, & respiciens retro, aptus est Regno Dei] & [Si
oculus tuus scandalizauerit te, erue eum] quibus uel litte-
ralem sensum denegare compellimur, uel in eundem meta-
phoram ipsam accommodare, quod quidem in prophanis
quoque scriptis laudabiliter facere consueuimus, idemque in
Diuinis scripturis accidere commonet HIERONYMVS, di-
cens [Quod si quis dixerit Allegoriæ clausus es retibus, & tro-
pologiam historiæ miscuisti, audiat non semper metaphorā
historiæ allegoriam consonare, quia frequenter historia ipsa
metaphorice textitur] Quorundam itaque hominum litteris
& filla-

& fillabis plus æquo addictorum errore, tum ratione, & scri-
pturarum Diuinarum, humanarumque exemplis, tum Hie-
ronimi auctoritate euicto, ac explorato, litteralem sensum eum
esse definiamus, Qui uerus & Spiritui sancto congruens, se-
cundum litteræ uel proprietatem, uel translationem, primò
erui potest, antecedentibus & consequentibus uerbis con-
sentaneus. Cuius sensus proprietates & conditiones omnes
paulò post accuratè inuestigabimus, nūc reliqua sensuum ge-
nera persequentes, dicamus, præter eum, quem diximus, litte-
ralem sensum, alium quendam magis reconditum, & præ-
stantem Prophetas ipsos, ac sapientiores Hebræos in ueteri
Testamento piè agnouisse, ut potè qui Christum præuncia-
ri, cælestem Hierusalem præmonstrari, & uitam æternam fide
libus deferri nouerant; quamuis posteriores Iudæi, excæca-
ti, litteram ipsam tanquam aduinculum, ad quod adniterē-
tur arctè apprehenderint, quos CHRISTVS ipse ab eo, qui in
promptu est, litterali sensu ad interiorem perscrutandum ex-
citans, ut uitam æternam agnoscentes appeterent, dicebat
[Scrutamini scripturas, quoniam uos putatis in illis uitam
æternam habere] & PAVLVS APOSTOLVS ait [Littera occi-
dit, spiritus autē uiuificat] Et rursum [Scimus enim quod lex
spiritualis est] eiusmodi uerò sensum qui diligenter scrutare-
tur, ac perciperet, spiritualem hominem uocabat dicens [Spi-
ritualis autem iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur] Que
uerba HIERONYMVS exponens ait [Nos spiritualem, qui om-
nia iudicet, & ipse a nemine diiudicetur, eum uirum dicimus,
qui uniuersa scripturarum sacramenta cognoscens, sublimi-
ter ea intelligat, & Christum in Diuinis libris uidens, nihil in
eis Iudaicæ traditionis admittat] Erit itaque interior hic sen-
sus hominis spiritualis spiritualem legem secundum spiritum
intelligentis, ipse quoque spiritualis meritò nuncupandus;
præter quem uidetur fidem APOSTOLVS PAVLVS alium
quendam sensum in scripturis obseruasse, quem secundum Al-
lego-

Definitio
sensus litte-
ralis.Sensus spi-
ritualis.

Ioan. 5.

2. Cor. 3.

Rom. 7.

1. Cor. 1.
10 Ep. ad
Gal. c. 4.Allegori-
cus sensus.

Gal. 4.

Mysticus sensus.

Anagogicus sensus. De Coel. Hier. c. 15.

Contemplatio, siue cōtemplatiuus sensus.

Proem. in Psal.

Propheti- cus sensus.

legoriam accipi docet, cum enim de Ismahele ex Agar ancilla, & Isaac ex Saræ libera ortis prophetica scripturâ is protulisset, diuina uerba interpretatus ait [Quæ sunt per allegoriam dicta] hunc autem sensum inde ducto uocabulo Allegoricum Patres appellauerunt, de quo etiã frequentem in suis commentarijs mentionem ipsi fecerunt. Idemque præterea mysticum sensum crebris sermonibus usurpauerunt, nomine seum uocantes à mysterijs deriuato, quæ scriptura ipsa sæpius commemorat. **DIONYSIVS** in super **AREOPAGITA** Anagogicum sensum in scripturis obseruabat dicens [Licet etiam alio sensu Anagogico spiritualium rotarum descriptionem interpretari] Quam uocem, & sententiam deinde Patres libenter arripientes, secundum Anagogem sæpius se interpretari profesii sunt. Nonnulli ad hæc de sensu quodam mentionem faciunt, quem Contemplationem ipsi uocant, de quo dicebat **CHRISOSTOMVS** [Non uetamur grauitate, & honeste contemplationes asserre, & mentis cogitata extollere ad sensa sublimiora, quemadmodum conferre Abel & Cain Synagogæ Iudæorum & Ecclesiæ, & conari ostendere reiectam quidem esse synagogam, ut Cain sacrificium, accepta autem esse dona ecclesiæ, ut tunc fuerunt dona Abel; Vel agnum immaculatum, qui offerebatur ex lege, transferre ad dominum, hæc enim nec infirmant historiam, nec expellunt contemplationem; sed hæc moderatio, historięque, & contemplationis peritia, & à gentilitate liberat, quæ alia dicit pro alijs, & aliena inuehit, nec ad Iudaismum nos attrahit, & impellit, cogens soli hæerere dictioni, illamque colere, & obseruare, nihil autem ulterius, uec altius quidquam cogitare permittens] Inuenies præterea multos Patres sensum re & nomine propheticum ex scriptura eruere, de quo quidem ipsæ etiam scripturæ mentionem tunc facere uidentur, cum dicunt. Ut impleretur quod dictum est per prophetam, uel Prophetas, aut quod scriptum est, & consimilia; quæ de sensu à pro-

prophetis præuiso, ac prænunciato, non de litterali sensu, qui quidem in promptu semper fuerat, & gesta narrabat, intelligenda sunt. Tropologicum quoque sensum a Patribus crebrò commemoratum legimus, quæ uox Hieronymo in primis, post Græcos, est familiaris, scripturam enim Tropice loqui, ac Tropis abūdare, & à se fuisse tropicè interpretatam frequentissime ipse testatur. Tandem uerò Moralem etiam sensum nominatim uocare Origenem, Chrysostrum, Cyrillum Alexandrinum, aliosque per multos, qui eundem in scriptura delitescentem diligenter eruere conantur, illorum commentaria uoluntati facile apparebit, præsertim uerò Magni Gregorij Volumina illa legenti, quæ ab hoc sensu nomine ducto Moralia inscripta sunt. Tot itaque sunt sensuum nomina, in Patrum monumentis frequentia, & a posterioribus Theologis uarie usurpata, ut propterea opera pretium sit diligenter unumquodque examinare, atque in primis cognoscere an omnia, uel ipsorum pleraque *συνομιαι* sint, uel, ut nomine, ita re quoque disiuncta; tum uerò quæ illorum sint definitiones ac proprietates declarare.

Tropologicus sensus.

Moralis sensus.

Argumenta, quibus probatur præter litteralem sensum cætera omnia sensuum nomina esse *συνομιαι* putanda. Cap. VI.



In primis itaque eundem sensum, tum spiritua- lem, tum allegoricum in scripturis uocari (*συνομιαι* .i. uocabulis) aperte testatur **HIERONYMVS** dicens [Ex quibus & alijs euidentibus est, Paulū non ignorasse litteras seculares, & quam hic allegoriã dixit, alibi uocasse intelligentiam spiritualem, ut ubi. Scimus. n. quod lex spiritualis est. pro eo quod est Allegorica, siue Allegoricè figurata, & ali-

Spiritualis, & allegorici sensum non distinguunt. In 1. ad Gal. 4.

bi. Omnes eandem spiritalem comendarunt escam, & eundem spiritalem biberunt potum; Bibebant autem de spiritali; sequente eos petra, Petra autem erat Christus: Manna hic, & subiti fontis eruptio, & Petra ipsa quæ sequitur, quod allegoricè accipienda sint, nemo est qui dubitet] A qua sententia IDEM non discedens, cū scripturam ipsè interpretaretur dicebat [Debemus enim scripturam sanctam primū secundum litteram intelligere, faciētes in Ethica quæcunque præcepta sunt, secundò iuxta Allegoriam, i. intelligētīā spiritalē] Cum quo optime consentiens ROMANVS GREGORIUS, atque utrunque nomen coniungens, ut eundem sensum exprimeret dicebat [In uerbis sancti eloquij, fratres charissimi, prius seruanda est ueritas historię, & postmodum requirenda spiritalis intelligentia Allegorię, tunc nanque Allegorię fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam in ueritatis radice solidatur] Ab Allegorico autem re non disungi Anagogicum sensum idem Hieronymus apertè declarat, cū in procemio octauī libri in Isaiam, illam uocet Allegoriam, quam paulo ante (in sexto scilicet, & septimo libro) Anagogem sæpius nuncuparat: Quod etiam ex Dionysio Areopagita non leui coniectura colligitur; is enim nomine Anagogicos sensus illos perpetuò appellabat, quos & re ipsa spiritaliales esse, & allegoricos quiuis intelligere potest, & eisdem nominibus tum à scriptura, tum à cæteris Patribus crebrò fuisse appellatos; imò PAVLVS APOSTOLVS cum dixisset [Quæ sunt per Allegoriam dicta] ipsam allegoriam explicans ait [Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra] quā ipsius Hierusalem significationem ad anagogicum sensum pertinere omnes fatentur; iccirco sensus istos re non seiungi apertè indicat CHRYSOSTOMVS, qui præterea neq; ab illis distinctam esse contemplationē eam, quā ex ipsius sentētia inter scripturæ sensus paulò ante numerabamus, uno atque eodem uerborum contextu abunde significat

In Amos. 4.

In Euang. hom. 40.

Anagogi-
cū sensum
ab Allego-
rico re nō
disiungi.

Gal. 4.

Io. Cassia-
nus collat.
12. D. Tho.
in princ.
summæ.

ficat, ut propterea integrum ipsius testimonium non grauiter producamus, inquit igitur, [Quoad fieri à nobis poterit, interpretationem psalmorum afferemus, & à ueritate ipsorum non recedemus, sed eam & historia, & ex ipsa dictione exponemus, & nec sensum anagogicum, nec sublimiorem contemplationem uetabimus, non enim aduersatur historia sublimiori contemplationi, sed contra ea est basis, & fundamentum altiorum intelligentiarum, illic autem solū est animaduertendum ne contemplatio uideri possit subiecti euerfio, quod quidem non fuerit amplius contemplatio, sed allegoria. Quod enim explicatur aliter, quàm sit positum, est & contemplatio & allegoria; Apostolus enim nusquam euerit historiam, licet contemplationem introduxerit, & hanc contemplationem uocauit allegoriam, nō quod nomina quid sibi uellent ignoraret, sed docens quòd licet sententijs allegorię nomen attribuerit, per contemplationē tamen id sufficiat accipere, nusquam lædentes naturæ historiam] Inter hos autem sensus, & quem diximus Mysticum, nihil interesse facile intelligemus, si Mysticum illum esse aduertamus, qui mysteria cōplectatur, quod & Vocabuli explicatio (ετυμολογία) f. satis commonet, & Patres ipsi testantur, ut propterea diceret DIONYSIUS AREOPAGITA [Precationes autem, quæ in mysterijs adhibentur, nephas est scripto interpretari, & mysticam eorum intelligentiā ex adyto in publicum afferre] & post ipsum Clemens Alexandrinus [Sed enim traduntur mysticè mysteria, ut sit etiam in ore loquentis id, quod loquitur, potius autem non in uoce, sed in intelligentia] profectò idem erit mysticum, quod spirituale, soli enim spiritali homini licet mysteria ipsa percipere; propterea in Euangelio legimus Christum Dominum Apostolis mysteria locutum, quibus spiritalibus ipse dicebat [Vobis datum est nosse mysteria Regni cœlorum] & APOSTOLVS PAVLVS mysteriorum cognitionem maxime spiritua-

Procem. in
Psal.Contempla-
tionem à
sensu All-
gorico nō
distingui.Inter my-
sticū, & spi-
ritualē sen-
sum nihil
interesse.

De Ec. Hie.

Matt. 13.
Luc. 4.
Mar. 8.

lem

lem esse significans dicebat [In agnitionem mysterij Dei Patris Christi Iesu, in quo sunt omnes Thesauri sapientiae & scientiae absconditi] Et rursus [Loquimur sapientiam Dei in mysterio] Clarius uero demonstrauit mysticum ipsum esse spirituale, & à spiritu ipso spiritualibus uiris reuelatum cum dixit [Spiritus autem loquitur mysteria] Et alio in loco [In mysterio Christi, quod alijs generationibus non est agnatum filiis hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius, & Prophetis in spiritu] A quo Apostolo eiusmodi sententiam accipiens Origenes, & in spiritualem sensum, ac intelligentiam mysterii cognitionem accomodans dixit [Spiritualis enim, & propheticus sensus scripturae celatus est in historia rei propositae, ut omnis scriptura à mediocribus quidem secundum historiam intelligatur, à spiritualibus autem, & perfectis secundum mysterium spirituale] Atque eundem mysticum sensum allegoricum pariter esse testatur GREGORIUS inquit [Sed uir sanctus mysticis sensibus plenus ad alia nos intelligenda transmittit, ut non creatam, sed creatam sapientiam requiramus: nam nisi uerbis istis allegoriarum secreta rimemur, ea utique quae sequuntur, omnino sunt digna despectu, si ex sola historica narratione pensentur] Alius erat scripturae sensus propheticus, quem spiritualem esse declarat ORIGENES cum ait [Spiritualis enim & propheticus sensus scripturae celatus est in historia rei propositae] eundem uero allegoricum esse docet Chrysostomus, qui illud per rem prophetiam uocat, quod APOSTOLVS per allegoriam dictum affirmabat [Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera, quae sunt per allegoriam dicta. Vidisti per rem prophetiam; in eo enim quod mulieres habet, non uerbum sed res est (& seruum & liberam) ostendit tibi per uerba quoniam duorum testamentorum vnus est legislator, disce & ipse figuram: Abraham duas uxores habuit, haec autem

tem

tem sunt duo Testamenta, & vnus testator; quemadmodum illic ouis & ouis, alterum quidem in uerbo, alterum autem in re, multa uero & operum, & uerborum concordantia inest, sic & hic Testamenta duo; & hoc Ieremias quidem per uerba praedixit, Abraham autem duas habens uxores operibus figurauit; quemadmodum igitur vnus uir, & uxores duae, sic vnus legislator, & testamenta duo] Tropologicum autem sensum idem esse quod Allegoricus, & Anagogicus, eorum nomina indiscriminatim usurpans, permiscens, atque confundens HIERONYMVS non obscure declarat, id uero ipse facit in sexto, & septimo libro in Isaiam, ac Prooemio librorum in eundem, & alibi dicit [Quod si quis dixerit, ecce in historiae expositione, dum nescis, allegoriae clausus es retibus, & Tropologiam historiae miscuisti, Audiatur non semper metaphoram historiae allegoriam consonare] sed nomen ipsum idem quoque designat, ut enim CLEMENS ALEXANDRINVS ait [est Tropus dictio transcripta a proprio ad non proprium] ea propter BASILIUS utrumque uocabulum, ueluti eiusdem sensus uoces, coniungens dicebat [Omnem igitur Tropicam Allegoricamque expositionem in praesens praetermittentes] reliquus iam est Moralitatis sensus, quem spiritualem esse Patrum commentaria uoluntates, atque eorundem interpretationes, quas morales uocant, diligenter examinantes, facile cognoscemus, sed & APOSTOLVS ipse idem aperte docet, cum ait [Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram] QUI etiam circumcisionem spiritualiter exponens dicebat [Si igitur praepotium iustitias legis custodiat, nonne praepotium illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est praepotium, legem consumantes, qui per litteram, & circumcisionem praearicator legis es? non enim qui in manifesto Iudaeus est, neque quae in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudaeus, & Circumcisio cordis in spiritu] Quam qui-

Tropologicum sensum esse; Allegoricum.

In Abac. 3.

Stiom. l. 6.

In exam. hom. 2.

Moralem sensum esse spiritualem.

i. Cor. 10.

Rom. 2.

CUS] CYRILLVS quoque ALEXANDRINVS, siue is fuerit idē Origenes, qui in leuiticum scripsit (nam utriusque eadem commentaria ascribuntur) Mysticum à Morali nominatum ita discernit, ut diuersas sensuum species significare palam fateatur, cum ait [Triplicis namque in scripturis Diuinis intelligentiæ inueniri sæpe diximus modum, Historicum, Moralem, Mysticum] Atque eundem moralem sensum à spirituali seiungere ipse ORIGENES, non obscurè uidetur, dicens [Si tamen potuero unum aliquem intellectum sentire de uisionibus Dei, unam diem uidebor fecisse ad puteum uisionis; si uerò non solum secundum litteram, sed aliquid & secundum spiritum attingere, biduum uideor fecisse apud puteum uisionis; quòd & si moralem contingero, fecerim triduum] Tandem uerò communi Scholasticorum omnium Theologorum consensione concluditur, Nomina illa scripturæ sensuum non esse *συνωνυμα*, sed diuersos utique sensus significare, quos in tres species distinctos plerumque distribuunt, Allegoricum scilicet, Tropologicum, & Anagogicum.

Propositiæ Quæstionis explicatio. Cap. VIII.

His profectò, quæ diximus, rem hanc difficultatem non carere unusquisque cognoscere facile potest; quàm uerò arduum sit discrepantes eiusmodi sententias conciliare, aut obiectis argumentationibus dilutis firmiorem ac meliorem deligere, experietur is, qui de eiusmodi angustijs se eximere conabitur; Quod qui dem nos iam tentabimus, nostram in primis sententiam explicantes, quam cum scriptura & Patribus maxime conuenire putamus, Dicimus itaque scripturam ipsam uarijs: Allegorijs & figuris sæpius nobis, quòd triplex in ea sensus sit, cõmonstrasse, quas quidem figuras cum Patres postea obseruaerint, explicarintque, tum scripturæ sententiam illi aperuerunt,

runt, tum ipsorum quoque iudicium nobis unà tradiderunt. Dicente igitur SALOMONE [Ecce descripsi eam tripliciter in cogitationibus, & scientia, ut ostenderè tibi firmitatē & eloquia ueritatis] Triplicem ibi scripturæ sensum designari notauit HERONYMVS cū dixit, [Et Triplicem intelligentiam scripturarum, de qua nobis præceptum est, ut describamus eam tripliciter in cordibus nostris, in unius dici sententiam coarctantes. Debemus enim scripturam sanctam primùm secundum litteram intelligere; facientes in ethica quæcunque præcepta sunt; secundò iuxta allegoriam, idest intelligentiam spirituales; tertio secundum futurorū beatitudinem] Rursum; Arcæ constructionem DEO præcipiente, ac dicente [Deorsum cænacula, & tristega (siue tabulata tria) facies in ea] inde conijciens ORIGENES, tres scripturæ sensus nobis commonstrari ait [Propter hæc ergo, & his similia, non solum tricamerata, sed & bicamerata Arca cõtexitur, ut sciamus in scripturis Diuinis non semper simplicem, quia non semper nos historia sequitur, sed interdum duplicis tantummodo sensum expositionis insertum; tentemus igitur & tertiam expositionem differere secundum moralem locum] Atque idem ORIGENES, id ipsum colligens ex eo quòd Abraham triduo commoratus est in loco uisionis, dicebat [Si tamen potuero unum aliquem intellectum sentire de uisionibus Dei, unam diem uidebor fecisse ad puteum uisionis; si uerò non solum secundum litteram, sed aliquid & secundum spiritum attingere, biduum uideor fecisse apud puteum uisionis; quòd & si moralem contingero, fecerim triduum] CYRILLVS uerò ALEXANDRINVS tum ex triplici sacrificiorum modo, tum extrinsecus panibus, qui in canistro habebantur, triplicem sensum scripturæ nobis significari existimat, inquiring [Cuius intelligentiæ triplicem formam, sacrificiorum triplex hic modus appellatus ostendit: sed & alibi inuenimus, idest in his ipsis, quæ de sacrificijs memorantur, dici Canistrum sanctum perfectionis,

In leuit. l. 5

In Gen. hom. 11.

4. Argum.

Prou. 22.

In Amos. 4

Gen. 6.

In Gen. hom. 3.

Gen. 22.

In Gen. hom. 11.

In leu. li. 8.

Matt. 23.

nis, in quo tres panes haberi mandantur] Atque eundem triplicem sensum non incitè etiam conijcere ex tribus illis farinae satis utique possemus, de quibus CHRISTVS dicebat [Simile est Regnum celorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus] Hæc enim si secundū Allegoriam interpretentur, illius Regni mysteria triplici scripturæ sensu sapientiam Diuinam contexisse intelligemus, ut triplici quasi operimento ea nimirum obducerentur. Nec quidem ex sola scriptura hæc sensuum distributionem Docti Patresuariè collegerunt, sed ratione etiam à naturali quadam similitudine congruenter sumpta, eadè pariter cōcluserunt: sicut enim corpus, animam, & spiritum Academici Philosophi in homine considerantes, ex hac triplici natura illum cōstare pronunciarunt, ita sacram quoque scripturam (ad hominis nempe ipsius salutem & beatitudinem à Deo comparatam) tribus eiusmodi partibus proportionem quadam respondere æquum sancti Doctores iudicarunt; quare corpus, & animam, & spiritum in ipsis pariter scripturis pulchrè excogitarunt; ea propter ORIGENES, uel (si magis placet) CYRILLVS (utrique enim, ut diximus, eadem in Leuiticum cōmentaria inscribuntur) dicebat [Ita etiam sanctam scripturam credendum est ex uisibilibus & inuisibilibus constare, ueluti ex corpore quodam, litteræ. s. quæ uidetur, & animæ sensus, qui intra ipsa deprehenditur, & spiritu, secundum id, quod etiam quædam in se cœlestia teneat (ut Apostolus dixit) quia exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium. Quia ergo hæc ita se habent, inuocantes Deum, qui fecit scripturæ animam, & corpus, & spiritum; Corpus quidem ijs, qui ante nos fuerunt, animam uerò nobis, spiritum autem ijs, qui in futuro hæreditatem uitæ æternæ consequentur, per quam perueniant ad Regna cœlestia] Quod etiam eo in loco CYRILLVS apertè declarabat, unde sumptum Testimonium paulo ante nobis obijciebatur; is enim postquam dixerat [Triplicis

nanque

In leuit.
hom. 5.

In leu. li. 5.

nanque in scripturis Diuinis intelligentiæ inueniri sæpe diximus modum; Historicum, morale, mysticum] hæc uerba statim adscripsit [Vnde corpus inesse ei, & animam, & spiritum intelleximus] Præter hæc uerò omnia, quæ hucusque protulimus ad demonstrandum Triplicem in scripturis sensum esse, possumus id ipsum alia quoque ratione concludere; sensus enim litteralis est omnibus in primis manifestus (ueluti scripturæ corpus, quod maxime conspicuum est) cuius figuræ, alia præterea designantes, necesse profectò est, ut ea commonstrent, quæ ad Christi Regnum pertineant; illud uerò duplex esse scimus, Militantium scilicet, ac Triumphantium: Quare omnes sensus littera contacti, atque interius abditi, ad ipsorum Regnorum alterum referri oportebit, ut propterea illi quoque eadem portione meritò distinguantur; duplici itaque interiore sensu ei, qui in promptu est litterali addito, Triplicem scripturæ sensum haberi necesse erit; quibus uerò nominibus sint interiorum sensuum genera duo appellanda, non est fortasse exploratum, nec de eo etiam (ni fallor) est magnopere laborandum, ne *ὀνομαστικῶς* uideamur, cum sit huiusmodi Quæstio de Nomine, quam inter stultas aliàs collocauimus; quoniam tamen certis uocabulis unumquodque nuncupare oportet, idque in ipsis scientijs tam necessarium iudicatur, ut noua etiam nomina imponere quandoque liceat, expediat, ac necesse sit, à quibus positus & definitis postea discedere turpe ac nefas uideatur; Iccirco uocabulum sensus spiritualis scripturæ magis familiare usurpâtes, in primis spirituale sensum appellabimus illum, qui non est litteralis, cum ipsi litteræ spiritum opponere scriptura soleat, hunc uerò spirituale sensum in duplex Christi Regnum accommodantes, in duo Genera partiemur, atque illum quidem sensum, qui ad Militans Regnum (Ecclesiam scilicet uiatorum, & fidelium hominum animas) pertinet, usitato in scripturis nomine, & à Patribus, ac Scholasticis fre-

Tit. de quæ
stionibus.Sensus alle
goricus.

Sensus Anagogicus. quentissimè usurpato, Allegoricum nuncupabimus, & scripturæ quasi animam eundem cognoscemus; Alterum uerò spiritualis sensus genus ad Triumphans Regnum (Beatorum uidelicet Ecclesiam, & futuram gloriam) relatum, tanquam præstantius scripturæ spiritum dicimus, & Anagogicum uocabimus, nomine nimirum tum (ut uidimus) Patribus familiariter, tum sua uis, & interpretatione hoc ipsum congruenter significante; secundum quem sensum dicebat APOSTOLVS [Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra, sicut scriptum est: Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet uirum] Constitutum itaque sit ex scripturarum figuris, Patrum sententijs, & rationum conclusionibus, Tria esse in ipsis scripturis sensuum genera, quorum nomina (ut hæc quoque sint definita) diximus esse, Anagogicum, Allegoricum, & Litterale. Quod si cui præterea uideatur ulteriori partitione uti, idque ad doctrinæ facilitatem ac perspicuitatem cōducere posse arbitretur, dicens, Allegoricum sensum duplicem esse, unum scilicet, qui ex ipsa Historia secundum Allegoriam nos commoneat quid agere debeamus; atque alterum qui, in ipsis rebus gestis ac cæremonijs designatus, nos doceat quid sit de Christo & Ecclesia militante à fidelibus credendum; Nos equidem eiusmodi Diuisionem non repudiabimus, quamuis enim minus necessariam illam existimemus, ineptam tamen eandem esse non affirmamus, præsertim cum Ioannes Casianus, & alii præterea docti uiri ea fiat usi, postremam huius generis speciem Allegoricum sensum, alterum uerò Moralem; uel Tropologicum appellantes, interim tamen sola superiori partitione utemur, quam ternario numero comprehensam, absolutam, ac perfectam esse putamus. Quare præter litteralem sensum cetera sensuum nomina superius enumerata partim *συνομιμα* esse; partim uerò distinctos sensus significa-

re

re putanda sunt; de quo in proposita Quæstione dubitabatur.

Responsiones ad Argumenta superius allata.

Cap. IX.



Vo constituto, reliquum id est, ut obiectas argumentationes sigillatim diluamus, in primis autem est aduertendum, Antiquos patres sensuum nominibus aliquando quidem proprie, sæpius autem communiter usos esse, illa omnia indiscriminatim pro eodè usurpantes, ut superius adducta testimonia aperte demonstrant, quibus Vocabula ipsa *συνομιμα* esse concludebatur, atque hac una distinctione, & obseruatione dilutas putamus. singulas eiusmodi argumentationes, sensu pluralitatem excludentes; Illis uerò oppositas, nec nostræ sententiæ congruentes, alijs rationibus mox dissoluemus. Allegoria enim si proprie accipiatur, in ipsis uocibus utique est, & uerborum figura dicitur; quam uocabuli proprietatem, uim, & explanationem constanter asseruerunt ipsi Grammatici & Oratores, quos inde recedere non decebat, atque eadem nominis interpretatione, ac significatione sanctos Patres usos aliquando esse animaduertimus; Apostolo Paulo nihilominus libuit eiusdem uocabuli impropriam quandam significationem assumere, quod quidem ab impijs sciolis quibusdam crimini sapius illi datum esse scimus, perinde atque id ipse imperite dixisset, quod prudens ac sciens Apostolica auctoritate inuertit, uerborum figuram ad sententias transfrens, quasi nos eiusmodi exemplo admoneret, Dei Verbum Grammaticæ regulis non astringi (ut nos de Grammaticæ ac Rhetoricæ facultatis usu agentes abundè declarauimus, & Patres illum pie, ut decebat, excusantes, uel potius laudantes annotarunt, ex quibus doctissimum CHRYSOSTO-

Respon. ad
Argumenta
c. 6.

Respon. ad
Argumenta
c. 7.
Ad primū.

Titulo de
Grammatica.
& Titulo de
Rhetorica
facultate.

Proem. in Psal. MVM nunc producemus dicentem [Quod enim explicatur aliter, quàm sit positum, est & contemplatio & Allegoria, Apostolus enim nusquam evertit historiam, licet contemplationem introduxerit, & hanc contemplationem uocari Allegoriam, non quòd nomina quid sibi uellent ignoraret; sed docens, quòd licet sententiis Allegoriæ nomen attribuerit, per contemplationem tamen id sufficiat accipere, nusquam lædentes Naturæ historiam] HERONYMVS quoque asserit Apostolum improprie quidem Allegoriæ Vocabulum usurpasse, non tamen per errorem lapsum illum fuisse, ut potè qui Græcas litteras nosset, inquit autem [Ex quibus & aliis evidens est, Paulum non ignorasse litteras seculares, & quam hic Allegoriam dixit, alibi uocasse intelligentiam spiritualem] Ad illud verò quod sumptum ex Augustino obijciebatur, quamuis respondere possemus Allegoricum sensum ex ui, & interpretatione nominis posse inter litterales numerari, quam uocabuli proprietatem retinere fortasse libuit Augustino, ex illius tamen sententia dicendum potius uideatur, ipsum eo in loco nec quattuor litterales sensus percensere, nec Allegoriam inter eiusmodi sensuum species numerare, sed quot modis scripturæ sensus traditur explicare; cuius quidem traditionis ac doctrinæ quatuor is modos recenset, quorum tribus (Historia uidelicet, Aetiologia, & Analogia) litteralis sensus tripliciter exponitur: A litterali autem ad spiritualem sensum Allegoria proceditur. Alterum uerò Argumentum demonstrabat Anagogicum sensum ab Allegorico disiunctum esse, quod quidem sententiæ nostræ maxime fauet, quare nulla indiget responsione. Ad illud autem, quod ex Origene, & Cyrillo opponeretur, dicimus primùm posse genera illa sensuum ad triplicem nostram partitionem a solerte Auditore aptè accommodari; deinde uerò, si cui uidebitur illorum dicta posse diuersa quapiam distinctione planius explanari, nos etiam non repugnabimus; Moralis

nanque

nanque sensus, qui secundum partitionem nostram ad Allegoricum maxime pertinet, & aliquando etiam à litterali (ut mox declarabimus) non discrepat, uel distinguitur, ab ipso tum allegorico, tum litterali pariter auulsus, speciem quandam ab alijs seiunctam constituere ipse uidetur, (de qua fortasse Origenes, & Cyrillus loquebantur) quod tamè minus probamus, ne scilicet litteram, & spiritum eiusmodi permixtione confundamus, & à communi præterea Patrum sententia discedamus; quòd enim Moralis sensus sit Allegoricus paulo ante à nobis demonstratum equidem fuit, quòd uerò idem, sit etiam litteralis, quiuis facile intelliget, qui Diuina Volumina uoluitans, loca illa seliget, in quibus uiuendi præcepta palàm traduntur, & mores expressè conformantur, ut (exempli causa) Diliges proximum tuum sicut te ipsum] serua mandata [Quod superest date eleemosinam] in omnibus enim locis istis, alijsque similibus, littera ipsa ædificat, atque idem sensus. tum litteralis, tum moralis est, quod animaduertentes GREGORIUS PRIMVS dicebat [Sed quia nunquam Allegoria fidem ædificat, & Historia moralitatem, nos, qui auctore Deo, iam fidelibus loquimur, non absre credimus, si ipsam loquendi ordinem postponamus, quatenus qui fidem iam rectam tenetis, prius de Allegoria aliquid breuiter audire debeatis] & HERONYMVS ad idem oculos adijciens ait [Debemus enim scripturam sanctam primùm secundum litteram intelligere, facientes in Ethica quæcunque præcepta sunt] Moralem itaque sensum ab Allegoria, & littera qui abstrahunt, atque illius speciem quandam constituunt litteram & spiritum confundere oportet, ut scilicet utrumque permiscentes aliud sensuum genus ex ipsis componant: Nos autem ab eiusmodi mixtione abhorrentes, & communem, ac usitatam, quam diximus, Patrum partitionem retinentes dicimus Moralem huiusmodi sensum, littera expressum, litteralem omnino esse, eundem uerò,

Mar. 12.
 Matt. 19.
 Luc. 11.

In euang.
 hom. 40.

In Amos 4

Luc. 23.
1. Cor. 13.

Philip. 1.
Gal. 4.
1. Cor. 15.
1. Theff.

rò, spiritu quasi commonstratum, esse pariter Allegoricum, perinde atque Anagogicus sensus, cum illum littera ipsa palàm demonstrat, litteralis dicitur, ut exempli causa [Hodie mecum eris in paradiso] Videmus nunc per speculù in enigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum] Desiderium habens dissolui, & esse cum Christo] Illa autem, quæ sursum est Hierusalem mater nostra] Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur] Nolumus autem ignorare uos fratres de dormiētibus, ut non cōtristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent; si enim credimus quòd Iesus mortuus est, & resurrexit, ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo] Quæ omnia cum spiritu ipso pariter ostenduntur, sensus eorum Anagogicus nuncupatur, idemque propterea tum spiritu, tum littera indicatur: A constituta igitur partione, Patrum consensu approbata, & scripturæ figuris commonstrata, atque eiusdem sensibus apprimè consentanea discedendum iccirco non erit; quæ etiam cum Scholasticorum Theologorum sententia, ac loquendi more optime conuenire ex ijs, quæ dicta sunt, non obscurè deprehenditur.

Quòd plures eiusdem speciei sensus eiusdem scripturæ uerbis contineantur. Cap. X.



VICINQUE ea, quæ dicta, & constituta à nobis sunt, attentè audiuerit, atque ipsorum uim diligenter expenderit, is utique ex eisdem non obscurè intelliget, ac ueluti consequens ratione concludet, scripturam ipsam eisdem uerbis plures eiusdem speciei sensus comprehendere; illos enim plurimos, ac penè innumerabiles super eodē uerborum ambitu subijci, & diximus, & scripturæ auctoritate, ac Patrum testimoniis confirmauimus,

mus; ternas autem esse sensuum ipsorum species pariter demonstrauimus, quarum paucitas quoniam illorum multitudini non æquatur, fieri iccirco non poterit, ut singulis eiusdem scripturæ sensibus singulæ sensuum respondeat species. Idem quoque exemplis demonstrari facillè potest; Ambrosius enim illorum EVANGELII uerborum [Quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres diuidentur] postquam litteralem sensum explicauerat, inquit [Non incongruum quoque uidetur, si mystica interpretatione enodemus hunc sensum, Domus una, homo unus est; unusquisque enim domus aut Dei est, aut Diaboli, itaque domus spiritalis homo est spiritalis, sicut habemus in Epistola Petri. Et uos tanquam lapides uiuæ edificamini domus spiritalis in sacerdotium sanctum. In hac ergo domo duo in tres, tres in duos diuiduntur; duos legimus frequenter animam & corpus, quod si duobus in terra conuenerit, efficiuntur utraque unum, & alibi. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Aliud est quod seruit aliud cui subiicitur, si duos agnouimus, etiam tres agnoscamus, quod prodire ex illis duobus est intelligere. Tres enim animæ in corpore affectiones sunt, una rationalis, alia concupiscibilis, tertia irritabilis, hoc est λογιστικὸν ὀρεκτικὸν, ὀργιστικὸν, non ergo duo in duos, sed duo in tres, & tres in duos diuiduntur; Etenim per aduentum Christi homo, qui erat irrationalis, rationalis factus est; antè eramus similes bestiarum, quæ rationem nesciunt, eramus carnales, eramus terreni, iuxta Domini sententiam, Terra es, & in terram ibis. Venit Dei filius, misit spiritum suum in corda nostra, facti sumus filij spirituales. Possumus etiam dicere quia in hac domo sunt alij quinque. i. odor, tactus, gustus, uisus, auditus; ergo si secundum ea quæ audimus, aut legimus, separato sensu uisus atque auditus, excludamus superfluas corporis uoluptates, quæ gustu, tactuque & odore pariuntur, duos in tres diuidimus, eò quòd mentis habi-

Luc. 12.

tus

tus uitiorum non capiatur illecebris; sed æmulatione uirtutis à lenocinijs se uoluptatis abducatur, ne fiat omnium una consensus, quæ præcipitet in errorem, sed diuidendo separant desideria cordis, & officia uirtutis. Aut si quinque sensus accipiamus corporales, uitia iam corporis, & peccata separant. Et fortasse quinque sunt, quos fratres suos in Euangelio Diues luxoriosus appellat, qui cruciari describuntur apud inferos, quibus mandari rogatur, ut nouerint in hoc seculo delicias abdicandas, ut possint requiem habere post seculum studio uirtutis: possunt etiam uideri caro & anima ab odore tactu gustuque luxuriæ separatæ in una domo se aduersus incurfantia uitia diuidentes &c.] Ecce quot allegoricos sensus in eadem uerba B. Ambrosius accommodauit, quam sensuum uarietatem comprobans AVGVSTINVS dicebat [Sanctus Ambrosius in expositione Euangelij secundum Lucam, cum diuersis modis, ab una tamen Regula fidei non abhorrentibus, tractaret illum locum, ubi Dominus ait, in una domo diuidi tres aduersus duos, & duos aduersus tres] atque similiter AVGVSTINVS ipse ex eisdem quandoque uerbis multos allegoricos sensus eruit, & plures adhuc eiusdem generis piè excogitari posse affirmat; exponens enim illud Genesis, quod bicameratam & tricameratam Arcam construendam esse Deus imperauerit, aduersus Faustum scribit, [Quod inferiora Arcæ bicamerata & tricamerata construuntur, sicut ex omnibus Gentibus, uel bipertitam multitudinem congregat Ecclesia propter Circumcisionem & præputium, uel tripartitam propter tres filios Noe, quorum progenie, repletus est orbis] IDEM uerò de Ciuitate Dei scribens illius expositionis primum meminit, deinde ait [Et fieri quidem potest, ut & à nobis quispiam, & alius alio exponat hæc aptius, dum tamè ea quæ dicuntur ad hanc, de qua loquimur, Dei Ciuitatem in hoc seculo maligno, tanquam in diluuiio peregrinantem, omnia referantur, si ab eius sensu, qui ista conscripsit, non

Contra Iulianum. li. 2.

Gen. 26.

De Ciuit. Dei. li. 15.

vult

vult longe aberasse, qui exponit, exempli gratia, Velut si quispiam quod hic scriptura est, inferiora bicamerata, & tricamerata facies eam, non quod ego in illo opere dixi uelit intelligi, quia ex omnibus Gentibus Ecclesia congregatur, bicameratam dictam propter duo genera hominum, circumcisionem. s. & præputium, quos Apostolus & alio modo dicit, Iudæos & Græcos; tricameratam uerò, eò quod omnes Gentes de tribus filijs Noe post diluuium reparatæ sunt; sed aliud dicat aliquis, quod a fidei regula non sit alienum. Nam quoniã non solas in inferioribus mansiones habere Arcam uoluit, uerum et in superioribus, & hæc dixit bicamerata, & in superioribus superiorum, & hæc appellauit tricamerata, ut ab imo sursum tertia cõsurgeret habitatio, possunt hic intelligi & tria illa, quæ cõmendantur a Apostolo, fides, spes, charitas: possunt et multo cõuenientius tres illæ ubertates euangelicæ, Tricena, Sexagena, Centena; ut in infimo habitet pudicitia cõiugalis, supra uidualis, atque hæc superior uirginalis, & si quid aliud secundum fidem ciuitatis huius intelligi & dici potest] Quam sententiam sæpius repetit AVGVSTINVS, atque illam de sensu etiam litterali uerissimam esse affirmat, ut cum ait [Deus per sermonem unum in litteris sacris plerumque non unam solam, sed plures etiam litterales uoluit significare sententias] BERNARDVS similiter cum in Opusculo, De diligendo Deo, uerba illa Cantici Canticorum [Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo] de misericordia & potètia Christi interpretatus esset, postea canticum ipsum explanans, eadè uerba in fidè & opera (eodem. s. sensuum genere) accommodauit; cui interpretationi hæc uerba adscripsit [Scio me hunc locum in libro de dilectione Dei plenius explicuisse, & sub alio intellectu potiori ne, an deteriori lector iudicet, si cui utrumque uideri placuerit, non sane à prudente de diuersitate sensuum iudicabor, dummodo ueritas utrobique nobis patrocinetur; & Charitas, cui scripturas seruire oportet, eò ædificet plures,

Confess. li. 12. c. 18.

Cant. Cantico. 2.

In Cantico. hom. 51.

plures, quò plures ex eis in opus suum veros erudierit intelle-
 ctus] Eapropter illud quoq; quod CHRISTVS [Tu es Petrus,
 & super hanc Petram ædificabo Ecclesiã meam] à Patribus in
 eodem sensuum genere diuersè interpretatum esse omnes
 norunt, alij enim Petram illam Christum esse intellexerunt,
 alij Petrum, alij fidei confessionem. Nec uariè minus explica-
 ta fuit ea Pauli enunciatio [Omnes homines vult saluos fieri,
 & ad agnitionem ueritatis uenire] & magis adhuc dispa-
 res ac multiplices leguntur ^{ἐπιπλοῦν} interpretaciones. Quid multa?
 Si quis Patrum commentaria uoluerit, atque eiusdem scri-
 pturæ interpretaciones diligenter contulerit, uarias utique il-
 las ac multiplices in eadem sensuum specie frequentissime
 deprehendet; atque eiusmodi uarietatem, ac dissimilitudinẽ
 ab ipsis Patribus nunquam reprehendi, sæpissime uerò lauda-
 ri cognoscet, imò scripturam ipsam ab ea non abhorre ex
 ipsamet SCRIPTVRA forsan intelliget, ut (exempli causa)
 Prophetavit Daniel [Et erit in Tẽplo abominatio desolatio-
 nis] quæ Prophetia in Templi Ierosolymitani vastitatem, quã
 Rex Antiochus effecerat, in LIBRIS MACHABAEORVM ta-
 cite accommodatur, ubi scribitur [Quinto & Quadragesimo
 & centesimo anno ædificauit Rex Antiochus abominandũ
 Idololum desolationis super altare Dei] Ab ipso uero CHRIS-
 TOSTO futuram solitudinem, ac nefariam Templi uastitatem à
 Romanis efficiendam prænuñciare dicitur his uerbis [Cum
 ergo uidebitis abominationem desolationis, quæ dicta est à
 Daniele propheta stãtem in loco sancto (qui legit intelligat)
 tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes] Quas interpreta-
 tiones inter se pugnare, sed in utranque illarum posse eandẽ
 Prophetiam accommodari aliqui concedunt. Ne igitur in
 re satis perspecta diutius, quàm par sit, immorari uideamur,
 ad reliqua procedamus.

Argu-

Argumenta, quibus probatur litteralem scripturæ
 sensum, falsum, noxium, & mortiferum
 esse, eundemque cum spiritali sensu
 pugnare. Cap. XI.



DIUINAE autem scripturæ sensu in species distribu-
 to, erunt iam ipsæ species examinandæ, & inter se
 comparandæ. De sensu itaque litterali quæstio
 non leuis exoritur: An scilicet uerax uel mendax
 sit, ædificet uel subruat, cum spiritali congruat uel pugnet;
 sequendus denique sit uel fugiendus. Videtur enim ille ue-
 hementer, ac frequenter reprehendi à Sanctis Patribus, ab
 Apostolis, & à Christo, ac Deo ipso, quasi falsa asserat, Blas-
 phemias, & hæreses contineat, Iudaismum doceat, illi deni-
 que adhærentes occidat, atque cum spiritu & spiritali sensu
 aperte pugnet. A Deo quidem huiusmodi sensum argui
 ORIGENES affirmat inquit [Dicimus igitur legem esse du-
 plicem, uidelicet alteram iuxta litteram, alteram iuxta sen-
 tentiam, sicut & maiores nostri docuerunt iam illam, quæ si-
 cut scriptum est accipitur, non tam nos, quàm Deus per quẽ
 dam Prophetam ius non bonum nominat, & præcepta non
 bona] atque iccirco eiusmodi ius litterale contrario Decre-
 to à Deo abrogari THEODORETVS demonstrat dicens [Quòd
 autem, nudam litteram attendere non sit Religioni consen-
 taneum Deus ipse demonstrat, legem contrariam statuens
 dicto. Reddens peccata patrum in filios usque ad tertiam, &
 quartam generationem, his qui oderunt me. Alibi enim di-
 cit. Non morientur filij pro Patribus, nec Patres pro filiis,
 sed unusquisque pro peccato suo morietur. Et per Ezechie-
 lem. Quæ est parabola uestra, cum dicitis; Patres comede-
 runt uuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Viuo-
 ego dicit Dominus, si ultra erit hæc parabola, sed obstupe-
 scent

Quæstio
Propo-
nitur.Argumen-
ta, quibus
sensus litte-
ralis oppu-
gnatur.Contra Cel-
sum. li. 7.In Exod.
hom. 40.

scant dentes eorum, qui comederunt unam acerbam, quoniam meae sunt omnes animae] Christum pariter eundem sensum reprehendere ostendens **ATHANASIVS** ait [Quæramus spiritus efficaciam, non enim nudæ historiæ attendimus, quæ propria est Iudæorum uesania, quinimò & Christus refutans eorum stultitiam ait. Scrutamini scripturas, quoniam in illis uos putatis habere uitam æternam; cæterum Iudæi litteræ adhærentes fame extabuerunt] **APOSTOLVS** autem apertissimè hunc sensum damnet dicens [Littera occidit, spiritus autem uiuificat] Ipsi denique Patres eundem sensum frequentissime explodunt, illum enim falsum esse dicunt, ut **ORIGENES** qui ait [Quoniam brachia peccatorum conterentur. Quomodo potest hoc secundum litteram stare, etiam si aliquis uim facere conetur per imperitiam? sunt multa in scripturis ita posita, quæ etiam eum, qui ualde brutus est, & iterit, mouere possunt, imò cogere, ut necesse habeat littera derelicta ad intellectum conscendere spiritualement, sicut & nunc faciunt brachia ista peccatoris, quibus imminere contritionem comminatur; sed & in alio loco dicit. Contere brachium peccatoris & maligni. Quid ergo? brachium istud corporeum peccatoris & maligni putabimus conterendum.] Perniciosum quoque eum esse ostendebat **AVGVSTINVS**, ut potè qui nos ut mentiamur doceat, cum in eo perspicue mendacium sit, inquit autem ille [Hoc ut exemplis fiat planius, id ipsum quod Iacob fecit, attende, Hædinis certè pellibus membra contexit; si causam proximam requiramus, mentitum putabimus, hoc enim fecit, ut putaretur esse, qui non erat] & paucis interiectis [Ut autem in facto, ita & in uerbo, nam cum ei pater dixisset. qui es tu? respondit, ego sum Esau primogenitus tuus. Hoc si referatur ad duos illos geminos, mendacium uidebitur] **GREGORIUS** uerò **NISSENVS** & falsum ipsum esse, & ad blasphemias, ac hærefes nos ducere concludit dicens [Hic, qui omnino litteræ seruit, rerum ipsarum

In serm in
iud prote
di in pagu,
qui ex ad
uerso est,
iuuenietis
pulum ab
ligatum.

2. Cor. 3.

In Psal. 36.
hemi. 3.

Li. de men
dacio.

De Vita
Moyses.

confe-

consequētia corruptibilem esse Deum opinari compellitur; est autem Deus incorruptibilis omnino atque immortalis, non est ergo ubique sequenda littera. Quod si hac in parte altiore, quam littera patitur, sensum querere cogimur, quis alienum esse à scriptura dicit, si ad spiritualement sensum totam reducimus? nam cum necesse sit partes aliquas spiritualiter intelligere, totum quoque necesse est, ut & possit, & debeat sicut & partes intelligi, est enim totum ex partibus, quare partium naturam sapiat necesse est] Atque illo ætate superior **ATHANASIVS** dixerat [Admonet Apostolus iudicans litteram occidere, spiritum autem uiuificare, pleraque siquidem sacrarum litterarum si iuxta litteram sentiamus, in nefarias collabemur blasphemias] Quod quidem ipse eo in loco exemplis, & inductione probat; cum quibus consentiens **CYRILLEVS ALEXANDRINVS** eundem litteralem sensum damnat, & falsum ac ridiculum iudicat dicens [Qui autem soli litteræ mentem suam alligant, & dignorum ac occultorum nihil intelligunt, quod etiam longè à ueritate absistant, & ridicula argumenta faciant, absque labore monstrabimus ex ipsis coniecturis, quas in manibus habemus, sermonis occasionem sumentes] A quo dissentiens **THEODORETVS** ait [Cæterum si Paradisus est locus quidem diuinus, exprimitur quomodo illic unumquodque membrum alioqui non frustra creatum, propriam uim exercet, & de Naso quidem, qui apud Aquilam & Symachum dicitur vultus, à septuaginta autem pars ea formati hominis, in quam Deus insufflauit spiritum uitæ; non igitur oportet adhærere nudæ litteræ scripturæ tanquam ueræ, sed Thesaurum in littera latentem querere, eò quod ipsa littera Diuinæ scripturæ interdum falsum dicat] Ex latinis autem Patribus **HIERONYMVS** asserit, exemplisque demonstrat, eundem litteralem sensum magnam nobis occasionem dare, ut in grauiora peccata, atque perniciosas hærefes, exemplis sententijsque inuitati turpis si-

D me

In epist. ad
Gal. c. 4.

mè labamur, atque iccirco illum nec utilem esse, nec salutarem affirmat dicens [Opera carnis Diuinorum Voluminum historia continet; non ualde eos iuuans, qui sic eam intelligunt, ut scripta est. Quis enim non docebitur seruire luxuriæ, & fornicationem habere pro nihilo, cum Iudam ad meretricem legerit ingredientem, & Patriarchas habuisse multas pariter uxores? Quomodo non ad Idololatriam prouocabitur, qui sanguinem taurorum, & ceteras leuitici victimas non plusquam, quod in littera sonat putauerit indicare? Quod autem inimicitias in aperto positus scripturæ sermo doceat, & ex hoc loco probatur. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, & ex illo. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Et cetera his similia, de contentione uidelicet, æmulatione, ira, rixis, dissensionibus; Ad quæ si non altius aliquid sentiamus, prouocant nos magis historiæ exempla, quam prohibeant. Hereses quoque magis de carnali scripturæ intelligentia, quam de opere carnis nostræ, ut plurimi existimant subsisterunt; Nec non inuidiæ, & ebrietates per legis litteram discimus; Inebriatur Noë per Diluuium, & Patriarchæ apud Ioseph fratrem in Aegypto, sed & commensationes in Regnorum libro scriptæ sunt, saltante Dauid, & concrepante timpanis coram Arcâ Testamenti Dei, & his similia; Quæritur quomodo ad ueneficia, & ad maleficas artes simplex scripturæ Diuinæ sermo, qui dicitur caro, nos prouocet, nisi ad eiusdem scripturæ spiritum transcendamus; Puto hoc significare decies Daniel, & tres pueros magis incantatoribus, & gazarenis, atque Chaldæis sapientiores repertos; & Moysem omni sapientia & doctrina Aegyptiorum eruditum, Multorum ergo malorum occasio est, si quis in scripturæ carne permaneat] Et alio in loco [Si litteram sequimur, possumus & nos quoque nouum nobis Dogma componere; ut asseramus

Aduersus
Iucifet.

mus

mus in Ecclesiam non recipiendos, qui calciati sint, & duas tunicas habeant] Id ipsum sentire Augustinum paulo ante ostensum est; quibus subscribens GREGORIUS primus litteram repudiandam esse monet, ut potè quæ interitum, & exitium afferat, atque spirituales homines ea uesci debere negat inquit [Littera tegit spiritum, sed quia lumentorum est paleis, hominum frumentis uesci, qui humana ratione utitur paleas abijciat, frumenta spiritus edere disponat] ex his igitur tum Patrum, ac scripturæ testimonijs, tum etiam exemplis concludi non temere uidetur, litteralem sensum mendacem esse, noxium, & perniciosum, atque cum spirituali sensu, ac spiritu ipso, palam pugnare.

Prol. in Cā.
Cant.

Argumentis probatur litteralem sensum uerum, & salutarem esse, atque cum spirituali optime conuenire. Quæstionis nodus soluitur, & obiectæ argumentationes diluuntur. Cap. XII.



ID autem sentientes, & affirmantes maximis è contrario difficultatibus premuntur, cum enim littera ipsa, ac litteralis sensus à Spiritu sancto manit (sacræ scilicet scripturæ auctore) quem nec mentiri posse, nec fallere, & perdere nos uelle suspicandum est, ipsum tamen mendacem esse, atque noxium & mortiferum aliquid pro salutari nobis ad occidendum porrexisset illi fateri compelluntur; Quem etiam pugnantia locutum fuisse inficiari ijdem non possent; si (quod dicebant) spirituali sensui litteralis ipse repugnaret. Eandem quoque litteram dicentem [In principio creauit Deus coelum & terram] & [Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est] & [Quam obrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit

Gen. 1.
Deut. 6.
Gen. 2.

D 2 uxo-

Matt. 19.

uxori suæ, & erunt duo in carne una] Quem litteralem sensum Christus ipse comprobabat, ipsi repudiare coguntur. Christum denique ab Angelo annunciatum, ex Mariana tum, cruci affixum, & mortuum fuisse, reuixisse, ac in Cœlum ascendisse, quia littera affirmat, ad negandum illi impelluntur; omnes præterea sanctorum Patrum Commentarios, quibus scripturæ litteram interpretati illi sunt, atque litterales sensus ex ipsa eruere diligenter tentarunt, negligere, ac respuere eosdem oportet; Totum adhuc scripturæ atque illius intelligentiæ ædificium corruere necesse est, conuulso scilicet fundamento, cui ipsum nitēbatur; quod quidem litteralem sensum esse paulo post ostendemus, quem pariter ostium & limen esse Patrum auctoritate docebimus, quare illo intercluso, nec intelligentia patefacto, in interiora cubacula introduci quispiam non poterit, ut potè qui primo aditu uestibulo que prohibeatur. Eapropter Ecclesia huiusmodi sententiam improbare deprehenditur, cum Hæreticos in Concilijs litterali scripturæ sensu sæpius euicerit; Eademque in canonibus promulgandis frequenter nitatur, atque Originem Paradisi litteralem sensum Allegoria euertentem damnant; Quem quidem sensum ab interprete diligenter custodiendum, & spiritali sensu confirmandum, ueluti congruentem; non tollendum quasi repugnantem, Patres docuerunt, inter quos ATHANASIVS dicebat [Hæc cum dico, historiam nō aufero, non enim spiritu litteram tollimus, sed spiritus uim, officiumque littera conseruat; uerisimum si quidem est Dominum in sensibili Asino sedisse, cum ex Bethania Ierosolymam proficisceretur; de ea enim Zacharias ita oraculis edidit. Dicite filiæ Sion, ecce Rex uester uenit mansuetus sedens in Asino & pullo subiugalis sobole. salua igitur historiæ fide perscrutor, quæ in ea defossa sunt] cum quo consentiens CHRYSOSTOMVS ait [Apostolus nusquam euertit historiam, licet contemplationem uocari Allegoriam;

In ferm. in
illud profetia
in pag. 1.
qui ex ad
er'o est
uenietis
pullum al
ligatum.

Procm. in
Psal.

legoriam; non quod nomina quid sibi uellent ignoraret; sed docens quod licet sententijs Allegoriæ nomen attribuerit, per contemplationem tamen id sufficiat accipere; nusquam lædentes naturæ historiam: sed Diuinæ scripturæ innouatores, & qui sibi uidentur sapientes, de historia uel dubitantes, uel in eam se improbè gerentes, introduxerunt Allegoriam non ex sententia Apostolica, sed ex uana sua gloria, facientes ut qui legunt, alia pro alijs accipiant] eundemque litteralem sensum cum spiritali optime conuenire IDEM affirmabat dicens [Non enim aduersatur historia sublimiori contemplationi] Quo sensu interpretandam, atque intelligendam esse scripturam HIERONYMVS monebat in quiens [Debemus enim scripturam sanctam primùm secundum litteram intelligere]. AVGVSTINVS uerò litteralem sensum non solum approbat, sed summo opere etiam laudat, cum ait [Sanè inquam quisquis uoluerit omnia, quæ dicta sunt, secundum litteram accipere, id est non aliter intelligere, quam littera sonat, & potest euitare blasphemias, & omnia congruentia fidei catholice prædicare, non solum ei non est inuidendum, sed præcipuus multumque laudabilis intellectus habendus est] Patrum itaque ac scripturæ dictis inter se (ut uidetur) pugnantibus, quid sentiendum sit non facillè profectò definietur, nec eiusmodi controuersia cito tolletur ab eo, qui pugnantia ipsa uerba ita, ut decet, conciliare studuerit. Sunt tamen nonnulli putantes controuersiam hanc nullo ferè negotio dirimi posse, dicunt autem litteralem sensum metaphora expressum (quem figuratum appellat,) cuiusmodi ille, exempli causa est [Montes exultabunt ut arietes, & colles sicut agnouium] tum à scriptura, tum à Patribus iure reprehendi, nisi figura ipsa, & translatio ad rem illam intelligentia conuertatur, quam similitudine exprimere, uel indicare deprehenditur; eiusmodi autem sunt, Brachia peccatorum; Quæ contenda quidem esse littera affirmabat; ORIGENES uerò id à

Procm. in
Psal.

In Amos.

De Genesi
ad litt. li. 3.

Questionis
explicatio.

Quorundā
opinio.

Psal. 115.

In Psal. 36.
hom. 3.

scriptura præcipi negabat. Eiusmodi quoque illud est [In Matutino interficiebam omnes peccatores terræ] ET [Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram] quos litterales sensus **HIERONYMVS** reprehendebat; Atque illis similes ^a **Gregorium Nissenum** ^b **Athanasium** ^c **Cyrillum**, & ^d **Theodoretum** redarguisse certum est. In qua sententia quandoque fuisse etiam ipse uidetur **AVGVSTINVS**, cum dicat [Cauendum est ne figuratam locutionem ad litteram accipias, & ad hoc tantum pertinet, quod ait Apostolus, littera occidit, spiritus autem uiuificat] Hæc autem assertio etsi aliquod obiectis Patrum testimonijs non repugnet, omnibus tamen congruere & singulas argumentationes diluere nõ uidetur; Iacob enim mendacia, ludæ fornicationem, Noe ebrietatem, atque his similia non excusat, nec leuitica sacrificia piè tuetur, contra-ria Dei præcepta non conciliat, antiquas ceremonias Euangelij accessione non tollit, neque **APOSTOLI** sententiam uerè comprobat dicentis [Littera occidit, spiritus autem uiuificat] Is enim non de figurata locutione, sed de uera ac propria litteræ intelligentia apertè loquebatur; quod quidem ipsemet **AVGVSTINVS** ab eiusmodi interpretatione & sententia iam discedens inter cæteros obseruabat, idque opponens ille demonstrabat, quam quidem demonstrationem his uerbis aggrediebatur [Volo enim si potuero, demonstrare illud, quod ait Apostolus: Littera occidit, spiritus autem uiuificat, non de figuratis locutionibus dictum, quamuis & illic congruenter accipiatur] Ea propter concludebat, Apostolum de ipso Decalogo locutum eo in loco fuisse, quod alibi etiam idem **AVGVSTINVS** affirmat dicens [Vbi ait Apostolus, littera occidit, spiritus autem uiuificat, non aliam uult intelligi litteram, quam ipsum Decalogum in illis duabus tabulis scriptum] in quam quidem Augustini sententiam tum posteriores plerique iuerunt, tum illo etiam ætate multo superiores olim discesserant, atque in ea **BASILIVM** fuisse

Psal. 100.
Psal. 136.
In Ep. ad
Gal. c. 3.
a De Vita
Moyfi.
b De com-
muni essen-
tia trium
personarū
c Contra
Iulia. li. 9.
d Quæst. in
Gen. in 2.
Cor. 3.
Dicitur opi-
nionis e-
uersio.

2. Cor. 3.

De spiritu
& littera.

I. 3. de D. o
& tri. Chrif.
c. 3.

se uidetur, cum dicat [Littera enim, hoc est lex occidit, spiritus autem uiuificat, hoc est uerba Domini] eam ramen **Origenes** non probat, cum asserat, ac demonstret non solum in Decalogo & Lege, siue etiam in toto Veteri Testamento, sed in ipso quoque Euangelio esse occidentem litteram, inquit [Est enim & in Euangelis littera, quæ occidit, non solum in Veteri Testamento occidens littera deprehenditur, est & in Nouo Testamento littera, quæ occidat eum, qui non spiritualiter quæ dicuntur aduerterit, si enim secundum litteram sequaris hoc ipsum quod dictum est, Nisi manducaueritis carnem meam, & biberitis sanguinem meum. Occidit hæc littera. Vis tibi & aliam de Euangelio proferam litteram, quæ occidit? Qui non habet, inquit gladium, uendat tunicam suam, & emat gladium: ecce & hæc littera Euangelij est, sed occidit, si uerò spiritualiter eam suscipias non occidit, sed est in ea spiritus uiuificans] **ATHANASIVS** pariter sentiens in ipso etiam Euangelio esse occidentem litteram, aliud quoque exemplum profert dicens [Plerisque eorum, qui in terris agunt, terribilis est sermo Dei ubi dicit: Omne peccatum & blasphemia remittitur hominibus, sed qui dixerit uerbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei nec in hoc seculo, nec in futuro; quapropter admonet Apostolus, indicans litteram occidere, spiritum autem uiuificare; pleraque siquidem sacrarum scripturarum si iuxta litteram sentiamus, in nepharias collabemur blasphemias, quale est istud Elogium Domini superius dictum] **GREGORIUS PRIMVS** similiter omni Diuinæ scripturæ tam noui, quam Veteris Testamenti hoc esse commune affirmat, ut scilicet occidentem litteram habeat, inquit autem [Sed quid dico scripturam mortuam? non est mortua tantum, sed interficiens, nam scriptum est. littera occidit, spiritus autem uiuificat. Hoc quidem facit omnis Diuina littera] In hac autem controuersia dirimenda, in qua tum rationes, tum scriptura-

In Leuit.
hom. 7.

Decommu-
ni essentia
trium per-
sonarum.

In 4. Regū
c. 7.

Auctoris
sententia.

ræ, & Patrum dicta, ac sententiæ (ut uidetur) inter se pugnant, Dei implorato auxilio, rationem eam inire tentabimus, qua rem totam breuiter explicantes, scripturæ quoque, & Patrum testimonia, ac rationes ipsas sibi inuicem, si fieri poterit, vna conciliemus: Dicimus itaque duplicem esse litteralem sensum, alterum quidem uerum, reliquum uerò apparentem. De uero & germano sensu litterali liberè affirmamus ueracem illum esse, ut potè qui à Spiritu sancto manarit, nec repudiandum eundem esse, cum nulla ueritas aspernanda sit, & reiicienda: Apparentem autem, nec uerum sensum, fatemur esse mendacem, alienum, & noxium; quem duplicem esse dicimus, unum quidem translata ac figurata locutione expressum, qui in scriptura est frequentissimus, alterum autem qui ex proprijs quidem uerbis eruitur, sed grammaticæ potius regulæ & præcepta in eò obseruantur, quam Spiritus sancti intentio & libertas animaduertatur, quæ quidem eiusmodi legibus imperat, non eisdem astringitur, ut de Grammaticæ usu Teologo opportuno agentes fusè demonstrauimus; hac itaque summa & exacta Grammaticæ obseruatione uerus & germanus scripturæ sensus aliquando excluditur, apparens autem aliquis falsò suscipitur ac profertur, non secus atque ex translata locutione oritur, si quis eam perinde accipiat, interpreteturq; ac si propria uerba explanaret, quod obseruans AVGVSTINVS dicebat [Qui enim sequitur litteram, translata uerba sicut propria tenet] id uerò iudæis ipsis cōtingit, Canticum Canticorum interpretantibus; Nos autem debemus utroque apparente sensu excluso, uerum litteralem sensum amplecti: quod Patres sæpius admonuerunt, inter quos AVGVSTINVS dicebat [Non enim sonum litterarum ac syllabarum, sed quod ipse sonus significat, & quod eo sono rectè ac ueraciter intelligitur, hoc accipiendum est dicere. De apparente autem sensu Origenes loquebatur hom. 3. in Psalmum 36. Athanasius de communi essen-

tia

tia trium personarū, Gregorius Nissenus de Vita Moyfis, Cyrillus contra Iulianum, & HIERONYMVS in illis scripturæ uerbis [Filia Babylonis misera, beatus qui retribuit tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram] ET [In matutino interficiam omnes peccatores terræ] Atque eundem apparentem sensum non solum in lege, & toto Veteri Testamento, sed etiam in nouo obseruabat Origenes hom. vii. in Leuiticum, Athanasius De communi essentia trium personarum, & Hieronymus aduersus Luciferianos, Deinde uerò dicimus Verum & germanum litteralem sensum, quamuis uerax semper sit, aliquando tamen noxium esse, si quod iubet seruetur, sicut enim iudiciales Veteris Testamenti leges seruandæ non sunt, ita antiquæ ceremoniæ eos interimunt, qui secundum litteralem sensum illas custodiunt; in quo errore infideles Iudæi in primis uersantur: sunt autem ea omnia, quæ tum ad ceremonias, tum ad iudicia ipsa antiqua pertinent secundum spiritum à nobis tenenda, atque iccirco Paulus Apostolus carnis circuncisionem, ad eam quæ cordis est transferebat, atque iudiciale illud præceptum [Non alligabis os bouitruant] ad spirituales ministros alendos conuertebat, & litterales Iudæos interpretes tacite arguens dicebat [Nunquid Deo cura est de bobus?] quos apertius reprehendens AVGVSTINVS ait [Qui enim sequitur litteram translata uerba sicut propria tenet, neque illud, quod proprio uerbo significatur, refert ad aliam significationem, sed cum sabbatum audierit (uerbi gratia) non intelligit nisi unum diem de septem, qui continuo uolumine repetuntur, & cum audierit sacrificium, non excedit cognitione illud, quod fieri de uictimis pecorum, uel terrenis fructibus solet.] Eorundem igitur litteralis sensus, intelligentia complectendus, obseruatione repudiandus est; & propterea etiam à Patribus explosus, & à scriptura Euangelica damnatus deprehenditur

In epist. ad Gal. 4.

ps. 126.

ps. 100.

Notabile 2

Deut. 10.
1. Cor. 9.

1. Cor. 9.

3. de Doct. Chrif. c. 5.
& 12. Cor. 3.

Notabil. 3. henditur; Ad hæc illud quoque notamus, in aliis scripturæ verbis, præter ceremonias & iudicia, non esse in ipso litterali sensu, quamuis uero, sistendum, sed ad spiritualem statim progrediendum, cum scilicet ipsa littera, uel turpe aliquod narrat, uel saltem non ædificat, & leuia facta commemorans grauiã tegere, & indicare mysteria putanda est; Apostolica enim sententia iudicare debemus ea omnia tum ad doctrinam, tum ad correptionem nostram scripta esse, Iudæis autem in figura contigisse, qui, hoc ignorantes, in leuissimis, & minutissimis narrationibus, ac turpibus maiorum factis omnino acquiescunt. Ea propter dicebat **ATHANASIVS** [Nos igitur fratres certi litteram occidere, spiritum uiuificare, non solam historiam scripturarum sequamur, neque ut Iudæi nudæ litteræ adhæreamus, sed quemadmodum scriptum est, perscrutemur, ut ibi Testimonia de Christo reperiamus] itaque **CHRYSOSTOMVS**, progressum hunc à litterali ad spiritua- lem sensum approbans, ait [Neque ad Iudaismum nos attrahit, & impellit cogens soli herere dictioni, illamque colere, & obseruare, nihil autem ulterius & altius cogitare permittens] **GREGORIUS** uerò **PRIMVS** inquit [Vtique quæ sequuntur, sunt omnino digna despectu, si ex sola narratione pensentur] **ET** rursus [Aliquando res gesta in facto causa damnationis est, in scripto autem prophetia uirtutis] **ITEM** [Virtus facri eloquij sic gesta narrat, ut hæc mystice gerenda persua- deat,] atque **HIERONYMVS** multis exemplis id ipsum demõstrantem paulò ante audiuius in commentarijs Epistolę ad Galatas Cap. quinto tandemq; his uerbis concludentem [Multorum ergo malorum occasio est, si quis in scripturæ carne permaneat] In omnibus igitur eiusmodi scripturæ locis litteralis sensus interpretandus est, & uerus iudicandus, sed ad spiritua- lem sensum statim conuolandum est, eique adhærendum, cuius utilitate ac perfectione litteralis etiam sensus (indiuiduus comes, & index ipsius) quodam modo per-

In serm. in illud. Profeti in Pagu qui ex aduerso est in uenietis pullum aligatum.

Progr. in Psal.

Mer. li. 18.

Mer. li. 3.

Mer. li. 3.

In Ep. ad Gal. c. 3.

perficitur, atque cohonestatus, ex turpi & noxio fructuosus & salutaris efficitur; Denique hoc etiam animaduertendum proponimus, Præceptis Diuinis promulgatis, nos quidem astringi, & peccati uinculo obligari, atque ab eisdem discedentes condemnari, & supplicio affici, ad ipsa autem tenenda, & opere, ut decet, explenda, ab eisdem non perduci, nec etiam iuari, hoc enim Dei gratia, non præcepto, assequimur; Dei uero gratiam spiritu ipso haurimus, præceptum littera accipimus, ex quo fit, ut iubens uel prohibens littera nos occidat, gratia autem redundans ipse spiritus salutem & uitam det; ad hoc autem oculos adijcientes, Augustinus, Basilius, & complures alij, ad ipsum Decalogum **APOSTOLICAM** illam sententiam contraxerunt, quæ dicit [Littera occidit, spiritus autem uiuificat] ut ipsemet **AVGVSTINVS** explicat dicens [Littera occidit, spiritus autem uiuificat, non ut aliud impleas, quàm tibi per litteram iubetur, sed sola littera reum facit, gratia & à peccato liberat, & litteram donat impleri] **ET** post pauca [Nolite ergo putare damnatam esse litteram, quia dictum est, littera occidit, hoc est enim littera reos facit] & **HIERONYMVS** in eandem sententiam scribit [Littera occidit, spiritus autem uiuificat, quomodo alibi dicit legem esse spiritalem spiritualibus, cæterum peccatores occidit, gratia autem uiuificat impium conuertens] quibus subscribēs **ORIGENVS** ait [Littera occidit, lex inquit occidit, si. n. peccantem deprehenderit, interim it eum; nã qui transgressus est, inquit, legem Mofi, sine misericordia sub duobus uel tribus testibus moritur, spiritus uerò si deprehenderit peccatis mortuos per baptisma uiuificat] Atque iccirco falluntur Iudæi, legis præcepta seruare se posse arbitantes, qui quidem cum in quadruplici, iam enumerata, litteralis sensus significatione, & usu decipiuntur, & in singulis, (ut diximus) eiusdem erroribus uersentur, meritò ueluti litterales, & litteræ plus æquo tribuentes reprehenduntur, atque damnantur,

Notabil. 4.

2. Cor. 3.

In 1. Cor. 3.

in epist. 2. Cor. 3.

Nos

Conclusio. Nos autem, nec ad dexteram, nec ad sinistram diuertentes, litteram & spiritum coniungamus, atque utrinque obiectis tum rationibus tum scripturæ & Patrum testimonijs iam (ni fallimur) inter se conciliatis, sententiam nostram breuiter proferamus dicentes: Litteralis sensus, uerus, non apparens, à Spiritu sancto intellectus, uerax est, utilis, & salutaris, non est tamen ubique seruandus, nec in eo sistendum est, sed ad spirituales sensum progrediendum, qui cum litterali non pugnat, sed proportione quadam illi optime respondet. De autem spiritus in primis est implorandus, qui nobis abunde gratiam & uitam dat.

Quot & quæ sint litteralis sensus species. Et quòd sensus iste sit aliorum sensuum ueluti basis, & fundamentum. Cap. XIII.



SUPERVACANEVM fortasse quispiam iudicabit, ut litteralis sensus species adhuc inquiramus, & explicandas proponamus, cum superiore disputatione id ipsum præstitisse uideamur: Quod tamen reuera hucusque definitum à nobis non esse cognoscet, quisquis animaduertet significationes potius quasdam alienas & inutiles usus litteralis sensus nos exposuisse, quam eiusdem ueras, ac germanas species explicasse, quas nunc breuiter definientes complectemur. Vna igitur & maxime perfecta litteralis sensus species ea est, quæ proprijs uocabulis secundum scripturæ morem significatur. Scripturæ uerò morem in definitione posuimus, ut Grammaticæ exactam observationem excludentes, atque huiusmodi moderatione temperantes, uerum & germanum litteralem sensum ab apparente secerneremus. Altera autem eiusdem species est; Quæ translatis uocabulis expressa, proprietate in ipsa translatione

Prima species litteralis sensus.

Secunda species litteralis sensus.

latione delitescente significatur. Quòd enim litteralis sensus, is quoque fit, qui translatis uerbis, ac figurata locutione profertur, iam pridem diximus, & abunde etiam declarauimus, uerborum autem figuras translatione contineri docet Aristoteles; ut uerò apparentem sensum translatione ipsa significatum, de quo paulò ante mentionem fecimus, à germano scripturæ sensu seiungeremus, particulam illam definitioni adscripsimus [Proprietate in ipsa translatione delitescente significatur] Præter has autem species, quas nemo compos mentis inficiari poterit, atque iccirco nos breui sermone, absque disputatione, perstrinximus, nullam prorsus aliam litteralis sensus speciem agnoscimus. Qui quidem sensus est cæterorum basis, ac fundamentum, quo iacto illi nituntur, conuulso corrunt: id uerò animaduertens CHRYSOSTOMVS dicebat [Non enim aduersatur historia sublimiori contemplationi, sed contra, ea est basis & fundamentum altiorum intelligentiarum] atque GREGORIUS PRIMVS ad idem oculos adiiciens, ait [In uerbis sancti eloquij, fratres charissimi, prius seruanda est ueritas historiarum, postmodum requirenda spiritalis intelligentia allegoriæ: Tunc nanque allegoriæ fructus suauiter carpitur, cum prius per historiam in ueritatis radice solidatur] & alio in loco faciem comparabat litteralem sensum, sicut enim cuiusque facies primum aspicitur, ex uultu autem animi perturbationes indicantur, atque ex colloquio mentis cogitationes patent; ita litterali sensu perspecto, interiores sensus ordine quodam deprehenduntur, eundemque corticis instar esse Gregorius Nazianzenus & Bernardus asserunt; sicut enim cortice obducti trunci teguntur ac latent, nudati cernuntur; ita spirituales sensus occulto litterali sensu aspici nequeunt, eo uerò intelligentia patefacto, euoluti pariter ipsi cerni & tractari possunt. GREGORIUS quoque PRIMVS pulchra quadam similitudine litteralem

Li.

Proem. in Pf.

In hoc

Mo.

a A
m e j
b.
Can
tic.

In Ezech.
hom. 15.

teralem sensum exteriori limini comparabat de ipsa scriptura dicens [Duo limina habet, exterius, & interius, quia in litteram diuiditur, & Allegoriam; limen quippe sacrae scripturae exterius littera, limen uero interius allegoria, quia enim per litteram ad allegoriam tendimus, quasi a limine, quod est exterius ad hoc, quod est interius, uenimus] qua comparatione demonstrabat ipse Gregorius neminem ad spirituales sensus penetrare posse, nisi litterae intelligentia ad illos sibi aditum patefecerit. Quisquis igitur Diuina mysteria in littera delitescencia intelligere, & spirituales scripturae sensus inuestigare, excogitare, percipere studuerit, illud in primis diligentissime curet, ut litteralem sensum exploratum ac perspectum habeat, quo cognito & constituto, quasi fundamento posito, stabile extruat aedificium, arborem serat, quae altis defixa radicibus nulla ui labefactari possit, Truncos iam cortice denudatos facile aspiciat & atreget, Vultu indice inspecto animi sensum intelligat, atque patefacis, & apertis aedium foribus interiora cubacula liberè lustret.

Quod sensuum species non sint aequè notae, ignotior autem sit spiritualis sensus; Ut potè qui infide-

les & improbos homines lateat.

Cap. XIII.

PERINDE ac trunci cortice obducti hominum aspectu lucemque uitant, nec mens cernitur corporis integumento inuoluta, cortex autem & uultus in omnium conspectu positi sunt, ita spiritualis sensus, menti ac trunco persimilis, litterae aspectabili inuolucro tectus, tum per illam (ut diximus) perspicere oportet, tum pauciores homines aegriusque ad eundem penetrare putandum

dum est, quem quidem in littera quasi in cortice delitescere BERNARDVS his uerbis docebat [Non enim sine causa multiplex spiritus a sapiente describitur, nisi quod sub uno litterae cortice diuersos plerunque sapientiae intellectus tegere consuevit] quod uero eiusmodi integumento obtectum spiritalem sensum pauci intueantur GREGORIVS NAZIANZENSIS palam affirmat dicens [Est etiam in scripturis nostris duplex sensus, alter internus ac spiritualis, alter externus, nec litterae corticem excedens; ille a paucis perspicitur, hic a plerisque intelligi potest] Quemadmodum etiam ipsi homines plurimis quidem sunt de facie noti, paucis autem eorundem mores, & cogitationes perspectae sunt, illis nempè solis, quos usu & consuetudine coniunctissimos habent; ita in sensibus ipsis contingit, in quorum dissimilitudine declaranda, similitudine hac usus GREGORIVS PRIMVS ait, [Cum in sacro eloquio sola historia aspicitur, nihil aliud, quam facies uidetur, sed si huic assiduo usu coniungimur, eius nimirum mentem, quasi ex colloctionis familiaritate penetramus] Nec soli Patres isti minus notum ac perspectum esse spirituale sensum arbitrati sunt, sed Ecclesia ipsa eundem plurimos latere semper iudicauit, quod quidè olim apertissime testatus est his uerbis ORIGENES [Tum demum quod per Spiritum sanctum scripturae conscriptae sint, & sensum habeant non eum solum, qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quam plurimos, formae enim haec, quae scripta sunt sacramentorum quorundam, & diuinarum rerum imagines sunt, De quo totius Ecclesiae unus est sensus, esse quidem omnem legem spiritualem, non tamen ea, quae spirat lex, esse omnibus nota, nisi his solis, quibus gratia Spiritus sancti in uerbo sapientiae ac scientiae condonatur] Quod testimonium comprobans AVGVSTINVS totidem ferè uerbis illud repetit, ut ab Origene ipsum accepisse non obscure is deprehendatur, inquit enim [Tum demumque quod per spiritum, Dei scripturae

Super Cant. ser. 4.

Ad Nemesium.

Mor. li. 3.

Perarchon li. 3.

De Incarn. Verbi. li. 1.

pturae conscriptae sint, & sensum habeant non eum solum, qui in manifesto est, sed & alium quendam latentem quam plurimos, formae enim sunt haec, quae describuntur, sacramentorum quorundam, & diuinarum rerum imagines; De quo totius Ecclesiae una sententia est, esse quidem omnem legem spiritalem, non tamen ea, quae spirat lex, est hominibus nota, nisi his solum, quibus gratia Spiritus sancti in uerbo sapientiae ac scientiae condonatur] Quorum, quidem grauissimorum testium dicto, & consensu Ecclesiae sensum & iudicium abunde esse demonstratum putamus, non esse scilicet, aequè notas sensuum species, sed quamplurimos homines spirituales scripturae sensum, ueluti abditum & occultum ignorare. Nec tamen putandum iccirco est, eiusmodi sensum suapte natura opacum & obscurum esse, est enim ille praclarus ualde, ac perlucidus, cuius candorem, & fulgorem praedicans GREGORIUS NAZIANZENSIS dicebat [Verum hanc sermones nostri rationem habent, quod & corpus ipsis illustre est, & anima praecleara atque diuina, aptissime ut conferri cum duplici ueste possit, externè nimirum purpurea, internè eximio candore pellucida] Sed perinde ac Sol ipse, cuius fulgore, etsi omnia collucent, ab illis tamen non aspicitur, qui uel caeci, uel oculos obnubentes eum intuentur, ita sensus iste illustris, & collucens, ab illis non cernitur, qui mentem ipsam, quasi uelo obnubentes, adeo caliginosi efficiuntur, ut Tenebrae meritò dicantur; atque iccirco IOANNES APOSTOLVS scribat [Lux in tenebris lucet, & tenebrae eam non comprehenderunt] Quos autem homines sensus hic lateat interroganti respondemus, illos in primis ipsum latere, qui in infidelitatis & impietatis tenebris iacentes, atro quodam & opaco uelo mentem obtendunt, cuiusmodi quidem Iudaei sunt, qui propterea nudae litterae (ut paulò ante dicebamus) adhaerentes, omnem spirituales sensum ignorant ac repudiant, quod PAVLVS ipse testatur ad Corinthios

ho-
sen-
tuita

scri-

scribens [Vfque in hodiernum diem cum legitur Moyses, uelamen positum est super cor eorum, cum autem conuersus fuerit ad Dominum auferetur uelamen] IDEM que paulò post de infidelibus omnibus generatim id ipsum his uerbis enunciat [Si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est, in quibus Deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne luceceret illis lumen Euangelij] Ad idem quoque oculos adiciens ISAIAS dicebat [Nisi credideritis non intelligetis] nullus igitur infidelis spirituales scripturae sensum intelligere poterit. Sed nec etiam uitij flagitijque deditus aliquis eundem percipere ualebit, cum dicat APOSTOLVS [Animalis autem homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei] cum quo consentiens SALOMON dixerat [Spiritus Dei effugiet fictum, ne habitabit in corpore subdito peccatis] & DAUID cecinerat [Beati immaculati in uia, beati qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testimonia eius] apertè utique eiusmodi gradibus, atque illorum ordine declarans, neminem Dei mysteria ritè scrutaturum, qui temperatis moribus praeditus antea non fuerit; Quod nos de Auditore Theologiae agentes fusè explicauimus, & cumulatè demonstrauius. Praeter infidelitatem igitur dissoluti ipsi & perditii mores altero quodam (quamuis tenuiore) uelo plurimorum mentes obtendunt, quo eas impediunt, ne spirituales sensus in scripturis agnoscant, cogitent, & intelligant, ipsosque cogunt spiritali esca & intelligentia carere; quas quidem utroque eiusmodi inuolucro euolnere, atque integumento nudare oportet, ut spiritus fulgorem, & sensum in littera delitescens Dei gratia cernere possint; iccirco enim CHRISTVS ipse Apostolis quidem tum fide, tum uirtute praeditis mysteria explicabat, cæteris autem parabolis integumento eadem inuoluta ostendebat, quod ipse et testatur dicens [Vobis datum est nosse mysteria Regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut uidentes

2 Cor. 4.

Isa. 6.

1. Cor. 2.

Sap. 1.

Psal. 118.

Titulo de
Auditore
Theologiae
c. 4.

Luc. 8.

E non

non uideant, & audientes non intelligant] Idipsumque Apolos pariter obseruasse in uarijs hominum generibus erudiendis PAVLVVS testatur ad Corinthios scribens, [Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam uero non huius seculi, qui destruitur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est]

Quòd idem spiritualis sensus in alio Scripturæ loco efficiatur litteralis ostenditur. Cap. XV.



NAutem contingat eundem scripturæ spiritualem sensum, in littera delitescentem, in alio postea scripturæ loco litteralem fieri nobis considerantibus, exempla aliquot, non obscurè id declarantia, statim obuia fiunt: legimus enim in Numeris Moysen in deserto æneum serpentem erexisse, & ad populi conspectum extulisse, ut illum intuentes omnes salutem acciperent, qui quidem litteralis sensus illius scripturæ, uerus & germanus est, eiusdem uerò spiritualem sensum eiusmodi figura indicatū si queramus, CHRISTO Domino crucis supplicio afficiendo illum congruere eodem interprete cognoscemus, cum ipse dixerit [Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis] quæ uerba dum de se ipso protulit Christus, litterali eorum sensu spiritualem ænei serpentis sensum expresit; quod pariter IPSE fecit cum Ionam à pisce uoratum, & post triduum ex eiusdem uentre exclusum, suimet sepulturam & resurrectionem spirituali sensu significasse his uerbis declarauit [Sicut enim fuit Ionas in uentre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus] MATTHÆVS quoque Osee uerborum spiritualem sensum litterali narratione tradidit, cum Christi ex Aegypto reditum scribens, eundem à propheta spirituali sensu significatum dixit [Vt im-

pleretur

pleretur quod dictum est à Domino per Prophetā dicentem, ex Aegypto uocauit filium meum] quæ quidem Osee uerba litterali sensu Populi Israilitici reditum significabāt; Idipsum fecit IOANNES cum Christi crura in Cruce confracta non esse narrauit, hunc ipsum enim litteralem sensum fuisse olim in Agno spiritualem testatus est dicens [Facta sunt hæc, ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo] PAVLVVM uerò eorum uerborum [Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ] spiritualem sensum Christi & Ecclesiæ, litterali sensu expresisse, atque de Ismahel ex ancilla, Isaac ex libera ortis spiritualem sensum litterali duorum Testamentorum sensu aperuisse ex ijs, quæ iam pridem diximus, apertè colligitur, qui in Melchisedech historia spiritualem similiter sensum notans, eundem littera significauit in quiens [Primùm quidem qui interpretatur Rex iustitiæ, deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem uitæ habens, asimilatus autem filio Dei] & paulò post Tabernaculi pariter, & aspersiois, quæ uitulorum & hircorum sanguine fiebat, spiritualem sensum Christi sanguinis, & celestis Tabernaculi littera expresit; Et alio in loco plures spirituales sensus complectens Baptismi, & Christi litteralibus sensibus eandem interpretatus est, ubi ait [Nolo enim uos signorare fratres, quoniam Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt (bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus)] In omnibus locis istis, alijsque similibus apertè deprehenditur, sensum eundem vno quidem in loco, ueluti spiritualem, litterali sensu regi, in altero autem littera ipsa palàm significari; quæ enim (ut ait Apostolus) ludæis in figura contingebant, nos spirituali sensu ad doctrinam & correptionem nostram interpretata Euangelij littera cognoscimus,

E 2

gnosimus,

Osee. 11.

Io. 19.

Exod. 12.
Num. 9.

Gen. 2.

Eph. 5.

Gen. 16. 21

Gal. 4.
Cap. 1.
Gen. 14.
Heb. 7.

Esai. 26. 30

Leuit. 16.
Heb. 9.

1. Cor. 10.

Exo. 13. 14.
16. 17.

Rom. 15.
1. Cor. 10.

In Iesu Na-
uc. ho. 20.

gnosimus, & Prophetarum uaticinia expleta esse eadem Evangelica littera intelligimus; atque iccirco dicebat ORIGENES [Hæc etenim, quæ prius in litteris erat, & secundum litteram intelligebatur, modo in Ecclesijs, Christo reuelante Domino, loquela effecta est, loquentibus primò sanctis Apostolis, & remouentibus superficiem litteræ, proferentibus uerò de ea spiritualem loquelam] & in eandem sententiam AVGVSTINVS ait [Calix enim uini meri plenus mixto, uidetur mihi esse lex, quæ data est Iudæis, & omnis illa scriptura ueteris, quod dicitur, Testamenti, ubi sunt pondera omnium sententiarum, nam ibi nouum absconditum latet Testamentum, tanquam in fece corporalium sacramentorum, Circumcisio carnis magni sacramenti res est, & intelligitur ex eo circumcisio cordis] Hæc autem cordis circumcisio, sicut cætera quoque sacramenta littera Veteris Testamenti spiritualiter commonstrata, fuerunt postea Noui Testamenti littera & sensu pariter litterali palam expressa.

Argumenta quibus probatur fertari in Ecclesia certum, & germanum scripturarum sensum traditione acceptum. Cap. XVI.

Questionis
propositio

INTER tot autem, ac pene innumerabiles (ut diximus) Diuinæ scripturæ singulares sensus, an sit unus aliquis præ ceteris ab Ecclesia susceptus, & commendatus, ueluti Apostolicus, traditus, & custoditus, quem negare, reprehendere, aut ab eo discedere nemini liceat, uel potius liberum cuique sit eum sibi sensum deligere, quem magis ipse probauerit, cum omnium par sit dignitas, & auctoritas, nec ullus (de pijs & catholicis semper loquimur) Ecclesiæ iudicio aut comprobatus, aut exploratus deprehendatur, in questionem uocari equidem potest, nullo

nullo autem negotio, & labore explicari ac definiiri certè non potest; Quæ tamen quæsi huius perfecta, & plena cognitio tum necessaria est, tum ad scripturam intelligendam, Dogmata confirmanda, & hæreses confutandas momentū maximum affert, uiamque ad ea omnia rectam, & compendiarum aperit, ac munit. Quòd autem huiusmodi scripturæ sensus in Ecclesia sit, æquisimū profectò uidetur; Cui enim traditæ, & concreditæ sunt ipsæ scripturæ earum, quoque sensum unà traditum eidem fuisse uerisimile est, sine quo vel nullus, uel anceps & periculosus esset scripturarum usus. Nec probabile uidetur ecclesiam illas custodire scripturas, quas non intelligat, ad ipsius præfertim doctrinam exaratas: Atque minus credibile putatur, eiusmodi intelligentiam fuisse Ecclesiæ denegatam, quam olim ipsi Synagogæ dignitate, gratia, & cognitione multò quàm Ecclesia inferiori (illius scilicet. LXX. senioribus) à Moysse traditam esse, tum Iudæi affirmant, tum nostri fatentur, dicente HILARIO [Idem Moyses, quamuis ueteris Testamenti uerba in litteris condidisset, tamen separatim quædam ex occultis legis secretiora mysteria LXX. senioribus, qui Doctores deinceps manerent intima uerat; cuius doctrinam etiam Dominus in Euangelijs meminit dicens: Super Cathedra, inquit, Moysi sederunt scribæ & Pharisei; omnia ergo quæcunque dixerint uobis facite, secundum uerò facta eorum nolite facere. Doctrina ergo horum in posterum, quæ ab ipso scriptore legis accepta, in hoc seniorum & numero, & officio conseruata est] Nefas denique dictu existimatur singulis Doctoribus, uel fidelibus, scripturam piè rectèque interpretantibus, illius sensum & intelligentiam reuelari; Totam autem Ecclesiam, Verbi Dei custodem, fidelium matrem, ac magistram, columnam & firmamentum ueritatis, studiosè celeri; Quod quidem si uerum esse concederetur, iam non posset Ecclesia pijs & catholicas interpretationes suo iudicio approbare, impias & per-

Argumenta
ta affirmati-
uum.

In Pf. 2.

niciosas damnare, uero scripturarum sensu Dogmata confirmare, hæreticos euincere, atque Canones scripturis ipsis congruentes promulgare; eapropter sancti Patres constanter crediderunt scripturarum sensum Dei dono, & Apostolorum prædicatione ac Traditione fuisse olim Ecclesiæ unicum cum Scripturis ipsis concreditum, & ab ipsa diligenter custoditum, quo illa ueluti norma ac regula, utatur ad singulas interpretationes dijudicandas, atque hæreses indicandas, & ad quem pij omnes in scripturæ obscuritate confugiant: Dionysius enim AREOPAGITA uir Apostolicus, atque doctrina, & gratia præditus, dicebat [Ad sanctissimarum scripturarum intelligentias, prout illas à Patribus accepimus, conueniendas, pro uiribus pergamus] quod illicoæuus, & Pauli Apostoli comes CLEMENS ROMANVS pariter monet in quibus [Oportet ab eo intelligentiam discere scripturarum, qui eam à maioribus secundum ueritatem sibi traditam seruat, ut & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere] IRENEVS uerò non solum id ipsum affirmat, sed longa etiam & docta disputatione demonstrat aduersus suorum temporum hæreticos scribens: Quod etiam admonens ORIGENES, dicebat [Mihi autem sicut Deo, & Domino nostro Iesu Christo, ita & Apostolis eius adhærere bonum est, & ex Diuinis scripturis secundum ipsorum traditionem intelligentiam capere] Idemque affirmabat ATHANASIVS dicens [Quod autem nunc recitatum est Verbum, Euangelium quidem est, sed tamen euidentia claritudinisque gratia defugiendum est ad sanctos, & ab eis intellectus huius rei recipiendus] Quibus subscribens AVGVSTINVS ait [Quomodo uerba scripturæ intellexerunt sancti, sic intelligenda sunt] ET alio in loco [In scripturis sanctis interpretandis, etsi multa dici possint, quæ improbanda non sunt, tamen in his eligendum, quod omnis, uel penè omnis frequentat Ecclesia] CONCILIVM denique TRIDENTINVM id ipsum asserere uidetur, cum prohibens de-

cernit

cernit [Nemo sacram scripturam contra eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta Mater Ecclesia, interpretari audeat] & multa Concilia scripturæ uerba dum interpretantur, illorum sensum in Ecclesia esse apertè significant, ut EPHESINVM CONCILIVM uerba illa Ioannis exponens [Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam] & MILLETANVM illa Pauli [Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors] ET ea rursum Ioannis [Si diximus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus] Et paulo post illam orationis Dominicæ particulam [Dimitte nobis debita nostra] Atque SMIRNENSE, antiquum CONCILIVM illa Genesis uerba declarans [Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram] Ex quibus omnibus concluditur, & abundè demonstratum uidetur, seruari in Ecclesia germanum scripturarum sensum, à maioribus traditione acceptum.

Sess. 4.

Io. 6.

Rom. 5.

Cant. 6.

Ep. 1. Io. 1.

Cant. 7.

Matt. 6.

Gen. 2.

Argumenta quibus probatur nullum traditum scripturæ sensum in Ecclesia seruari ri. Cap. XVII.



SSERTAE tamen conclusionis oppositum alijs rationibus ita confirmatur, ut probabilius uideatur: in primis enim si uera ea sunt, quæ paulò ante constituta cumulatè demonstrata esse uidentur, sensum huiusmodi in Ecclesia esse negare compellimur; si nanque innumerabiles ex eodem scriptura ueri sensus erui possunt, & licet unicuique Theologo nouos semper sensus piè excogitare, atque plures, eiusdem etiam speciei, sensus in eadem scripturæ uerba sunt ab ipsis Patribus sæpius accommodati, argumento id certissimo nobis est, nullum in Ecclesia scripturæ sensum esse, quem tenere unumquemque

E 4 oportet

De Cel. Hier. c. 1.

Recogniti-
onum. li.
10.Ad discip.
Hier. ca. 9.
37. dist. c.
Relatum.
L. 4. aducr.
hæret. c. 63.In Leuit.
hom. 7.In passio-
nem & cru-
cem Do-
mini.De uerbis
Euang. ser-
mo. 19.Ep. 59. ad
Quæstio.
Paulini.

oporteat, & à quo discedere nemini liceat. Deinde uerò queritur, ubi nam reperiatur sensus iste, præ cæteris ab Ecclesia approbatus, nullibi enim legitur eiusmodi scripturæ interpretatio; quæ si legeretur, omnes fideles illam, ut deceret, amplecterentur, & cæteras omnes ueluti adulterinas repudiarent; quòd si dixeris eam nullibi scriptam esse, sed traditione sola in Ecclesia seruari, multis iam difficultatibus premeris; in primis quidem, cum à nascente Ecclesia usque ad hoc nostrum seculum fuerint semper scripturæ ipsæ à Doctoribus & Ecclesiæ Prælati publicè Populo prædicatæ, ac interpretatæ & in scholis lectæ, atque inter eruditos subtiliter examinatæ, & fusè ac doctè expositæ, fuisset pariter ipsorum sensus ille ab Apostolis acceptus posteris auditoribus studiosè à Doctoribus traditus, & ueluti Apostolicus commendatus, quare ad nos usque paulatim peruenisset, qui tamen nec in Ecclesijs prædicantes, nec in scholis legentes, uel disputantes, nec in cubiculis priuatim colloquentes Doctores unquam audiuius, qui hunc scripturæ sensum ueluti Apostolicum Auditoribus traderent, præ cæteris omnino tenendum esse præciperent, sed nec tractatorum commentaria ipsi uoluentes uidimus eiusmodi sensus nobis ita commostratos, ut Traditione Apostolica acceptos seruaremus, cum tamen oportuisset Patres illos scripturam sacram suis commentarijs explanantes, sensum Apostolicum ipsis traditum litteris consignasse, atque eiusdem dignitatem & ueritatem auctoritate Traditionis Apostolicæ confirmasse, nisi sensum illum silentio prætereuntes, cæteros autem uel ab ipsis inuentos tradentes, uel ab alijs excogitados recitantes, nos ea commentaria legentes fallere, non docere, uoluissent; uel eum quidem Apostolicum sensum recitantes, Apostolicam autem Traditionem reticentes, ut ipsum sibimet uendicaret, tum eidem pristinam auctoritatem ademissent, tum nobis, temerè illudentes, erroris occasionem dedissent: Hæc

autem,

autem, absit, ut de sanctorum Patrum charitate & prudentia suspicemur: quare id potius credendum erit, nunquam eiusmodi aliquem sensum ipsis quoque fuisse à maioribus traditum, ueluti Apostolicum. Deinde uerò si huiusmodi sensus (ut dicitur) in Ecclesia Traditione seruaretur, consultius utique esset, ut publicis monumentis ille consignaretur, quam inter non scriptas Traditiones custoditum maneret, quod quidem securitate, utilitate, ac necessitate demonstratur; Omne. n. quodcunque in ore & auribus hominum absque scripto uiget, ut facile fluit ac labitur, ita non ægrè frequenter dilabitur, atq; fluxione mobile scripti stabilitatem diuturnitate uix æquat; sed dū in lubrico & abdito uersetur, periculum subit, nè paulatim lōginitate temporis aut pereat, aut obscuretur, aut etiam immutetur; in quo cōmuni periculo, & multò etiā maiore utique essent singulorum scripturæ uerborum sensus ipsi traditi, ut potè qui multitudine uerba saltè æquantes, penè innumerabiles essent, atque iccirco tantam ipsorum copiam ac uim memoria complecti & custodire quiuis difficillimè posset: tutius igitur multò, esset eosdem scriptis mandare, quàm de manu (ut aiunt) in manum tradere: Quod præterea esset tum priuatis, tum publicis rationibus perutile; singulis enim Doctoribus magnum laborem leuaret, quem sustinent in scripturæ sensibus excogitandis, conferendis, ac dijudicandis, efficeretque ut nullo negotio, & sine errore possent fideles ueram scripturarum intelligentiam assequi, quod quidem maximo totius Ecclesiæ commo do fieret. Id ipsum autem esset præterea necessarium; cum enim sit Ecclesia, semperque fuerit Hæreticorum captiōibus exagitata, hæc autem lis omnis, non in uerborum controuersia, sed in sensu ac scripti interpretatione posita sit, ut res ipsa loquitur, & Patres omnes testantur, coacta tandem fuisset Ecclesia hac impiorum hominum assidua uexatione, ut se ipsam ab eiusmodi molestia liberaret, nec sineret fideles fallacibus hæreticorum interpretationibus deceptos im-

per-

Titulo de
Questioni
bus.

perniciosos errores turpissimè labi, germanos & Apostolicos, sibi traditos, sensus litteris prodere; sicut plura Diuina mysteria Traditione accepta, nec profanis & probis hominibus aperienda, peruulgare, & scriptis consignare eadem hæreticorum insolentia, ac fastidio compulsam illam fuisse Origenes, & Hilarius inter cæteros testati sunt (ut nos quoque de Quæstionibus agentes fuisse demonstrauimus) Quod autem totius Ecclesiæ quieti & tranquillitati, singulorum fidelium saluti & commoditati, atque scripturæ sensuum stabilitati, & ab omni corruptela incolumitati utile ac necessarium cognoscitur, id ipsam Ecclesiam uigilantem, prouidam, & sanctam hucusque prætermisisse credibile profectò non uidetur: Quòd si etiam dormitans (quòd absit) ommississet, hæreticorum uel saltem compulsam, quamuis inuita, multa scripturæ loca ita esset interpretata, ut sensus illos ab Apostolis sibi traditos esse profiteretur; sed ne hoc quidem ipsam fecisse ex publicis monumentis apparet. Adhæc uerò si fuisset scripturarum sensus ab Apostolis traditus, id etiam Ioannis Apocalypsi denegatum non esset, cuius sensum Ioannem ipsum tradidisse oportuisset, ut potè qui Euangelicorum omnium postremus scriptor, Apostolis cæteris, & Euangelistis superstes uixit; hoc autem illum non præstitisse, arguemento nobis esse potest, quod Doctores & Patres, qui illius ætati successerunt, eiusdem Apocalypsis prophetiam nõ intellexerunt, ut Ireneus, qui se Ioannem uidisse testatur, Papias, & Iustinus; qui omnes Apocalypsim interpretantes, gemmis clarissimis distinctam, & auro collucentem Hierusalem præmonstrari putarunt, ex qua interpretatione millenariorum error exortus, ab Ecclesia explosus fuit; id ipsumque libri maxima obscuritate, quam patres omnes agnoscetes prædicarunt, facile persuadetur; illi autem non solum in Apocalypsi scripturarum omnium difficillima, sed in cæteris quoque scripturis multa se non intelligere palam professi sunt,

sunt, nec omnes earum sensus hominum intelligentia percipi posse apertè affirmarunt, de seipso quidem Apostolicus uir DIONYSIUS ARBOPAGITA dicebat [Quòd si hoc obijcias, nos non omnium reliquo sermone Angelicarum uirtutum, quæ in scriptis Diuinis commemorantur, aut actionũ, aut imaginum mentionem fecisse, respondemus id quod res est, nos quorundam coelestem ignorasse scientiam, ac potius Doctore alio eis discendis egere] IRENEVS autem illo ætate paulò inferior, de omnibus hominibus generatim inquit [Si in rebus creaturæ quædam sunt, quæ adiacent Deo, id est relictæ sunt illius cognitioni, quædam in nostram uenerunt scientiam, quid mali est, si eorum etiam, quæ in scripturis requiruntur (uniuersis scripturis spiritualibus existentibus) quædam quidem absoluamus secundum gratiam Dei, quædam commendemus Deo, & non solum in hoc seculo, uerum etiam in futuro, ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper audiat, quæ sunt à Deo?] cum quo optimè cõsentiens ORIGENES ait [Ideo dicimus, ne cum fastidio hæc legatis, & putetis uilem aliquã esse scripturam pro eo, quòd est multis nominum appellationibus confita, quin potius scitate, ineffabilia per hæc mysteria contineri, & maiora quàm potest uel humanus sermo proferre, uel auditus mortalis audire, quæ ut arbitror dignè & integrè explanari non solum à me minimo non possunt, sed ne ab ipsis quidem, qui me multò meliores sunt, nescio autem si uel ab ipsis sanctis Apostolis plenè & integrè proferantur] CHRYSOSTOMVS [Quem igitur Thesaurum è profundo scripturarum adducimus, nõ ipsum profundum artigentes sapientiæ, sed eò usque descendentes, quousque concedit Christus] CYRILLVS ALEXANDRINVS [Verumtamen sciendum est, quod ex hostijs, quæ offeruntur, licèt concedatur sacerdotibus ad edendum, non penitus omnia conceduntur, sed pars ex ipsis aliqua Deo offertur, & altaris ignibus traditur; ut sciamus etiam nos, quod etfi

De' ecel.
Hier. c. 15.

Li. aduers.
hæret. c. 47.

Super Iesu
Naue ho.
23.

De orando
Deũ li. 5.

In Leuit.
li. 5.

etsi conceditur nobis aliqua ex Diuinis scripturis apprehēdere, & cognoscere, sunt tñ aliqua, q̄ Deo referuāda sunt, Quę cū intelligētiam nostram superent, sensusq; eorum supra nos sit, ne fortē aliter à nobis, quàm se habet ueritas, proferantur, melius igni ita seruamus] Ex latinis uero Patribus HIERONYMVS ait [Vir qui eruditus fuerit in scripturis, quātō plus scire cōeperit, tantō ei in his quotidie oritur maior obscuritas] AVGVSTINVS [Tanta est enim Christianarū profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab in eunte pueritia usq; ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo stultio, meliore ingenio conarer addiscere; Non quō ad ea, quę necessaria sunt saluti, tāta in eis perueniatur difficultate, sed cū quisq; ibi fidē tenuerit, sine qua piē recteq; nō uiuitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorū umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque nō solum in uerbis, quibus ista dicta sunt, uerūm etiam in rebus, quę intelligendæ sunt lateret, altitudo sapientiæ, ut annoissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, Cum consumauerit homo, tunc incipit] Et alio in loco [In scripturis multō plura nescio, quàm scio] Quibus omnibus subscribens GREGORIUS PRIMVS inquit [Hinc etiā per Moysen præcipitur, ut agni residuum igne comburatur; quia uidelicet scripturæ sacræ, quę ad cognoscendum Redemptorē sunt editæ, pro sublimitatis suę dignitate uenerandæ tunc etiam sunt, cum non intelliguntur: unde & per Psalmistam de Domino dicitur: Qui tegit aquis superiora: eius si enim aquarum appellatione illæ supernæ designantur profundæ intelligentiæ Angelorum, dum sacri eloquij altitudinem Deus in aquis tegere dicitur, constat nimirum quia homo semper illa sit inferior, cui solum eius inferiora reuelantur] cum igitur Patres ipsi plurimos scripturarum sensus se ignorare profiteantur, nos quoque eosdem, abditos esse, non

tradi-

traditos, fateri compellimur; quos enim, exempli causa, Hieronymus, & Augustinus Ecclesiæ Doctores, & coæui suo seculo ignorarunt, quis dicet aliquem alium eodem seculo cognouisse? sed fortasse dices, illos omnes sensus Romanum Pontificem intellexisse: Id uerō tueri quomodo poteris? cum Damasus ipse, qui Romanæ Ecclesiæ tunc præerat, eosdem sensus se ignorare profiteatur? atque illos ab Hieronymo exquirere non erubescat? quod quidem ipsius ac Hieronymi Epistolæ apertè demonstrant, ex quibus hoc unum exemplū nunc profertur (quod etiam abundè sufficere uidetur) HIERONYMI scilicet Damaso his uerbis rescribenti [Ais, quis est iste in Euangelio Pater, qui duobus filiis substantiam diuidit? Qui duo filij? qui maior? qui uel minor? Quomodo minor acceptam substantiam cum meretricibus dissipat? fame facta à Principe regionis præponitur porcis, siliquas comedit, ad Patrē redit accipit annulum & stolam, & imolatur ei uitulus saginatus? Quis sit maior frater, & quomodo de agro ueniens susceptioni fratris inuideat, & cætera, quę in Euangelio plenius explicantur. Addis insuper, scio multos in hac lectione diuersa dixisse] Ad quam interpretationem HIERONYMVS ipse procescit, cum eam ab Apostolis traditam, sibi que notam esse Damaso Papa non dixisset, sed multos potius de ipsa diuersa dixisse, & se ipsum de eadem dubitare scripisset. Hęc denique apostolica sensus Traditio minus etiam credibilis ex eo uidetur, quod tres sensuum species esse iam pridem diximus [Litteralem scilicet, Allegoricum Et Anagogicum] quarum unam Apostolos tradidisse, cæteras reticuisse dicendum utique non est, cum omnium par, uel una potius, & eadem ratio uideatur; eas uerō omnes ab ipsis de eisdem scripturæ uerbis traditas esse qua fronte dicemus? qui ne unam quidem traditam demonstrare, uel defendere possumus? Quapropter id potius liberè affirmabimus, nullos eiusmodi Apostolicos sensus in Ecclesia traditos custodiri, sed

Ecl. c. 3.

Ep. 119. ad
VolusianūEpsti. ad Iu-
nuarium.
Prol. in li-Damaso
Ep. 146.

sed litteram solam seruari, quæ Diuino Verbo nobiscum ut que ad consummationem seculi manente, & Spiritu sancto Ecclesiam dirigente, atque Interpretum mentes illustrante, piè intelligatur; in eaque uarij ac multiplices sensus optime cohærentes ab eruditis uiris acute excogitentur, & salutariter deprehendantur.

Proposita Quæstio explicatur, & obiectæ utrinque Argumentationes diluuntur.
Cap. XVIII.

PER OBSCURA nimis, & quæ ingenioli nostri vires superat, proposita Quæstio est, speramus tamen, Deum, paruulis multa reuelantem, illius explicandæ rationem & uiam nobis commostraturum, eius itaque implorato auxilio dicimus. Consentaneum utique esse Apostolos ipsos Euangelium omni creaturæ prædicantes, omnes ad fidem uocantes, ad eandem plurimos perducetes, Iudæos coarguentes, fideles erudientes, Pastores Ecclesijs præficientes, purgantes, illuminantes, perficientes, Dei sapientiam, in mysterio absconditam, inter perfectos loquentes, Idoneos denique Ministros, ut Paulus dicebat, effectos noui Testamenti, non littera, sed spiritu, Scripturarum sensum explicasse, omne Dei consilium annunciasse, & ueræ interpretationis tum uiam commonstrasse, tum rationem omnem exposuisse. Quod nisi illi fecissent, nonne Tractatores ipsi exhorruissent in curriculum illud primi descendere, in quo nulla essent Apostolorum impressa uestigia? Atque scripturarum sensum, littera longè præstabiliorem, ac diuiniorem docere, cum Apostoli ipsi solam earum litteram tradidissent? Sine Duce & Doctore rem omnium difficillimam agredi, qui Doctores, ipsos præter Spiritum sanctum necessarios

1. Cor. 2.
2. Cor. 3.

rios esse palam profitebantur? (ut de Doctore agentes fusè declarauimus) Ea denique docere, quæ à maioribus ipsi non accepissent, qui alios, ne quid tale auderent, diligenter monebant? Verùm fac illos temeritatis, impudentiæ, & inconstantia crimina (quod absit) non horruisse, primos scripturas absq; Apostolico magisterio interpretatos fuisse, quomodo illi tum in eadem interpretandi ratione plurimi conspirassent, tum in eisdem sensibus, locorum & temporum interuallo disiuncti, frequenter consensissent? Eiusmodi namque conspirans consensio sensus illos, ac interpretandi rationes ab eisdem fontibus olim deriuasse non obscure demonstrat; quod quidem ipsimet Tractatores (ut rationes iam misas faciamus) ita apertè profitebantur in dictis illis, quæ paulò ante inter affirmantium argumenta producta sunt, ut tergiversatione aliqua inficiari non possint. Quare concludendum uidetur, Apostolos ipsos Scripturas interpretatos fuisse, atque illarum germanos sensus Ecclesiæ tradidisse. An autem Scripturas omnes tum Veteris, tum Noui Testamenti ipsi explanauerint, uel magis necessarias sigillatim explicantes, cæteras omnes, uel saltem illarum aliquas non sint interpretati, nobis ipsorum exemplo, & secundum rationem ab eisdem traditam illas explanandas relinquentes, ut eiusmodi commentationibus nos ipsos continuo exercentes, ea comoda caperemus, quæ ex Scripturæ obscuritate percipi posse de illa agentes demonstrabimus, ex ijs, quæ ab affirmantibus dicta sunt, ostensum esse profectò non arbitramur, illa præfertim negantium rationibus & auctoritatibus paulò ante productis acerrimè oppugnantibus, quas quidem in aliquot Scripturarum dictis ueras esse improbabile non uidetur. Hoc tamen Apostolos ipsos tradidisse pro certo habemus, quòd plures scilicet tum diuersarum, tum eiusdem speciei ueri sensus in Scripturis delitescant, quos Ecclesiæ, & singulis Doctoribus liceat piè excogitatos (quamuis non tradi-

Tit. de Doctore Theolo.

Tit. de Script. obscuritate, atque eiusdem interpretatione.

ros)

Titulo de
Traditionibus Apo-
stolicis.

tos ex eisdem Scripturis libere eruere, hoc enim à nobis iam pridem Patrum consensione cumulatè demonstratum fuisse credimus, quorum conspirante consensu, Traditiones Apostolicas declarari non dubitamus, ut illas tractantes fusè explicauimus. Ex quo illud præterea nobis fit uerisimile, plures Apostolos, uel eosdem etiam, eadem Scripturæ uerba diuersè quandoque fuisse interpretatos, ut potè qui eiusmodi plures sensus ueros, & germanos esse, & præclare inter se coherere intelligebant: Ex quorum uarietate plura salutaria concludi fructuosum nobis esse sentiebant, Nos ipsorum exemplo ad uarios ac multiplices sensus in scripturis excogitandos incitari cupiebant, Atque in scripturis quod fecerant, in quibus aliæ scripturæ (ut uidimus) diuersè, prout occasio ferebat, sunt ab ipsis quandoque interpretatæ, idem in Traditionibus obseruare uolebant, dum easdem scripturas sermone, non scripto, uarie interpretarentur. Tandem uerò putamus eosdem Apostolica prouidentia, Diuinæ administra, & à Spiritu sancto ad Ecclesiæ salutem, & comodum directa, id præuidisse, temporum diuturnitate, locorum maxima disunctione, hæreticorum fraude, atque Ecclesiæ uexatione futurum, ut hæc penè infinita sensuum copia, ab ipsis tradita, posterorum memoria uix retineretur, eorūdem integritas ægre seruarietur, atque sensibus, piorum Doctorum interpretatione, in posterum ex scriptura eruendis, ita illa permiscerentur, ut ab ipsis internosci non facile possent; Ne igitur fideles in lubrico uersarentur, atque uel hæsitantes illi pios & ueros sensus amplecti non auderent, uel incauti falsos & impios suscipere, prouidè nobis ipsos consuluisse pariter existimamus, Regulas nimirum tradentes, quibus scripturæ sensus omnes metiremur, nosque ad certam normam dirigentes, & diligentissime perpendentes diiudicaremus, Catholicos & pios à cæteris seiungeremus, seiunctos, illos omnes libere amplecteremur atque inter eosdem etiam pos-

semus

Regulæ
quibus ue-
ri pij, & Ca-
tholici scri-
pturæ sen-
sus à cæte-
ris internos-
cantur.

semus Apostolicos ipsos aut demonstratione concludere, aut coniecturis colligere. Quas quidem Regulas nos Patrum cõmentaria uoluntates inspeximus, ab illis indicatas agnouimus, atque ipsorum consensione Apostolicas eas esse intelleximus, nunc uerò easdem breuiter perstringentes exponemus, & quibus illæ confirmantur, Patrum nuda testimonia recitabimus. Earum autem prima & præcipua est ipsa Regula fidei, cuius definitio hæc est. Eorum, quæ nobis ad credendum proposita sunt, integra Traditio. Siue, Dogmatum perfecta ratio. Ut enim de Traditionibus agentes diximus, Apostoli ipsi cum fideles erudirent, tum Symbolum, quod Apostolorum dicitur, illis omnibus indiscriminatim (etiam Idiotis quibuscunque, atque catechuminis) tradiderunt, quo (ueluti Tessera) domesticorum personæ, & uoces ab alienis internoſcerentur, tum secreta plurima ad Diuina mysteria & sacramenta pertinentia, atque fidei rationem omnem, quasi corpus quoddam integrum, constituentia, breui oratione complectentes, cum illis solis communicarunt, qui solertia, fidei firmitate, ac morum honestate fideles cæteros antecede-
debant (ut de Auditore etiam Theologiæ, & de Quæstionibus tractantes abunde ostendimus) In his uerò, tum publice & promiscuè, tum secreto & priuatim traditis, posita est ipsa Regula fidei, & omnis Dogmatum ratio; Quæ quidem paucis uerbis comprehensa ea omnia complectitur, quæcunque in omnibus Canonicis libris scripta sunt; ad fidem ipsam pertinentia, ut scite admodum CYRILLEVS HEROSOLYMITANVS docet [Ex omni Scriptura, quæ sunt potissima, unam replent fidei doctrinam, & quemadmodum semen Sinapis in paruo grano multos continet ramos, sic & fides in paucis uerbis omnem ram Veteris, quàm Noui Testamenti pietatis cognitionem inuoluit] cuius dicti ueritatem facile intelliget, & comprobabit, quisquis eiusdem periculum facere singulis propositis Dogmatibus tentabit, ipse tamen

Regula 1.

Titulo de
Traditionibus Apo-
stolicis.

Titulis de
Aud. Theolo-
logo & de
Quæstio-
nibus.

Catech. 5.

F exem-

Symb.
Aposto.In Ep. 10.
tracta. 10.Lesbia re.
gula.

exemplum unum proferemus; De passione scilicet, & resurrectione Christi; De quibus innumerabiles ferè sunt in Veteri Testamento figuræ, & uerbis, ac factis Prophetiæ, illæ tamen omnes paucis istis APOSTOLICI SYMBOLI uerbis continentur [Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis] quæ similiter à Christo Domino Discipulos alloquente pari orationis breuitate comprehensæ & expressæ fuerunt; id uerò doctè animaduertens AVGVSTINVS dicebat [Quid autem ostendit Dominus scriptum de se in lege Moyfi, & prophetis, & psalmis? quid ostendit? ipse dicat. Breuiter hoc Euangelista posuit, ut nos noscamus, quid in tanta latitudine Scripturarum credere, & intelligere debeamus; certè multæ sunt paginæ, & multi libri, hoc habent omnes, quod dixit Dominus breuiter discipulis suis, quid est hoc? Quia oportebat pati Christum, & resurgere tertia die] Id ipsum uerò in cæteris quoque Dogmatibus, atque illorum particulis experientia is comprobabit, qui ipsorum breuitatem, & angustiam cum scripturarum ubertate, uarietate, & copia singulatim contulerit. Quapropter fidei Regula breui oratione comprehensa à Doctore facile traditur, ex cuius sermone excepta, ob sui breuitatem Auditoris memoria non ægrè custoditur, memoria uerò custodita commodè pariter adhibetur ad ipsos scripturæ sensus (quamuis innumerabiles) dirigendos, metiendos, & sine errore iudicandos; optimæ enim Regulæ & Normæ congruunt ipsi conditiones omnes, cum recta sit, certa, & stabilis (non, ut Lesbia, flexibilis) Mensuræ quoque proprietates omnes, quas Philosophi, ista contemplantes, excogitarunt, illi optime conueniunt, eam enim dicunt oportere esse Vnam, primam, notam, unigeneam mensurato. Quid uerò unum magis? quid prius? quid notius Ecclesiæ in ipsa fide, quam fidei ipsamet Regula? eandem uero genere conuenire cum sensibus quibuscunque ad fidem pertinentibus, quis

quis unquam negare poterit? præclarè itaque nobis Apostoli consuluerunt, qui tam congruam mensuram & regulam, non solum breuem & commodam reliquerunt, atque adhibendam tradiderunt ad scripturarum sensus, ad fidem spectantes, tum excogitandos, tum dijudicandos, ut sancti Patres ab ipsis Apostolis eruditi successoribus suis tradiderunt, atque isti posteros pariter admonuerunt, inter quos ORIGENES dicebat [Sed & Hæretici nihilominus ingrediuntur etiã ipsi iter, sed cum Scripturas carnaliter non spiritualiter intelligunt, declinant in sinistram, si uerò spiritualiter intelligant, in ipso autem spiritali intellectu Apostolicæ non teneant Regulam ueritatis, decidunt nihilominus, & ad dexteram Diabolo (ut ita dixerim) gressus eorum non dirigente, sed detorqueute à uia recta] Quam quidem Regulam se adhibere IDEM testatur dicens [Verum quoniam inueniuntur in ipsis Diuinis Scripturis quædam uerba ita posita, ut contrarium ex his aliquid uideatur intelligi posse, proferentes ea in medium, & secundum pietatis Regulam differentes adhibemus eorum solutiones] Id ipsum quoque, & quidem clarius, asserit ATHANASIUS, cum ait [In uerbis Euangelij ad calumniam detortis eos rectum sensum non tenere facillimè perspicias, si uel nunc scopum Christianæ fidei ante oculos ponas, eoque pro Regula usus: lectioni Scripturæ diuinitus (ut inquit Apostolus) inspiratæ animum intendas? Quem scopum cum Christi perduelliones incognitum haberent, à uia ueritatis errauerunt, lapidique offensionis impacti sunt, sentientes diuersa ab ijs, quæ sentienda erant] AVGVSTINVS uerò id ipsum frequenter docet, monetque dicens [In omnibus istis Scripturis secundum sanæ fidei Regulam figuratè dictum uel factum si quid exponatur, de quibuslibet rebus & uerbis, quæ sacris paginis continentur, expositio illa adducatur, non aspernanter, sed sapienter audiamus] Et rursum [In omnibus Scripturis summa uigilantia custodiri oportet, ut secundum

In Pf. 36.
hom. 4.Periarchō
li. 3.Serm. 4. cō
tra Ari-
nos.Contra Ad
uicarium
legis. &
Propheta-
rū. li. 2. c. 983. Quæ-
stionum.
q. 64.

In Pf. 74. dum fidem sit sacramenti Diuini expositio] Et alio in loco [Potest enim alius melius, quia sic se habet obscuritas Scripturarum, difficile est ut unum pariat intellectum, quicumque tamen intellectus exierit, opus est, ut Regulæ fidei congruat] **ITEM** [Sanctus Ambrosius in expositione Euangelij secundum Lucam, cum diuersis modis, ab una tamen Regula fidei non abhorrentibus, tractaret illum locum, ubi Dominus ait in una Domo diuidi tres aduersus duos, & duo aduersus tres] **TANDEM** uerò rem totam distinctè explicans ait [Cum Diuinos libros legimus, in tanta multitudine uerorum intellectuuum, qui de paucis uerbis eruuntur, & sanitate Catholicæ fidei muniuntur, id potissimum deligamus, quod certum apparuerit eum sensisse, quem legimus; Si autem hoc latet, id certè, quod Scriptura non impedit, & cum sana fide concordat; Si autem & scripturæ circumstantia pertractari, & discuti non potest, saltem id solum, quod fides sana præscribit. Aliud est enim, quod potissimum Scriptor senserit, non dignoscere, aliud autem à pietatis Regula errare, si utrumque uitari non potest, etiam si uoluntas Scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est tenuisse sententiam] **IOANNES CASSIANVS** pariter de uarijs quibusdam scripturæ Interpretationibus loquens dicebat [Potest utraque rationabilis iudicari, & sine detrimento fidei, uel fixè, uel mediè suscipi, id est ut ei nec plena credulitas, nec absoluta refutatio deputetur, priorique sequens opinio derogare non debeat, cum neutra earum fidei inueniatur obsistere] **VINCENTIUS LIERNENSIS** idem sentiens dixit [Necesse est propter tantos tam uarij erroris anfractus, ut propheticæ & Apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur] Cum his omnibus consentiens **FVLGENTIUS** ait [Ipsi sancti, quorum ministerio Deus scripturarum suarum dignatus est aperire secreta, di-

xerunt

xerunt pleraque non vno modo tantum, sed multipliciter, sine offensione dumtaxat veræ fidei, non indecenter intelligi] cuius dicti postquam aliquot, id probantia, attulit exempla, inquit [Hoc etiam de cæteris, quæ hic exponenda sunt, dixerim, quia etsi non uno differuntur modo, ad unam tamen Catholicæ fidei concordiam reuocanda sunt] & nonnullis interiectis concludit [Nec tuam prudentiam latet eorum, quæ à Sanctis Patribus, qui fidei Catholicæ rectam in doctrina Sancti Spiritus Regulam defenderunt, diuersis modis, uel in expositionibus, uel in defensionibus suis inueniuntur posita, quicquid à nobis ponatur, ita nos illius loci adstruere ueritati congruum sensum, ut alijs Patrum sententijs, æquè ueritati congruis, non denegemus assensum] Quod uerò Patres aperte asseruerunt, id ipsum innuisse uidetur **PAVLVS APOSTOLVS** cum ait [Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei, habentes donationes secundum gratiam differentes, siue prophetiam secundum rationem fidei] Prophetiam enim eo in loco posuisse uidetur pro interpretatione sermonum ac Scripturarum. Ex quibus omnibus abundè putamus demonstratam Apostolicam Regulam esse, ut sensus scripturæ omnes ad fidem pertinentes Regula fidei dirigantur, metiantur, & iudicentur, atque cum ipsa congruentes (qui tamen à littera non abhorreant) tanquam ueri, consentanei, & Catholici sine cunctatione suscipiantur cum eadem uerò pugnantes ueluti falsi & perniciosi repudientur. Quam Regulam dum Patres omnes in Diuinis Scripturis interpretandis, ac uarios sensus ex eisdem eruendis, & in aliorum commentarijs, interpretationibusque dijudicandis diligentissime obseruarunt, eandem singuli non obscure professi sunt, quamuis plurimi, uerbis illam reticentes, solo usu ipsam comprobarint. Quoniam autem illa quæ Diuinis scripturis continentur, non solum ad fidem & cognitionem diri-

F 3 guntur,

Rom. 12.

Regula 2.

Li... de Do.
ct. Christ.
c. 36.

Super Câr.
Câr. ferm.
51.

guntur, sed ad mores quoque, & actiones spectare deprehenduntur; finis autem præcepti Charitas est, qua moderatrice mores ipsi conformantur, & omnis Christiana actio perficitur; eadem quoque Scripturæ sensus ad ipsam Actionem directos moderari, metiri, & quasi uinculo astringi oportebit; Charitate igitur, ueluti Regula & mensura, ritè utemur ad eiusmodi sensus omnes Scripturarum absque errore dijudicandos, ueros & consentaneos illos omnes esse arbitantes, quicumque litteræ congruentes à charitate non abhorreant, eidem uerò repugnantes pro adulterinis, & falsis omnino habentes. Est autem Regula hæc tam pia & sancta, tam apta & conspicua, ut nemo sit Euangelicæ doctrinæ sectator, qui illam non agnoscat, atque Apostolicam, & Apostolicam esse non sentiat; quam innumerabilibus utique Patrum testimonijs (præter scripturas ipsas) confirmare possemus, sed in re nota & perspecta uno uel altero breuitatis causa contenti erimus. De ea itaque nos aperte admonens **AVGVSTINVS** dicebat [Quisquis Scripturas diuinas, uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet istam geminam charitatem Dei & proximi, nondum intellexit; Quisquis uerò talem inde sententiam dixerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit, quod ille, quem legit, eo loco sensisse probabitur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur] **BERNARDVS** uerò hanc Charitatis Regulam priori annectens, atque utramque Regulam paucis uerbis unà coniungens dixit [Non sanè à prudente de diuersitate sensuum iudicabor, dummodo ueritas utrobique nobis patrocinetur, & charitas, cui Scripturas seruire oportet, eò ædificet, quò plures ex eis in opus suum ueros erudierit intellectus] **CASSIODORVS** tandem ex utraque Regula unam constituens, instituti ac uirtutis nomine usus est, cum nos ille admoneret quid aduertere deberemus in nouis scripturarum sensibus excogitandis atque promendis (Patrum

trum nanque interpretationes, ob ipsorum reuerentiam, amplectendæ potius sunt à pio & modesto uiro, quàm iudicandæ) inquit igitur ipse [Cuncta, quæ antiqui expositores probabiliter dixerunt, sollicita mente tenenda sunt, illa uerò quæ intacta ab eis sunt relicta, ne infructuoso labore fatigemur, primùm rimanda sunt quas uirtutes habeant, & ad quæ nos instituta perducant] perinde ac si diceret, in eiusmodi sensibus eruendis nos continuo debere ad fidem & Charitatem oculos adijcere, diligenterque inspicere, an qui in mentem uenerint sensus ad earum instituta uel sua Auditorem impellant, uel ab illis eum reuocantes ad hæresim & disfidia (contraria nimirum instituta) eundem perducant. Utinam autem monitis istis parerent Hæretici & schismatici uiri, & Regulas, quas recitauimus, ipsi tenerent, iam enim nec isti Ecclesiæ coniunctionem disfidijs diuellerent, nec illi fidem simul & charitatem læderent. Nos equidem ab eisdem Regulis nunquam oculos deijcientes ipsarum paucitate (duæ solæ enim sunt) & breuitate (Auditori enim Theologiæ, in fide erudito, breuissimæ sunt) uehementer delectabimur, atque paucitatis & breuitatis commoditate libentissime utemur; Ex ipsis autem uberrimum fructum tunc percipiemus, cum earum uel maxima Hæreticorum præcipua fundamenta, in scripturæ intelligentia nimirum posita, statim conuelli tum ratione intelligemus (quod nos de Hæresibus agentes cumulatè demonstrabimus) tum experientia ipsa concertantes, sentiemus. Ex istis autem omnibus ueris, pijs, & catholicis sensibus, si quis Apostolicos ipsos seligere studuerit, quamuis illi cæteris iamdiu permixti uix secerni possint, in ipsis tamen diligendis poterit ille Traditionum Regulas adhibere; quos enim ab omnibus uel plurimis Patribus, locis atque temporum seculis disiunctis, proferri animaduertet, uel duorum aut trium antiquorum testium dictis, ab Apostolis deriuasse ipse probare poterit, uel (quod maius est) publico aliquo Ecclē-

De Diuinis
lectionibus.
c. 5.

Titulo de
Hæresibus.

siæ testimonio Apostolis tributos comperiet, eosdem Apostolicos esse non dubitabit, id ipsumque coniecturis præterea quibusdam colligere non inicitè poterit; quos enim sensus maxime appositos & eminentes, admirabili quadam gravitate & doctrina conspicuos in uetustiorum patrum commentariis legerit, ab iisdem potius recitatos, & sine hæsitatione comprobatos, quàm excogitados, & posteris ad comprobandum uerecundè propositos, illos non temerè Apostolicos esse suspicabitur. His autem constitutis, totam iam disputationem concludentes dicimus, propositam Quæstionem duplicis esse Quæsitæ; An scilicet sit, & Quid sit. Ad utrumque breuiter respondemus dicentes. In ecclesia seruari uerum scripturarum sensum ab Apostolis traditum. Quis uerò hic sensus sit, cum nec publicè Ecclesia unquam definiuerit, nec Theologi illi, qui hanc disputationem tractarunt expressè docuerint, quamuis multi non obscure disputando declararint, se putare singulorum uerborum, atque dictorum, quæ in scripturis sanctis leguntur, singulares sensus, eisdem ab Apostolis tributos, uel à Spiritu sancto speciatim reuelatos, in Ecclesia distinctè seruari, quos unumquemque fidelem amplecti oporteat, nouos autem excogitare non liceat. Quæ quidem opinio, etsi communis uideatur (cum uulgari potius dicenda sit) nobis tamen probari non potest, cum iam demonstratum sit; unicuique Theologo & licuisse semper, & licere nouos & catholicos sensus ex scripturis proferre, atque Argumenta illa, quæ paulò antè producta sunt ad singulares sensus istos oppugnandos, adeo urgeant, ut illos euertere omnino uideatur; eapropter in aliam nos discedentes sententiã dicimus, Multos quidè scripturarum singulos sensus ab Apostolis traditos in Ecclesia, & Patrum commentariis inueniri piè credendum esse; quòd uerò omnium dictorum, uerborumque extent, & consent eiusmodi sensus, nulla nec auctoritate, nec ratione concludi: Certum

autem

Conclusio.

An sit.
Quis sit.

Melchior
Cano &
alii.

ap. 17.

autem, & perspectum sensum, scripturam omnem, & singulas eiusdem particulas plenè & perfectè complectentem, ab Apostolis traditum, & in Ecclesia custoditum, cum simpliciter esse, qui Regulis fidei, & charitatis continetur. Restat iam, ut obiectæ utrinque argumentationes diluantur, uel inter se potius concilientur, quarum concordiam Doctiores ipsi ex his, quæ diximus, facile colligunt, minus tamen erudito Auditori quibusdam breuiter indicatis potius, quàm repetitis, eandem ostentabimus; dicimus itaque Apostolos tum rationem & uiam interpretandi Scripturam posteris comonstrasse, tum primos iter illud ingressos fuisse, nec tamen præter eum, quem diximus, sensum, singulares etiam omnium Scripturarum Apostolicos sensus in Ecclesia seruari, sine quibus Ecclesia tum Scripturas traditis regulis intelligit, tum earum rectum usum optimè cognoscit. Nec etiã Synagogæ Iudæorum olim Deum per Moysen aliam Scripturarum certã intelligentiam tradidisse putamus præter ipsam fidei Regulam, eamque angustam & contractam magis, quàm sit Regula per Apostolos Ecclesiæ tradita; quæ quidem eadem Regula ueras & piæ interpretationes à falsis & adulterinis internoscit, Scripturas ad confirmationem & confutationem appositè adhibet, ad eandemque fideles singuli turò ac honestè confugiunt; quod quidem producti Patres testabantur; AVGVSTINVS uerò dicebat eligendum quod omnis, uel penè omnis frequentat Ecclesia, quoniam traditum illud speciatim esse credendum est; quod & nos fatemur affirmantes præ cæteris omnibus Scripturarum sensibus (quamuis Catholicis) illos deligendos esse, quos Apostolicos esse constiterit: Conciliũ porò Tridètinum de sensu ipso loquebatur Regulis fidei & charitatis congruente, Cætera autem Concilia Scripturæ uerba aliquot interpretantia sensum tum catholicum protulerunt, tum (ut piè credendum est) Apostolicum, nec tamen alias catholicas interpretationes cum illis coherentes iccirco exclu-

F 5 serunt,

Responsiones ad obiectas utrinque argumentationes.

Ad affirmatiuum arg.

Epif. 59. ad Quæst. Paulini.

Scilicet 4.

Ad negan-
tium arg.

Tir. de ob-
scuritate
scripturæ.
atq; eiusdē
interpret.

ferunt, sed hæreticas & fallaces, cum eisdem pugnantes, aperte damnarunt; ut, exempli causa, SMIRNENSIS SYNODVS illa Genesis verba explanans dicebat, [si quis quod scriptum est. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; Patrem ad seipsum solum, & non ad filium locutum fuisse dixerit, Anathema sit. Negantium denique rationes & auctoritates cum singulares sensus euerant, eum, quem diximus, traditum sensum non oppugnant. Quare disputationi huic iam finem constituemus, cui præterea clarissimam lucem afferent illa, quæ de Scripturæ interpretatione agentes fusè explicabimus.

Quo sensu Scripturæ Sacræ probent ac demon-
strent, declaratur. Cap. XIX.

Opinio
quorundā.
Io Driedo.
Alfonfus
Castro.
Ep. ad Vin-
centium.



Dicitur opi-
niōis euer-
so.

Gal 4-
1. Cor.
Eph 5.

PINIO apud plurimos recentiorum aliquot sermone percrebuit, quod Scriptura sacra solo litterali sensu demonstrat quam tamen assertionem eiusdem Patroni vnico AVGVSTINI testimonio confirmare uidentur ad Vincentium scribentis [Impudentissimus est reputandus quisquis per aliquid in Allegoria positum quicquam pro se interpretari conatur, nisi & habeat manifesta testimonia, quorum lumine illustrètur obscura] Cum illi è contrario maximis difficultatibus premantur, quas nobis contemplantibus, hæc in mentē uenerunt, quæ ipsis obijceremus; Impudentissimus igitur fuisse Paulus Apostolus, qui ex Abrahamæ filiorum materna conditione Noui & Veteris Testamenti differentiam demonstrauit. Ex spirituali uxoris & uiri intelligentia Christi & Ecclesiæ uinculum docuit. Ex bouis tritulantis Allegoria spirituales ministros alendos esse probauit. In tota denique epistola ad Hebræos ex eiusmodi spirituali Veteris Testamēti intelligentia singulas propositas sententias demonstrauit. Impudentissimi fuissent Euan-

Euāgelistæ, qui Christū, à Deo promissum, fuisse Iesum ipsum Nazarenum demonstrantes, scripturæ uaria, & plurima testimonia ac uaticinia protulerunt, quæ quidem non litterali sensu exposita, sed spirituali intelligentia declarata ipsi congruere, & in eodem expleta esse comperiebantur. Impudentissimi fuissent Apostoli omnes, qui tum scribentes, tum prædicantes Euangelicam doctrinam spirituali, non litterali, Veteris Testamenti sensu frequentissime confirmabant. Impudentissimus denique fuisset (quod dicere uel audire exhorrescimus) Christus ipse, qui Legem, Prophetas, & Psalmos de seipso locutos fuisse, singularia etiam illorū testimonia producens, demonstrabat, spiritualemque illorum intelligentiam declarabat, uel saltem innuebat, atque eadem spiritua-liter intelligenda, & scripturas perscrutandas Iudæos ipsos allegabat. Sed dicent isti impietatis eiusmodi crimen ipsos quoque horrere, quos, absit, ut Christo Deo, uel Apostolis & Euangelistis spiritu sancto astitis deneganda putent, quin spirituali scripturarum sensu demonstrare illi possint, à quibus non solum interpretationes & demonstrationes, sed scripturæ ipsæ uim & robur acceperunt, imò dicēt illi se eiusmodi Apostolis & Diuinis tum interpretationibus, tum ex spirituali sensu demonstrationibus tantum tribuere, ut non solum firmissimas illas iudicent, sed eisdem præterea sensibus nobis posthac licere ad demonstrandum libere uti arbitretur, ut potè qui sensus, Diuina & Apostolica interpretatione effecti iam sint litterales (ut nos quoque paulo ante ostendebamus) Hanc uerò ipsorum excusationem nos non accipimus, nec iustam illam iudicamus, quamuis enim nos, Dei Dono fideles, non solum in Christo, sed in ipsis quoque Apostolis eam dignitatem & auctoritatem agnoscamus, ut quæcunq; illi dixerint, ne dum quauis demonstratione probauerint, ea omnia certissima sint, & absq; hæsitacione credenda, cum tamen animaduertimus eosdem uel prædicantes uel scribētes

Illorū ex-
cusatio, uel
fuga.

Cap. 5.

Excusatio-
nis reprehē-
sio.

non

non solos fideles fuisse allocutos, sed infideles præterea omnes, sermonis & litterarum participes, quorum plurimum illis uiuentibus, tum succedentibus ætatibus & seculis usque ad temporum integram pleritudinem fuerunt, & futuri sunt ipsis omnibus pertinaciter infensi, eisdem nihili facientes, ut potè quos Pseudopphetas, atq; Diaboli membra, & ministros putent; eiusmodi verò homines non imbecillis (uel nullis potius) rationibus persuadendi sunt, sed firmissimis quoad licet, demonstrationibus ad credendum Dei gratia impellendi, pro certo habemus Diuinos homines illos in Christi persona & ueritate demonstranda, atque Euangelica Doctrina confirmada rationes illas adhibuisse, quæ suapte natura & ui concluderent, eiusmodique fuisse in primis eas, quibus ipsi frequentius utebantur, ex Prophetis nimirum sermonibus & sensibus depròptas. Adhæc uerò nisi spiritalis sensus demonstraret, ex ipsis Prophetis Euangelica doctrina confirmari non posset, aut ex iisdem de Christo, & ecclesia, aliquid futura uita aliquid demonstrari, cum prophetiæ ferè omnes Veteris Testamèti spiritali sensu intelligi debeant, atq; Propheticus sensus (ut iam pridem demonstrauius) spiritalis & mysticus sit. Quare frustra Deus Prophetis futura præmòstrasset, nisi illæ expletæ eadem demonstrarèt. Mentitus præterea esset PAVLVS APOSTOLVS dicens [Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt] ET rursum [Omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram] nisi gesta ipsa narrata, alia gerenda spiritali sensu demonstrarent. Et figuræ Allegorico sensu ueluti rationes concludentes mores & actiones nostras cõformare, & arguere possent. Iudæi quoque scripturis sanctis nõ euincerentur, si spiritalis sensus, quo illi maxime conuincuntur, nihil demonstraret. Multa adhæc concluderètur perniciofa, & cum Euangelica Doctrina pugnantia, si solus litteralis sensus demonstraret, imo nisi eo aliquando omissio solus spiritalis

Rom. 15.
1. Cor. 10.

lis probaret: ut, exempli causa, litterali sensu mentiri licere demonstraretur hoc modo. Iacob uir sanctus, electum populum designans, ædinis pellibus studiosè contentus, atque Esau nomen & personam sibi falsò tribuens, tam factis, tum uerbis dolosè, & malitosè mèritus est, nec propterea à Deo uel hominibus reprehensus, imò donis, & priuilegijs, atq; paterna benedictione auctus. Ergo mentiri, atq; mendacio studiosè fallere, & nocere non solum licet, sed ipsi Deo summo opere gratum est. Quod quidem ueritati & Euangelicæ doctrinæ repugnat. Eapropter sancti Patres litteralem sensum, atq; illius demonstrationem missam facientes, spirituales autem sensum agnoscentes, ex ipso magnum mysterium demonstrarunt: sicut. n. Iacob ipse, Christi Typus, ædinis pellibus (alienis scilicet) seipsum cõtexit, ut Esau uenatoris (i. peccatoris) personam coram Patre sustineret; ita Christus Dominus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est in eo dolus, peccata, & liuores nostros ipse portauit, & carne in similitudinem peccati indutus, formamq; serui accipiens, in similitudinem hominũ factus, atque habitu inuentus ut homo, æterno Patri seipsum obtulit, ut in ipso, & per ipsum diuina nos benedictione frueremur. Hoc itaq; mysterium spiritali eius figuræ sensu olim præmonstratum, nunc, passo Christo, eodem spiritali sensu demonstratur. Præterea si solus litteralis sensus demonstraret, multæ scripturæ Diuinæ supprimendæ essent, & funditus etiam tollendæ, ut potè quæ sensu litterali plurima concludunt, quorum aliqua occiderent, alia obessent, cætera nõ prodesse, eiusmodi autem sunt omnes illæ Veteris Testamèti particule, quæ ad Iudicia, & cæremonias pertinent; sicut enim ea omnia, quæ in illis expresse præcipiuntur, mortifera, uel mortua sunt, ita quæcunq; ex eiusdem præceptis litterali sensu demonstrantur, eiusdem naturæ & conditionis participes sunt; quapropter uel perniciosæ erunt, uel nullo saltem uisui nobis esse poterunt eiusmodi demonstrationes, nec

igitur

igitur legendæ erunt scripturæ illæ, ex quibus nullus fructus percipi potest. Eas tamen Ecclesia ueneratur, atque fidelibus legendas proponit, non ob aliam certè causam, quam ob illarum spiritualem sensum, quo multa præclara & fructuosa, iam præmonstrata, nunc demonstratur. Apocalypsis quoque Ioannis nullam ea ratione commodum Ecclesiæ afferret, sed graue potius detrimentum inferret, cum enim multa spiritali sensu prænunciet, quæ consequentibus temporibus in Ecclesia paulatim explentur, litterali tamen sensu tum Hierusalem futuram designat, gemmis & auro collucentem, quod quidem cum fidei regula pugnat, tum alia significat, quæ à Christiana pietate abhorret; quare illinc ductæ demonstratio- nes non litterali, sed spiritali sensu concludere fatendū erit. Adhæc spiritualem sensum litterali perfectiorem esse iam declarauimus, hunc enim corticem, ceram, paleam, & corpus scripturæ esse, & à Patribus uocari diximus, illum uerò Truncū, & medullam, mel, frumētum, animam, & spiritum esse, diciq; ostendimus; legem quoque spiritualem esse & spiritum uiuificare Apostolus dicebat; quomodo ergo nos dicemus litteralem quidem sensum, sæpius damnatum, semper autem spiritali imparem & inferiorem iudicatum, demonstrare? spiritali uerò, semper cōmendatum, & præclaris elogijs ornatum, à spiritali homine perscrutandum; nec sola ea, quæ litteralis continet, mysteria complectentem, sed plurima alia & innumerabilia, uel quodam immensa, & quasi infinito complexu circumscribentem, nihil probare? Tandē uero nemo compos mentis unquam negabit spiritualem sensum uerum esse, & à Spiritu sancto profectum, ex ueris autē uerum concludi non posse, atque Spiritus sancti germanum sensum ad demonstrandum ineptum esse, nunquam profecto affirmare idem audebit. Postremò quisquis Patrum monumenta peruolutans, eorum disputationes diligenter examinabit, cognoscet utiq; illos omnes, excepto nemine, quoties ipsis cō-

moda

Rom. 7.
2. Cor. 3.

1. Cor. 2.

moda se occasio obtulit, spirituales sensus ad demonstrandū libere adhibuisse; eiusmodi uerò exēpla breuitatis causa non proferimus, quoniam illa cuius attentè legenti erunt obuia: Quos Apostolorum uestigia secutos, nos quoq; imitari debemus, spiritali sensui uim ad demonstrandum inesse arbitantes, eamque ad disputationum nostrarum vsus adhibentes. Sed dicet fortasse quispiam, ex assertionem ista illud sequi incommodum, quòd innumerabiles fieri possent Demonstrationes, & illæ quidem ad cuiusq; arbitrium accommodatæ; cum enim possit unusquisque arbitrato suo spirituales & mysticos scripturæ sensus excogitare, illos singuli suis opinionibus quam maximè cōmodos sibi fingent, ut ex ipsis quodcunque libuerit concludere, ac demonstrare liberè possint. Hanc uerò obiectam argumentationem facile diluimus, dicentes in primis, eadem pariter premi illos, qui sensu litterali scripturam demonstrare prædicant, cum demonstratum sit de singulis speciebus sensuū, speciatim uerò de litterali, quòd plures eiusdem speciei sensus in eadem scripturæ uerba accommodari possint, eos uerò excogitare & inuentos proferre æque liceat unicuique in litterali sensu, atque in spiritali & mystico. Deinde uerò negantes ullum ex eo incommodū inferri, cum iam sit constitutum, oportere sensum quēlibet in scripturæ uerba accommodandum, ab illis non abhorre- re, atque cum fidei & charitatis Regulis congruere, nec debere spiritualem sensum ipsam historiam euertere, uel lædere. Quæ omnia si, ut decet, seruentur, nec sensus ipsi peruersi aut inepti erunt, nec Demonstrationes aliquid ex illis concludent improbabile, uel à ueritate alienum; ex Veris enim Verum omnino concludi necesse est. Plurimas autē iccirco Demonstrationes fieri non ægreferimus, cum ex illis Doctrinæ nostræ cumulus quidam accedat, atque Scripturarū plenitudo & sæcunditas declaretur. Eapropter iam sine cunctatione concludimus, Ex quocunque scripturarum sensu, si-

ue

Dubium.

Responsio.

Exceptio.

ue litterali, siue spiritali Demonstrationes recte duci posse, dummodo ea omnia diligenter seruentur, quæcunque de ipsis sensibus, atque illorum usu hucusque sunt constituta. Nec tamen existimandum propterea est sensus eiusmodi omnes, quia ueri sunt, parem etiam uim ad demonstrandum apud omnes habere, cū cæteros illi longè antecedant, qui Apostolici, uel Prophetici esse deprehenduntur; sicut enim ueræ Propositiones ueras quidem semper inferunt conclusiones, Demonstrationem autem eam, quam potissimam dicunt, ex ueris primis & immediatis concludere oportet, ita quoque Theologicam præcipuam Demonstrationem à scripturæ sensu ductam, ex Prophetis & Apostolicis sensibus constitui necesse est. Huiusmodi uerò sunt sensus illi, qui non solum à Spiritu sancto, scripturarum auctore, infinita ipsius intelligentia præuisi sunt, sed ab Apostolis & Prophetis eiusdem Scribis, & interpretibus speciatim & expressè cogniti fuerunt, cum illi (ut potè homines) definitis uiribus immensum Diuinæ intelligentiæ sinum & complexum æquare equidem non potuerint, illos tamen sensus, à Deo illustrati, comprehenderint, ad quos potissimum dirigebantur ab eisdem exarata, uel interpretata scripturæ; atque iccirco tum Antiqui Prophetæ, Vetus Testamentum conscribentes, tum Apostoli Nouum adscribentes, & illorum Vaticinia explicantes, tum etiam Apostolicorum temporum Prophetæ, ipsa Apostolica scripta interpretantes, sensus eorundem scripturarum primarios, ut diximus, nouerunt. Eos uerò à cæteris sensibus Traditione ipsa internosci iam declarauimus, nunc uerò præterea dicimus, eosdem scriptura quoque demonstrari; id uerò bifariam, primò quidè expressè, cum scilicet aliquod scripturæ dictum in ipsamet scriptura interpretatum legitur, ut sunt Vaticinia multa, & alij etiam spirituales sensus, Apostolicis præsertim litteris explicati, de quibus paulo ante egimus, cum eosdem sensus in scripturis nunc spirituales, nunc litterales,

rales esse declarauimus, atque ipsorum exempla aliquot tūc protulimus; in quibus tamen illud est diligenter obseruandū, quod multos (ni fallimur) decepit, sensus illos interpretatos, non iccirco plenè apud omnes demonstrare, quia litterales effecti sint, cum spirituales, ut diximus, æquè demonstrent; sed quia eiusmodi expressa interpretatione compertum est sensus illos Propheticos & Apostolicos esse, in quo quidem summa demonstrandi uis & efficacia residet, id uero tum Traditione, tum scripto declarari commodè potest: Secundò autem ex eadem littera id ipsum ostenditur, cum scilicet ex antecedentibus, & consequentibus uerbis, scribentis scopo, aliisque consimilibus circumstantijs (quas tunc enumerabimus, cum scriptura seipsa interpretari quomodo possit, exponemus) diligenter consideratis, atque singulorum momentis perpensis, sensus aliquis, siue litteralis, siue spiritalis, apprimè consentaneus esse dignoscitur. Qui omnes eiusmodi sensus, littera, aut Traditione pro Apostolicis uel Prophetis comperti, plenè & cumulatè demonstrant apud quoscunque, scripturarum & Traditionum uim & auctoritatem agnoscentes ac profitentes, ut paulo post fusius explicabimus, cum de Theologicis Demonstrationibus agemus. Restat iam, ut ad illud Augustini dictum, ab Aduersarijs nobis obiectum (ad quod quidem solum, tanquam ad miniculum, illi adnitebatur) breuiter respondeamus; dicimus autem ipsum Augustinum id scripsisse Vincentio Hæretico, Donati, ac Rogati sectatori, accepta quidem occasione ex quodam scripturæ testimonio contra fidei Regulam peruersè interpretato, ex cuius Allegorico sensu, uel extorto, hæretici illi ipsorum conuenticulum ueram esse Ecclesiam demonstrare putabant; quem sensum, nec fidei, & charitatis Regulis, nec aliquo uel scripturæ uel Traditionis clariori testimonio confirmatum, repudiandum esse, ueluti impudentia ac temeritate, non ueritate nixum, AVGVSTINVS merito dicebat,

Tit. de obscuritate scripturæ atq. eiusdè interpretatione.

Titulo de Demonstrationibus Theologicis.

Responsio ad obiecta argumenta.

Epif. 48. ad
Vincentiū.

bat, cuius uerba recitantes orationem paulò altius repete-
mus, ut eiusdem sententia plenè, apertequè intelligatur, in-
quit igitur ille [Si autem uniuersos Donatistas non audimus,
se pro Ecclesia Christi supponentes, quia nullum pro se testi-
monium de Diuinis libris proferunt, quo id doceant, quanto
minus, rogo te, Rogatistas audire debemus, qui nec illud pro
se interpretari conabuntur, quod scriptum est, Vbi pascis, ubi
cubas in meridie? si enim hoc loco scripturarū meridies Afri-
ca intelligenda est, in parte Donati, quæ sub celi feruentiori
plaga est, omnes uos Maximianistæ superabunt, quorū schif-
ma in Bizantio, & in Tripoli exarsit; sed confligant cū eis Ar-
zuges, & hoc magis ad se pertinere contendant; Mauritania
tamen Cæsariensis, occidentali quàm meridianæ parti uici-
nior, quando nec Africam se uult dici, quomodo de meridie
gloriabitur? non dico aduersus orbem, sed aduersus ipsam
partem Donati, unde pars Rogati breuissimum frustum de
frusto maiore præcisum est. Quis autem non impudentissi-
mè nitatur aliquid in Allegoria positum pro se interpretari,
nisi habeat manifesta testimonia, quorum lumine illustren-
tur obscura?] Hoc quoque nos libere profitemur, cum iam
dixerimus spiritualementem sensum, atque etiam litteralem non
plenè apud omnes demonstrare, nisi Traditionis uel scriptu-
ræ testimonio Prophetico & Apostolico esse comperiatur;
Verè tamen utrumque sensum semper probare, si fidei & cha-
ritatis Regulis metitos uerus ipse deprehendatur: hæc autem
singula quis neget aperta esse testimonia, quibus obscurior
scripturæ interpretatio illustretur? Et hanc quidem respon-
sionem attulimus, concedentes Augustinum eo in loco pro
spirituali sensu in Allegoria positum dixisse, cum tamen id ne-
gare liberè possimus, dicentes illum de litterali, metaphora
expressa, locutum fuisse, Allegoriam scilicet secundum Vo-
cabuli uim potius, quàm Ecclesiæ morem, pro Translationis
specie usurpantem; illud enim, de quo egerat, scripturæ testi-
monium,

monium, sumptum erat ex Cantico Canticorum, cuius lit-
teralem sensum iam pridem diximus, ac probauimus, non
esse illum in litteræ facie apparentem, sed aliam proprietate
significationis in Translatione delitescente latenter expres-
sum, qui quidem Christo & Ecclesiæ congruit; quare Au-
gustini dictum aduersarios potius oppugnaret, affirmantes
litteralem sensum uerè & semper demonstrare, quos tamen
nostris etiam armis se tueri, atque impetum omnem pro-
pulsare, si molestum ipsis non non erit, facilè concedemus.

I V L I I R V G E R I I
O P V S C V L V M
D E A V D I T O R E
T H E O L O G I A E .



*In quo Nota & conditiones omnes traduntur, quibus
Auditor Theologiae dijudicari, & à ceteris in-
ternosci debeat.*

I N D E X.
CAPITVM OPVSCVLI
DE AVDITORE THEOLOGIAE.

- Cap. 1. Quòd quilibet non fit idoneus Theologiae Auditor.
 Cap. 2. Quòd solertem oporteat esse Auditorem.
 Cap. 3. Quòd fidelem oporteat esse Auditorem.
 Cap. 4. Quòd temperatis moribus præditum oporteat esse Auditorem.
 Cap. 5. Argumenta, quibus probatur externarum Disciplinarum Eruditionem non esse Theologiae Auditori utilem, uel opportunam.
 Cap. 6. Argumenta, quibus probatur decere Theologiae Auditorem esse externis Disciplinis eruditum, in primis uerò Philosophia excultum.
 Cap. 7. Responſiones ad Argumenta è contrariò allata.
 Cap. 8. Eruditioni adiungendam esse Charitatem, & Humilitatem aſſeritur. An autem oporteat Auditorem pauperem eſſe & mendicum quæritur.
 Cap. 9. Quòd Auditoris precibus ipſi neceſſaria, atque opportuna Spiritus ſancti Dona impetrentur.

Quòd quilibet non fit idoneus Theologiae Auditor. Cap. I.



OLEBANT priſci illi Philoſophi maxime cauere, ac diligenter prouidere, ne recondita ſcientiæ arcana omnibus aperirent, ſed cum illis ſolis diſcipulis ea communicabant, quos ad ipſa percipièda idoneos cognouiſſent, atque hoc abſtruſum diſciplinae genus ἀκροαματικὸν propterea dicebatur, cætera uerò ἐξωτερικὰ uocabantur, quoniã ea omnia in uulguſ facile iſdem proferebant: Quòd ſi forte illa abdita arcana quandoque edebantur, ne tamen omnibus propterea ipſa paterent, uel fabulis inuoluta proferebantur, quod ab antiquiſſimis Poëtis, (qui & Philoſophi putabantur) fieri ſolebat, uel ſυμβολαῖς quibuſdam, quaſi operimento, obducebantur, quod quidem Pythagoræ erat familiare, uel ſaltem orationis obſcuritate, ueluti latebra adhibita, obtegebantur, quod feciſſe dicitur ipſe Ariſtotiles, ut propterea eiufmodi libros tum à ſe editos, tum non editos eſſe idem affirmarit: Qui non ſolis quidem obſcuris, ac naturalibus quæſtionibus, ſed in ea etiam, quæ de moribus eſt, diſciplina aptum dignumque diſcipulum requirebat, ut propterea quæreret ac definiret quis fit Ethices idoneus Auditor, palamque idem aſſereret ad audiendum admitti quemlibet non decere, quod ipſi quoque Poëtæ antea cecinerant; ORPHEVS enim, qui inter cæteros præclarè eſt philoſophatus, ait φθέξομαι οἷς θέμις ἐστὶ δούρας δὲ ἐπιθέσθαι βιβλίοις, PINDARVS quoque μὴ πρὸς ἀπαντας ἀναρρήξαι ἀρχαίων λόγων, Atque Plato ipſe cū arcana quædam litteris conſignaiſſet, ſtatim amicum monuit, Caue ne iſta excidant ad homines ineruditos: Ea propter ORIGENES (ut Chriſtianum quoque ac doctum uirum teſtem producamus) de ipſis Philoſophis dicebat (Illi exteriorum, & peritiorem doctrinam habebant, & alij Pythagoram

Cōtra Celſum. li. i.

audiebant contenti ipsius auctoritate, alij secrete discebant rationes non euulgandas in profanos, nondumque purgatos] Quod uerò ipsi Græci in naturæ arcanis, & obscuris Quæstionibus accuratè obseruarunt, Barbari quoque in suis mysterijs tegendis id ipsum diligenter cauerunt; propterea enim Aegyptij tum in sacris sphingas collocabant, ut maximam Diuinorum difficultatem ostenderet, tum per ea, quæ apud ipsos Adita uocabantur, non licere omnibus propius accedere, & ad ipsa arcana penetrare profectò commostrarant, atque Iudæorum Mythagogi id ipsum Templi uelo designabant, quod Propheta quoque significauit cum subcinericios, qui *ἐκρυπτοί* id est occulti dicuntur, facere azimos iussit. Quorum præterea Doctores in obscurioribus diuinis scripturis illud diligenter ac religiose cauerunt, ne illas legendi uel audiendi potestas iuuenibus fieret, quod inter cæteros testatur Origenes dicens [Aiunt obseruari etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad ætatem perfectam, maturamque peruenerit, libellum hunc ne quidem in manibus tenere permittatur; sed & illud ab eis accepimus custodiri, quãdoquidem moris est apud eos omnes scripturas à Doctoribus, & à sapientibus tradi pueris, simul & eas quas *ἀκροατοῦ* appellant, ad ultimum quattuor ista reseruari, id est Principium Genesis, in quo Mundi creatura describitur, & Ezechielis Prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur, & finè in quo Templi ædificatio continetur, & hunc cantici canticorum librum] Quod autem ipsi Philosophi in suis placitis, Barbari in superstitiosis mysterijs, Iudæi in legis uelo studiose obseruarunt, ac diligenter prouiderunt, à sapiente Christiano honestè negligi posse quis unquam putabit? in maximis præsertim, ac præ cæteris omnibus tū obscurioribus, tum etiam diuinioribus Euangelij arcanis? Certè GREGORIUS NAZIANZENSIS necessarium omnino iudicans ut id ipsum à nobis quam diligentissimè caueretur, dicebat [Profectò legis quoque

In Prol.
cant. cant.

Or. 3 mod.
in disp. scr.

quoque edicto apud nos cautum esse oportebat, ut quemadmodum olim apud sapientes Hebræos à quibusdam scripturæ sacre litteris iuuenes arcebantur, ut potè tenerioribus adhuc, & infirmioribus animis obfuturis, eodem quoque modo non quibuslibet, nec semper, sed certo tempore, ac certis hominibus de fide disputandi potestas fieret] Nec solus ipse, sed cæteri quoque sancti Patres, imò Diuinæ ipsæ scripturæ, ut mox abunde cognoscemus, illud sedulò monuerunt, ne scilicet ad Diuina arcana audienda ac perscrutanda quiuis promiscue admitteretur; cum tamen ea sit huius nostri sæculi insolentia, ut ex infima plebe homines, perditissimi ac flagitiosissimi, contentiois, pecuniæ, & humanæ gloriæ cupidi, prorsus imperiti, impij etiam hæresibus coinquinati Theologicas res audacter tractare, atque huic sacre scientiæ se temerè tradere non pertimescant. Hinc uerò tot rixæ & iurgia exordium sumpserunt, tot peruersæ sententiæ manarunt, tot ineptæ interpretationes scripturæ uim adhibentes prodierunt, tot denique consecuta mala in Ecclesiam inuecta sunt; uti Quæstionem hanc de Auditore accuratius, ac fusius examinandam propterea iudicemus, atque tam prauam consuetudinem, effrenatam licentiam, perniciosamque audaciam, si non uel lege constrictam, ratione saltem, Patrum consensione, ac scripturæ testimonio euictam, compressamque coercere tentemus. Id uerò dum cumulatè præstare conamur, auribus quæso ne parcatis, nec sanctorum testium fatietate defatigemini, illorum numero fastidientes; quorum potius consensione mirum in modum recreari debemus; ad quam rite demonstrandam tum est ipsorum cumulus (ut aliàs declarauimus) per quam necessarius, tum eodem uti in primis oportet, cum pertinaces homines euincendi sunt; illos enim sententiarum & grauitate & numero, ueluti immensi acerui pondere, obruere necesse est. Proprius itaque accedentes certis, proprijs ac domesticis argumētis iam

Tit. de Pat.
trū aucto.
ritate.

confirmemus, quemlibet non esse idoneum Theologiæ Auditorem. SALVTIS igitur NOSTRE AVTOR, cum uulgo imperitorem, ac discipulis promiscuè loqueretur, solitus erat dicere [Qui habet aures audiendi audiat] Quibus certè uerbis significabat non deesse Auditores, qui cum aures habeant, auditu tamen ipso, (sensu scilicet intelligentiæ) careant; ea propter in parabolis huiusmodi homines ipse alloquebatur, ut uidentes quidem non uiderent, & audientes non intelligerent: PAVLVS quoque APOSTOLVS Hebræos ad audienda Dei mysteria ineptos iudicans ait [De quo grandis nobis sermo & ininterpretabilis ad dicendum, quia uos imbecilles facti estis ad audiendum; facti enim estis quibus lacte opus est, non solido cibo] Atque Corinthiis dicebat [Lac uobis potum dedi non escam, nondum enim poteratis] Id ipsum que olim cogitans ISAIAS, cū optime sciret illius misterij quod ipse proferebat, paucos admodum esse idoneos Auditores, interrogas clamabat [Quis est in nobis qui audiat hoc, & attendat, & auscultet futura?] Nec tamè miretur aliquis, nos testimonia hæc producetes; quorum aliqua secretioribus profectò fidei mysterijs congruunt, fidei ac Theologiæ arcana perinde confundere, ac si de iisdem mysterijs indiscriminatim loqueremur; studiosè enim istud agimus, ut pote qui cognoscamus ex utrisque idem omnino concludi; si nanque omnibus non sunt fidei arcana referanda, multo certè minus Theologiæ contemplationes erunt cuius aperiendæ, quæ quidem perfectam fidei cognitionem requirunt, atque illa ueluti fundamento nituntur, ut suo loco abunde explicauimus, ac paulò post etiã Auditoris notas inquirentes declarabimus. A Diuina itaque scriptura ad sanctos Patres descendentes DIONYSIVM AREGOPAGITAM in primis testem producimus, qui tum Domini ipsius, tum Præceptoris Pauli exemplum sententiamque secutus dicebat [Sed illa etiam, quod hoc occultis scripturis est dignissimum, & consentaneum maxime abditis sacris ob-

scurita-

scuritatibus inuolui, nec patere aditum plerisque ad diuinã, & occultam diuinarum mentium ueritatem; neque enim omnes sunt idonei, & sacri, neque omnium est, ut ait scriptura, fides & scientia] Et alio in loco [Sequitur deinceps, ut diuina diuinæ originis generationisque signa uideamus, nec quisquã minus perfectus spectatũ ueniat; ut enim ijs quibus ualentes oculi non sunt, aduersus radios solis intueri periculosum est, sic perniciosum est ea, quæ supra nos sunt aggredi; si quidem uera est legis Hierarchia, quæ & Oziam quod sacra contigit detestatur, & Core, quod quæ ad eius ordinem non attingebant, & Nadam, atque Abiud quod sacris suis indignè abusi sunt] Huic coæuus CLEMENS ROMANVS ait [Si in mādatis habemus ueniētes ad ciuitatē, discamus prius quis in ea dignus sit, ut apud eũ cibũ sumamus, quãtomagis conuenit noscere, quis, qualisue sit is, cui immortalitatis uerba credenda sunt?] Idē sentit ac monet CLEMENS ALEXANDRINVS cū inquit [Occultada est sapiētia, quæ dicta est in mysterio, quã docuit Dei filius; iam enim Isaias quoque Propheta igne linguã purgat, ut possit dicere uisionem; & nec linguam solam, sed etiam aures castas nobis habere conuenit, si conemur fieri ueritatis participes; Hæc mihi erant impedimento quominus scriberem, & nunc adhuc uereor ante porcos iacere margaritas, ne eas conculcent pedibus, & conuersi nos frangant, est enim difficile de uero lumine uerè puros & perspicuos ostendere sermones suellis & indoctis Auditoribus] Et rursus [Iam ergo nec quibuslibet uolunt omnia exponi temerè, nec communicari bona sapientiæ ijs, qui ne in somno quidem sunt animo expurgati; nec enim fas est quibuslibet obuijs ea expetere, quæ parata fuere cum tot certaminibus, neque profanis uerbi narrare mysteria] A quo discipulus ORIGENES non dissentit dicens [Quod uerò quædam insunt, quæ non communicantur quibusuis, id non solum Christianæ doctrinæ proprium est, uerum etiam Philosophicæ]

A 4 sophericæ]

Luc. 8.

Heb. 5.

I. Cor. 3.

De cocl.
Hier.De ecclē.
Hier.Recogn. li.
2.

Strom. li. 1.

Strom. l. 5.

Cōtra Cel-
sum. li. 1.

IR Num.
hom. 13.

De Theol.
or. 7.

Or. de mo-
do. in disp.
scrui.

In epif. ad
Cor. hom.
40.

Quæstio.
comp. ex-
pl. q. 96.

Ibidem.

phicæ] proptereaque IDEM alio in loco dicebat [Altior hic exoritur quæstio, & nescio utrum conueniat rem tam profundæ mysterij denudare, & proferre ad turbas] cum quibus consentiens GREGORIUS NAZIANZENSIS ait [Finibus nostris Philosophiam circumscribamus, nec in Aegyptum abripiamur, neque ad Assirios pertrahamur, nec cantemus canticum Domini in terra aliena, hoc est, promiscuè apud omnes Auditores] Inter quos quidem raros admodum illos esse qui idonei sint ad diuina ipsa mysteria percipienda IDEM testatur dicens [Intellectu res diuinas percipere arduum, & verbis explicare perdifficile, & purgatas aures nancisci maioris laboris, & difficultatis] eapropter cogebatur CHRYSOSTOMVS arcana quædam uerborum obscuritate obuoluere, ne liceret omnibus, qui aderant, Auditoribus ad illa penetrare, quod quidem ipse fatetur inquit [Cuperem sanè clarè proferre uerba, si per profanos illos liceret; nam hi difficiliorem nobis interpretationem reddunt; cogunt enim aut non clarè dicere, aut mysteria uulgare, dicam tamen, sed quantum fieri potest adumbratè] BASILIVS præterea nec quemuis ad audiendum ac legendum promiscue admittit, nec etiam singulis concedit, ut seipfos illi probent an sint ad id ipsum idonei, sed unumquemque præcipit à Doctore ac Præposito suo dijudicari, atque in discipulorum numerum & ordinem cooptari; quod quidem utinam ubique ac diligenter obseruaretur, tanta enim hæreticorum, ac perduellium turba Dei Ecclesiam certe non uexaret; inquit igitur ille [Num omni uolenti permittere oportet ut litteras discat, aut lectionibus attendat? Responso. Cum Apostolus dicat, ut ne quæ uolueritis hæc faciatis, in omni negotio id quod iuxta propriam uoluntatem eligitur alicui permittere nociuum est, quicquid uerò à præfectis comprobatum est, id suscipere oportet] ET rursum [Num conducit multa ediscere ex scripturis? Responso. Cum duo ordines uniuersales sint, tum eorum quibus præ-

ctura

ctura demandata est, tum eorum, qui ad obediendum ut subditi sint, ordinati sunt in diuersis donis, arbitror quòd is, cui præfectura, & cura plurium concredita est, ea quæ ad omnes pertinent, scire ac discere debet, ut omnes doceat uoluntates Dei, ita ut singulis ostendat ea quæ ad ipsos pertinent, Vnusquisque autem aliorum memor Apostoli qui dixit. Ne quis sapiat plusquam oportet, sed sapiat ad modestiam, prout uni cuique Deus diuisit, ea quæ ad se pertinent diligenter discat, ac faciat, de nulla re amplius curiosus] Hanc itaque præscriptionem moderationemque tenere iuuentus ipsa deberet, dum Præsides ac Doctores cuiusque dotes diligenter examnantes de singulis uerè & incorruptè iudicarent, atque idoneos auditores ab ineptis seiunctos assumerent. His uerò orthodoxis Patribus subscribens HIERONYMVS ait [Profunda Dei non sunt monstranda uulgo, nec proferenda ad populum, qui non est sanctificatus, nec Domini sanctitudini præparatus, ne si maiora se audierint, maiestatem scientiæ ferre non possint, & quasi folido suffocentur cibo, qui adhuclacte infantia nutriendi sunt] Cui coæuus CASSIANVS idem asserit & doctissime confirmat dicens [Caue etiam ne hæc quæ tam lectione quàm experientia sudore didiceris, cum te atas maturior prouexerit ad docendum uanæ gloriæ seductus amore immundis hominibus passim ingeras, illudque quod sapientissimus SALOMON interdixit incurras [- Noli applicare impium ad pascua iusti, neque seducaris societate uetris, Non enim expediunt iusto delicia; Nec opus, est sapientia ubi deest sensus, magis enim ducitur insipientia, quia seruus durus non emendabitur uerbis, si enim & intellexerit non obediens, & In aures imprudentis noli quidquam dicere, ne forte irrideat sapientes sermones tuos, & Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas uestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi dirumpant uos: oportet itaque ut huiusmodi hominibus spirituum

fen-

In Ezech.
c. 44.

Collo. 14.
c. 17.

a Prou. 24.

b Prou. 19.

c Prou. 18.

d Pro. 29

e Prou. 23

f Math 7

3 Psal. 118 sensuum contegens sacramenta efficaciter canas & In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi] Hæc quidem sancti Patres communiter asserunt, præcipuuntque, ut plurimos à diuinis arcanis audiendis ac inquirendis generatim arceant, separatim uerò singulos indignos auditores excludunt, cum de ipso Theologiæ idoneo auditore distinctas præceptiones data occasione tradunt, ac singulas notas nominatim indicant, quibus ille à cæteris internoscatur, ex quarum disperfarum collectione illud etiã aperte confirmatur, quod nunc generatim conclusimus, Quemlibet scilicet non esse ad audiendam, percipiendamque Theologiam promiscue admittendum. Nos igitur ut certa ac definita illa omnia habeamus, quæ perfectum hunc constituunt Auditorem, ac sine errore singulos dijudicare facile possumus, ipsius Auditoris conditiones omnes non solum numerando percensere, sed accurata etiam disquisitione inuestigare conabimur, hoc enim ut diximus ad Ecclesiæ fructum affert momentum maximum.

Quòd solertem oporteat esse Auditorem. Cap. II.



SOLERTIAM ac ingenij acumen in ijs, qui se in aliquam disciplinam tradant, in primis requiri (ut sint nimirum dociles, & ad excogitandum acuti) docent Philosophi, experiuntur in seipsis studiosi, omnes denique uno ore fatentur; Hanc uerò ingenij celebritatem, ac perspicaciam quis dubitet opportunam esse illi quam maxime, qui in diuinam hanc scientiam studium suum conferat? resque occultas, & penitus abditas, quæ neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi possunt, mentis acie perscrutetur, ac intelligat? præsertim uerò cum eundem deceat, (ut paulò post demonstrabimus) priusquàm huic doctrinæ se dediderit instructum esse cæteris disciplinis, atque optima-

optimarum artium studijs eruditum, quod subsidium sibi comparare hebes ad intelligendum nunquam poterit? Quòd si quempiam ex imperito summum repente Theologum Deo dono mirabiliter aliquando euasisse audiamus, idque ipsis Apostolis contigisse credamus, ex bardo tamen, & stupido (quamuis Deus id quoque posset) ad cognitionis perfectionem ullum unquam peruenisse apud illustres scriptores me legisse non memini, idque propterea fortasse accidit, quòd uerisimile & consentaneum uideatur, Deum ipsum, qui pertingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, ea sibi instrumenta formare; & naturæ donis ornare, quæ sint ad euangelij doctrinam explicandam aptissima, & ad Spiritus sancti præstantiora charismata suscipienda apprimè accommodata, ut cum opus fuerit ad Ecclesiæ fructum & ædificationem suo ipse arbitratu illis commode utatur. Admiratione quoque illos affici oportet, qui in aliqua contemplanda animum intendunt, hebetes uerò homines diuina mysteria (obscuriora præsertim) non ualde suspiciunt, aut illorum admiratione mouentur, quibus ingeniosi ipsi obstupescunt, ut propterea isti sint ad eadem contemplanda, ac intelligenda prompti & parati; quod innuens CLEMENS ALEXANDRI-
 NVS dicebat [His (mysterijs. s.) uix possunt apud uulgus ulla magis audiri ridicula, rursus autem apud ingeniosos magis admirabilia, & Deum magis spirantia] Quapropter GREGORIUS NAZIANZENSIS hanc ipsam solertiam palam & frequenter laudat, eamque Theologo ualde opportunam iudicat, inquit enim [Non is sumus qui uigorem animorum & acrimoniam in uitio ponamus, sine qua nemo facile insigni aliqua pietatis laude, aut alia uirtute præstiterit] Idque pulchra equi similitudine ipse demonstrat, ac rursus definiens quibusnam hominibus facienda sit potestas, tum Diuina Theologicaque mysteria audiendi, tum de illis liberè differendi [lis nimirum (ait) qui animo non sunt omnino tardo & ignaui] TANDEM
 uerò

Sap. 2.

Strom. l. 1.

Or. 1. de Theol.

Or. de modo indisp. seru.

uerò id apertissimè asserit dicens [Non cuiusuis est de Deo differere, sed eorum tantum est, qui inter multos habito delectu ad tantum munus uidentur idonei, quique contemplandi acumine cæteros antecellunt] & meritò quidem, cum Bardi isti à contemplatiuis scientijs abhorreant, subtiles disputationes ferre non possint, atque difficilia & abstrusa omnia palàm aspernantur, ut potè qui sint ad contemplandum inepti, quod quidem **CYRILLVS ALEXANDRINVS** pulchra admodum comparatione expresit dicens [Fatuus sanè consuetudo hæc est, semper enim sublimiori doctrinæ, quam ipsi non intelligunt detrahere solent, cumque attendere magis deberent, & subtilitati rerum eleuari, contra deijciuntur, & durum appellant sermonem, quem admirari deberent; non aliter igitur faciunt, quàm edentuli soleant, molliora enim eligunt alimenta, etiam si peiora sint; solidiora uerò, ac meliora edulia magnopere uituperant, ægrotationem suam celare studentes, mentis quoque acumine priuati scientiam abhorreere solent, quæ magno studio, multa que opera esset conquirenda] eosdemque Diuina, & admirabilia mysteria aspernari **IPSE** testatur inquit [Solent enim minus comprehensibilia à plerisque rideri, quod imbecillitate mentis suæ non uident, & omnino nihil faciunt quæ omni admiratione prosequi decebat] Quapropter tum ratione tum Patrum sententijs fateri compellimur, Naturales Dotes esse Theologiæ Auditori ualdè opportunas, præ cæteris uerò ipsum mentis acumen in eo desiderari, quo Diuina mysteria, ut decet, suspicere, illorum contemplatione oblectari, atque seipsum ad Spiritus sancti dona ritè suscipienda comparare possit Auditor.

In euang.
Io. li. 4. c.
21.

Contra Iu
lia. l. 7.

Quòd

Quòd fidelem oporteat esse Auditorem. Cap. III.



SOLERTIA quidem poterit Auditor ipse ad Theologicas res contemplandas utcumque se comparare, eas autem intelligere nunquam poterit, nisi cælestibus & supernaturalibus donis Dei benignitate augeatur, ait enim **APOSTOLVS** [Quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei] ut aliqua nimirum, ac necessaria proportio inter ipsum intelligens, & intellectum propterea intercedat; In primis itaque fides ipsa intellectui antecedit, cum **SCRIPTVM SIT** [Nisi credideritis non intelligetis] quare illa imbutum esse unumquemque oportet, qui Diuina arcana intelligentia comprehendere expetit, id ipsum uerò Theologicas res tractanti est eò magis necessarium, quòd ex principijs fide cognitjs ea omnia concluduntur, quæ in ipsa Theologia demòstrantur, ut illius scientiæ uim ac naturam explicantes fusè declarauimus; necesse est autem ut principiorum notitia conclusionum habitum antecedit, & Quæstio præterea Quomodo est quæstionem si est ut sequatur oportet; capropter **REDEMPTOR NOSTER** quærentibus Iudæis [Quomodo hic carnem suam potest nobis dare ad manducandum] noluit modum exponere, quia illi fide carentes scientiam postulabant, & uehementer hæsitantes an esset, quæstionem Quomodo est afferebant; Discipulis autem ipsis, ut potè fidelibus mysterium illud statim aperuit; **ANGELVS** quoque piè quærenti Deiparæ [Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco?] Modum non reticuit, Virginis enim fides ritè antecedebat, nec erat de quæstione si est apud illam hæsitatio aliqua; quem ordinem studiosè obseruans **APOSTOLVS PAVLVS** cum dixit [Non omnium est fides & scientia] posteriore loco scientiam ipsam collocauit, est enim illa ueluti ædificium, fides fundamentum frequenter dicitur, quo nimirum iusto cætera extruere licet; propterea

1. Cor. 2.

Isa. 6.

Ioan. 6.

Luc. 7.

2. Thess. 3.

rea

1. Cor. 3. rea IDEM dicebat APOSTOLVS [Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, ut sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superædificat argentum, & aurum, & lapides præciosos] Quæ verba exponens CLEMENS ALEXANDRINVS ait [Hæc sunt ædificia cognitionis, quæ ponuntur super fundamentum fidei, quæ est in Christo Iesu, stipula autem sunt, quæ offeruntur & dedicantur ab hæresibus, & ligna, & fænum] Qui etiam Apostolus alio trās lato verbo fidem ipsam lac, scientiam uerò cibum sæpius appellauit, ac lacte prius alimur quàm cibo fruamur, propterea que ipse Paulus lac Corinthijs potum dedit non escam, nondum enim, ut idem scribit, poterant. Quam quidem metaphoram arripiens HIRONYMVS, atque eandem doctè explicans dicebat [Quem docebit scientiam &c. Quis inquit dignus est doctrina Domini? Quis uerbis saluatoris dicentis; Qui habet aures audiendi audiat, ut quod auribus hauserit corde intelligat? Qui nam illi sint sequens uersus ostendit, Ablactati a lacte, apulsi ab ubere; Qui nequaquam lacte nutriuntur infantia, sed solido uescuntur cibo, qui apulsi sunt ab ubere cum Isaac, propter quam lætitiā fecit Abraham grande conuiuium, hi merentur Domini audire mysteria] Cum quo consentiens CLEMENS ALEXANDRINVS multò antea dixerat [Qui autè ex fide conuiuari instituerit, is ad diuinorum uerborum susceptionem firmus est ac stabilis, ut qui iudicium quod bonanitur ratione, nempe fidem, habeat] IDEM QVE alio in loco dicebat [Quæstionem quæ supra fundamentum fidei superædificat, splendidam ac magnificam ueritatis cognitionem optimam esse scimus] Quod HILARIVS quoque monebat dicens [Standum itaque per fidem ante est, ut sanctus Hieremias admonet, in substantia Dei, ut de substantia Dei auditurus, sensum ad ea quæ Dei substantia sunt digna morderetur] GREGORIUS NAZIANZENSIS [Oportet paulatim & infirmis fidelibus ea quæ perfectiora sunt aperire, & cum

in

in fidei intelligentia, & religione profecerint, tunc claros oculos habentibus lucem adhibere, & in ueritate ambulantes scientiam committere ueritatis] Quibus subscribens AVGVSTINVS inquit [Lux ergo lucet in tenebris, quòd si eam tenebræ non comprehendunt, illuminentur Dei dono prius ut sint fideles, & incipiant esse lux in comparatione infidelium, atque hoc præmisso fundamento ædificentur ad audienda, quæ credunt, ut aliquando possint uidere] Apertius uerò idem affirmat CYRILLVS ALEXANDRINVS dicens [Optime autem fidem cognitioni præposuerunt, præcedit nanque fides, cognitio sequitur, iuxta illud, si non credideritis non intelligetis; Nisi enim absque ulla dubitatione fidei ieceris fundamenta, non poteris paulatim cognitionem, quæ in Christo est superædificare, ac ita in uirum spiritualem euadere] omnium apertissimè id ipsum asserens THEODORETVS ait [Manifesta est dementia, castissimorum, diuinorumque mysteriorum sine præuia fide cognitionem, scientiamque perquirere] ET rursus [At uerò ipsa fides omnium pariter est hōminum, qui discere quidquam percipiunt; est itaque fides seu primaria quædam basis, & crepido scientiæ] Ex his uerò tum Patrum tum scripturæ testimonijs facile colligere possumus, nullum Ethnicum uel Iudæum, sed nec ullum etiam Cathæcumenum, imò nec baptizatum aliquem Hereticum ad sacram hanc scientiam audiendam admittendum esse; In Hæretico nanque fides, in Catechumeno baptismus, in Etnico uerò ac Iudæo utrumque desideratur: Quòd si quis plures adhuc Patrum auctoritates idem confirmantes desideret, is legat ad datque illas, quas in tractatione. De Quæstionibus, ad fidem præsertim, ac Theologiam spectantibus, loco huic consentaneus protulimus.

De trin. li.
15. c. 26.

In Io. li. 4.

Li. de fide.

Li. de fide.

Ti. de Quæ
stionibus

Quod

Quod temperatis moribus prædium oporteat esse
Auditorem. Cap. IIII.



IDEM translato uocabulo lac ab APOSTO-
LO uocatam esse iam diximus, qui eadem
metaphora utens difficultatem, ac reconditorum
mysteriorum cognitionem escam appellauit,
ea uero nutriendos non esse Corinthios, quam-
uis fideles, propterea iudicabat, quoniam
præter fidem, morum quoque & affectionum moderationem
ad ipsa arcana intelligenda necessariam existimabat, qua illos
quidem carere animaduertit; itaque ad ipsos IDEM scri-
bens testatur, ac manifesta coniectura coarguit dicens [Lac
uobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis, sed
ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis, cum sit
inter uos zelus & contentio, nonne carnales estis?] atque
huiusmodi intemperantiam magnum Diuinæ scientiæ im-
pedimentum inferre generatim IPSE paulo ante asseruerat
cum dixit [Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiri-
tus] ut propterea non obscure Apostolus docuerit à fide
ad temperatos mores, ab ipsis moribus ad Theologiam ef-
se gradatim ascendendum; quod Petrus quoque Apostolorum
princeps significabat cum dixit [Vos autem curam om-
nem subinférentes, ministrare in fide uestra uirtutem, in uir-
tute autem scientiam] Quæ uerba exponens OECUMENIVS
dicebat [Gradus autem tradit ad promotionem, primū qui-
dem fidem, quæ fundamentum est ac basis, seu principium
bonorum, deinde secundo gradu uirtutem, siue operam,
nam sine his fides mortua est, quæ admodum dicit Iacobus,
post hæc uero scientia, Quæ autem est hæc? Cognitio secre-
torum Dei mysteriorum, quæ non cuius contingit, sed exer-
citato in habitu meliorum operum] Atque eundem ordinem
exprimens DAVID Propheta dixerat [Beati immaculati in

uia

uia, qui ambulant in lege Domini, beati qui scrutantur testi-
monia eius] Quem etiam ordinem in seipso conseruasse pro-
fitebatur, ut cum præcepta uiuendi diligenter IPSE tenuisset,
tunc ad Diuinorum mysteriorum intelligentiam processisset,
capropter dicebat [A mandatis tuis intellexi] Iudeos au-
tem præpostere id agentes atque ad scientiæ gradum absque
uirtute peruenire studentes Deus ipse per Ilaïam arguebat
dicens [Scire uias meas uoluit quasi gens quæ fecerit iusti-
tiam] Idemque non solum ab ingressione nubis cum Moysè,
uerum etiam ab accessu cum Aaron, & à monte ipso illos
olim arcebat, qui nondum expiati manebant impuri. SALO-
MON uero aperte palamque asserit ab omni uitiositate ac in-
temperantia esse illi declinandum, qui Diuinam scientiam sit
percepturus, inquit enim [In maleuolam animam non in-
troibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis]
Quare à nobis etiam fide eruditus in primis efficiendum est,
ut mores nostri conformentur, deinde uero ad audienda,
ac perscrutanda Dei mysteria procedamus, Quod sancti quo-
que Patres singulari quadam consensione nos docent, in pri-
mis enim CLEMENS ROMANVS dicebat [Consequens uide-
bitur, ut ei qui obtinet bona uirtutum, etiam quod deest fi-
dei; & scientiæ conferatur, & in quibus maculari uidetur
eius uita, quæ est in reliquis probabilis, emendetur, si ue-
rò in his, quæ palam sunt, peccatis inuolutus permanet, &
inquinatus, non me oportet ei aliquid de secretioribus, & re-
motis Diuinæ scientiæ proloqui, sed magis protestari, & con-
uenire cum eo, ut peccare desinat, & actus suos à uitijs emendet]
CLEMENS uero ALEXANDRINVS non solum idem asserit,
sed communem quoque Patrum sententiam recitat dicens
[Eos enim qui sæpe ad eas accedunt, & dederunt sui expe-
rientiam, & in fide, & in uita uniuersa, solum uolunt esse eam,
quæ uerè est, Philosophiam, & ueram Theologiam] cum
quo continens Auditor ORIGENES ait [Si sit aliquis natu-

B ræ

Psal. 104.

Ila. 58.

Sap. 1.

Recog. li.

2.

Strom. li. 1

1. Cor. 3.

1. Cor. 2.

2. Pet. 1.

In 2. Pet. 1.

Psal. 118.

ræ florentis, & ardentis ingenij non continuo aptus uidebitur ad suscipienda Verbi Dei mysteria, sed quæritur etiam hoc, ut prius à profanis actibus, & immundis operibus separetur, & ita demum eruditionis capax fiat, si prius capax fuerit sanctitatis] Et rursus [Hic sermo non est omnium, nec cuiuscunque, sed sanctorum est, Non quilibet uerbi huius potest audire mysterium; nam tantummodo, qui purificati sunt mente, qui mundi sunt corde, qui simplices animo, qui uita inreprehensibili, qui conscientia liberi, ipsorum est de hoc audire sermonem, ipsis possunt explanari ista mysteria, uobis n. datū est, inquit, nosse mysteriū Regni Dei, illis autem. i. q. non merentur, qui non sunt tales ut mereantur, nec capaces esse possunt ad intelligentiam secretorum, illis non potest dari iste sacerdotalis panis, qui est secretus, & mysticus sermo, sed in parabolis, qui communis est uulgi] **Q**ui planius adhuc, & apertius idem affirmans inquit [Ingressi cōuiuium sapientiæ non rursus nobiscum indumenta insipientiæ deferamus, non infidelitatis ueste circumdati, non peccatorum maculis fucati, sed in simplicitate, & puritate cordis amplectamur uerbum, & diuinæ sapientiæ famulemur] cui subscribens **A**TANASIUS dicebat [Cæterum ad scripturarum indaginem, uerumque intellectum opus est uita proba, animo puro, & uirtute, quæ secundum Christum est, ut mens per eius tramitem decurrens ea, quæ expetit adipisci possit, quatenus fas est humanam naturam Diuinam intelligere] Planissime uerò id ipsum docens **G**REGORIUS NAZIANZENSIS ait [Per uitæ probitatem ascende, per purgationem eum qui purus est adipiscere, Vis Theologus aliquando fieri, ac diuinitate dignus mandata serua, per Dei præcepta incede; actio enim contemplationis fundamentum est] **E**T rursus [Ut speculationem ad cœlestium rerum studium asciscimus, ita uicissim actionem pro speculationis fundamento habemus, neque enim fieri potest ut sapientiæ sint participes, qui uitā

non

In Cen.
hom. 14.
De incarnatione Verbi.

De dogmate, & statu eorum.

non sapienter instituerint] **C**HRYSOSTOMVS etiam in eandem sententiam ita scribit [Quemadmodum enim uita immunda est impedimento quominus ea cognoscantur, ut dicit Paulus, non potui loqui uobis tãquam spiritualibus, quoniam lites sunt in uobis, & contentiens, & rursus Isaias, scire uias meas desiderant ut populus qui fecit iustitiam, ita etiam uita munda deducit, & quærendi studium] cum quibus cōsentiens **D**YDIMVS dicebat [Has easdem disciplinas, quæ dantur à Patre & filio in corda credentium, Spiritus sanctus ministrat his qui animales esse desierint, Animalis quippe homo non percipit ea quæ spiritus sunt, arbitrans esse stultitiam quæ dicuntur, Qui uerò à perturbationibus purgauerit mentem suam, Spiritus sancti disciplinis, id est sermonibus sapientiæ scientiæque complebitur, in tantum ut eis, qui ea susceperint dicat, Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum sanctum, Deus autem his, qui se ita preparauerint spiritum sapientiæ, reuelationisque largitur ad cognoscendum semetipsum] Deniq; **C**YRILLVS ALEXANDRINVS cum de Diuinorum mysteriorum cognitione loqueretur, inquit [Neque enim passim omnibus absque iudicio ea gratia conceditur, illis autem potius, qui fuerint à carnis affectionibus, & terrena immunditia liberati, menteque integri, & scientes ueræ pietatis opera, & ad hoc nos prouocat uniuersorum Deus per uocem Dauit, Vacate & scitote quoniam ego sum Deus. quin & Dominus noster Iesus Christus. Beati inquit, mundi corde, quia ipsi Deum uidebunt] **E**T alio in loco [Humana mens si quieta fuerit, & secum habitans, atque phantasijs friuolis, & abominabilibus abscedere solita acute, & perspicue aspiciet, citraque errorem rerum cognitionem percipiet, quòd si perturbationibus crassior facta fuerit nunquam Diuinam pulchritudinem contuebitur, & in his, quæ magis terrena sunt residebit similis passeribus complutis madefactione à subuolando in sublime prohibitis] Hæc sunt Græcorum

B 2 dicta,

In Pl. 41.

Zi. de spiritu sancto.

Cōtra Iul. lib. 1.

Dial. de Tri. li. 1.

dicta, cū quibus optime cōsentiunt latini Patres, inquit enim
 In Ps. 118. AMBROSIVS [Ante uita q̄ doctrina, quærēda est] & post pau-
 scr. 1. ca [Primū ergo exercenda uitæ militia est, corrigendi mores,
 cū hæc instituerimus ad cursum debitū, ut sit offensionis cor-
 rectio puritatis gratia, tunc ad studia percipiēdæ cognitionis
 ueniamus suo ordine, & uia] Quod cōprobās HIERONYMVS
 In lam. Hie dicebat [Quo aut in his nostris litteris nō potest quis ad legē-
 remiaz. li. i. da uerba texēdaq; procedere, nisi prius ab elemētis cæperit;
 c. 1. ita in scripturis Diuinis nō ualemus ea, quæ maiora sunt nos-
 se, nisi ab Ethica in ipsas habuerimus exordium, secundum
 illud, quod Propheta dicit; A mandatis tuis intellexi; Quod
 scilicet post opera cæpit habere scientiam secretorum] Quod
 approbans Hieronimo cōuuis IOANNES CASSIANVS lati-
 nus (ut magis probabile uidetur) scriptor ait [Tenentes itaq;
 Collat. 14. c. 9. illam, quam habere uos sentio diligentiam lectiōnis omni stu-
 dio festinate actualem, idest ethicam quamprimum ad inte-
 grum comprehendere disciplinam, absque hac nanque il-
 lam, quam diximus Theoretica puritas non poterit appre-
 hendi quam hi talem qui nō aliorum docentium uerbis, sed
 priorum actuum uirtute perfecti sunt, post multa operū
 ac laborum stipendia, iam quasi in præmio consequuntur,
 non enim à meditatione legis intelligentiam, sed de fructu
 operis acquirentes cum psalmografo canunt. A mandatis
 tuis intellexi, & excoctis passionibus uniuersis fiducialiter di-
 cūt, Psallam & intelligam in uia immaculata] ET rursum [Im-
 possibile nanque est immundam animam quantalibet desu-
 dauerit lectiōnis instantia adipisci scientiam spiritalem] AV-
 GUSTINVS uerò idem apertissime affirmat dicens [Erat au-
 tem quisquis putat ueritatem se posse cognoscere, cum ad-
 huc nequiter uiuat] Quibus omnibus subscribens BERNAR-
 DVVS inquit [Depulsis ergo duobus malis duorum lectiōne li-
 brorum, competenter iam acceditur ad hunc sacrum Theo-
 ricumque sermonem, qui cum sit amborum fructus, non ni-
 sifiso-

sifobrijs mentibus, & auribus omnino credendus est; Alio-
 quin ante carnem disciplina studijs edomitam & mancipa-
 tam spiritui, ante spre tam & abiectam seculi pompam & sar-
 cinam, indignè ab impuris lectio sancta præsumitur] Neminè
 igitur idoneum esse Theologiae auditorem, qui uitijs flagitijs-
 que deditus sit, aut in cuius animo (quod pueris accidere so-
 let) turbidi sint concitatiq; motus rationi non obtemperan-
 tes, satis superque hucusque demonstratum uidetur, idque
 tot Patrum auctoritatibus confirmatum, ut illorum omniū
 de hac re consensio facile appareat: Cuius quidem conditio-
 nis notitia habet momentum magnum ad Auditorem no-
 strum effigendum, eiusdem uerò obseruatio maximum affert
 usum ad Dei mysteria intelligenda. Quamuis non defuerint,
 nec desint etiam, qui tum uerbis, tum factis palam profitean-
 tur se omnino putare, perditos mores nullum contemplatio-
 ni huic impedimentum inferre. Quorum hominum uulgarè
 sententiam argutulus aliquis ut tueatur, huiusmodi fortas-
 se argumenta excogitabit. Quemadmodum perditus quif-
 que ac flagitiosissimus homo ea potest credere, quæ illi tan-
 quam fidei Dogmata proponuntur; cur idem non poterit,
 Theologicas etiam argumentationes & contemplationes in-
 telligere? cum multò difficilius profectò uideatur assentiri di-
 centi, In una Diuina substantia tres esse personas, atque in
 una Christi persona duas esse naturas, quam his Dogmati-
 bus fide adhærentem rationes ac modos, illaque omnia in-
 telligentia assequi, quæ circa hæc ipsi Theologi excogitarūt,
 Doctore præsertim singula exponente, & luculenter inter-
 pretante, quod quidem in Theologorum scholis fieri consue-
 uit. Præterea uerò Theologica conclusiones tum ex fidei,
 Dogmatibus, tum ex naturaliter notis propositionibus ratio-
 ne ipsa colliguntur; sed in homine quamuis perditissimo, ac
 maximis sceleribus coinquinato infidere potest Dogmatum
 fides, atque ipsa etiam naturalium rerum, ac humanarum

Collat. 14.
c. 14.

Dubitatio

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.

Matt 23.
Responsio

scientiarū notitia, in eo igitur cum sint principiorum omnium habitus, quid, quæso, prohibebit eundem ratione ipsa (uniquique scilicet homini à natura insita) conclusiones colligere? uel ab alijs collectas intelligere? aut quodnam impedimentum animi perturbationes, & flagitiosæ libidines eiusmodi argumentationi, uel eiusdem perceptioni inferre unquam poterunt? At in huiusmodi certe tum cōclusionibus, tum argumentationibus Theologicam contemplationem uersari fatendum est. Ipsa denique experientia testatur, ac plane demonstrat, morum intemperantiam Diuinæ huic scientiam nō repugnare magis, quam fidei ipsi aduersetur, quamuis utraque illam uehementer detestetur, atque importunissimæ comitis & pudeat, & rædeat maximè, Vt igitur fideles plurimi sunt uitijs utique dediti, ita non paucos inuenies Theologiæ Auditores, imò etiā eiusdem Doctores aliquot, libidinum potius maculis notatos, quam sanctitate conspicuos, quos animo cernens DOMINVS noster de iisdem prædixit [Quæ dicunt uobis, seruate, & facite, secundum uerò opera eorum nolite facere] Hanc autem popularem sententiam atque hominum eiusdem fautorum inscitiam cum Patres omnes, ut uidimus, uno ore explodant, & Philosophi ipsi irrideant, qui nec etiam ad ethicam audiendam puerum ætate uel moribus admittendum putant, allatam defensionem nos omnino aspernantes, fallaces & captiosas ipsius argumentationes diluere non dubitabimus. Dicimus itaque fidem esse ad salutem necessariam, sapientiam non item, ut propterea Deus pluribus hominibus, & promiscuè magis, illam impertiatur, quam ipsam sapientiam, cum tamen utraque sit Donum Dei, qui immensa sua benignitate constituit pauciores requiri conditiones ad necessariam fidem suscipiendam, quam ad sapientiæ ornamentum obtinendum, uoluitque fidem esse tum Diuinæ sapientiæ & cognitionis, tum sanctæ huius actionis fundamentum; Fidei uerò, & actionis, quasi fasti-

fastigium quoddam, ipsam sapientiam; Quid mirum igitur si fides in infimo structuræ gradu collocata (ut pote solida, ad coagmentandum apta, ac toti ædificio necessaria) possit absque actione consistere, quamuis, teste Iacobo, mortua dicatur? Sapientia uerò in altissimo eiusdem gradu posita utramque sibi substerni necessario postulet. Quod non intelligentes Hæretici (recentiores præsertim) ac fidei & sapientiæ Dona confundentes, fidem absque operibus subsistere posse negarunt, ut propterea & contra Apostolum dixerint, & quod sapientiæ ascribendum fuerat, fidei ipsi tribuerint; Ad illud uerò, quod secundo loco obijciebatur, respondemus, præter Principiorum omnium habitus, atque rationem ipsam, cuius homini à Natura tributam, necessariam quoque esse ad res Diuinas contemplandas, & cognoscendas sapientiam illam, quæ est ipsius Dei illustre donum, ut enim inquit APOSTOLVS. [Quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei.] hæc autem sapientia teste SALOMONE, uel potius Spiritu sancto eiusdem auctore [in maleuolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis] quapropter PAVLVVS dicebat [Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei] ut propterea perditos, & immoderatos: mores maximum huic contemplationi, & argumentationi impedimentum inferre dicamus. Experientiam quoque non aduersarijs, sed nobis ipsis maxime fauere asserimus, multos enim nomine esse Theologos concedimus, re ipsa paucos; cum illi nuda uerba recitent, isti res ipsas intelligant; illi uorent nec gustent, isti mandant, & cibi suauissimo sapore oblectentur, Quod quidem BERNARDVS pulchrè expressit dicens [Dum apponit meditationem, apponit & dolorem, quia fitit dulcedinē, quam in cordis munditia meditatio esse monstrat, sed non pergustat, non est legentis atque meditantis hanc sentire dulcedinē, nisi data fuerit de super, legere enim & meditari tam bonis quam malis commune est] Et post pauca

Ad 2. Arg.

1. Cor. 2.
Sap. 8.

Ad 3. Arg.

1. Cor. 2.
De scala
claustrali.

[Omnis eorum sapientia deuorata est, quam eis contulerat humanæ studij, disciplinæ, non spiritus sapientiæ, qui solus dat ueram sapientiam, sapidam scilicet scientiam, quæ animam, cui inhæsit, inestimabili sapore iucundat, & reficit, & de illa dictum est, sapientia non intrabit in maleuolam animam] & ante ipsum in eandem sententiam dixerat GREGO-

Reg. li 4. c.

GORIUS MAGNVS [Reprobi, ergo qui scripturas rimantur, quas non amant, qui audacter foris loquuntur, cuius saporem intus non intelligunt, dum refectioem scripturarum, quas exponunt, alij deuota mente percipiunt, quasi de eo, quod ipsi dant, alij saturantur, non ipsi] & utroque uetustior

Col'at. 14.

CASSIANVS dicebat [Et ideo cauendū tibi est ne illorum ad docēdum inciteris exemplis, qui peritiā disputandi, ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt, ea quæ uolunt ornate, copiosèque disserere, scientiam spiritalem possidere creduntur ab his, qui uim eius, & qualitatem discernere non uerunt; aliud nanq; est facilitatem oris, & nitorem habere sermonis, & aliud uenas ac medullas cælestiū intrare dictorū.]

Disputant igitur illi de Diuinis rebus quasi cæci de ipsis coloribus, isti autem, quibus Deus ipse lumen præfert, quasi cernentes iudicant; & rerum aspectu quodam delectantur: Quæ admodum etiam, exempli causa, flagitiosi quandoque homines de ipsis moralibus uirtutibus longo sermone disserere solent, singulas illarum species, uires & conditiones distincte colligentes, enumerantes, explicantes, atque ab obiectis calumnijs uindicantes, cum tamen eorum nihil ipsi intelligant, imò nec uirtutes illas, quas in cælum extollunt, re ipsa consistere posse, aut aliquem ipsdem præditum inueniri existimēt, ut pote qui (Philosophis id præcipientibus) ne digni quidem aut idonei sint ipsius, quam docent, ethices auditores; Quare solo nomine erunt isti morales Philosophi, perinde atque insipientes illi Theologi, quos nobis uulgares homines obijciebant *Αδδανύμων* ut inquit Apostolus, hoc est falsi nominis scien-

Tim. 6.

scientia instructos, de quibus dicebat CASSIANVS [De istis ergo qui imaginem quandam scientiæ uidentur acquirere, uel de his qui cum sacrorum uoluminum lectioni, ac memoriæ scripturarum diligentem insistant, carnalia tamen uitia non relinquunt, in prouerbijs eleganter exprimitur, sicut in auris aurea in naribus suis, ita mulieri malæ moratæ species] propterea Deus illos palam arguebat, quamuis ab ipsis præclare dicta, ueluti ecclesiæ præcepta, populum amplecti, Cathedralam, & potestatem, quam obtinuerint, reuereri præciperet. Sed hæc hactenus, ad reliqua iam pergamus.

Collat. 16.

C. 14.

Matt. 23.

Argumenta, quibus probatur externarum disciplinarum eruditionem non esse Theologiæ Auditori utilem, uel opportu-
nam. Cap. V.



UVAERI præterea solet an Humanarū disciplinarum notitia adiuumentum aliquod Auditoribus afferat ad Theologiam ipsam perdiscendam, necne. Quæ controuersia multos quidem torquet, ut potè quæ perdifficiles explicatus habere deprehendatur, concurrentibus undique firmis, (ut uidetur) argumentis, atque acerrimis Patronis contrarias sententias mordicus defendentibus; nobis autem Auditorem ipsum instituentibus necessariò dirimenda proponitur, habebitque illa subla-
ta ad eundem discipulum intruendum momentum maximum; Quare in ipsa sedanda, & obscuris in quæstione dilucidanda nobis erit studio non mediocri laborandum. In primis igitur omnem externam eruditionem aspernantes, quam ad ipsam Theologiam percipiendam omnino inutilem arbitrantur, scripturæ sacre testimonia proferunt, cuius auctoritate Philosophiam, cæterasque humanas discipli-

I. Argum.

nas

nas uehementer damnari asserunt, dicente scilicet APOSTO
 Ep. ad Co- LO PAVLO [Videte nequis uos seducat per Philosophiam]
 loff. 2. ubi interpres HIERONYMVS ait [Contra Philosophos
 ait, quorum omnis penè disputatio de elementis est, & de
 uisibilibus creaturis, & ex rebus naturalibus uirtutem existi-
 mant Dei, dicentes ex nihilo fieri nihil posse, & animam
 aut initium non habere, aut esse mortalem, & Virginem
 parere omnino non posse, sed & Deum ex homine nasci, mo-
 ri, atque resurgere, stultum esse] Proptereaq; de iisdem Phi-
 Rom. 1. Iosophis ad Romanos scribens APOSTOLVS dicebat [Dicen-
 1. Cor. 1. tes se esse sapientes, stulti facti sunt] QVOD alibi confirmans
 dixit [Scriptum est enim, perdam sapientiã sapientium, & pru-
 dentiam prudentiũ reprobabo, Vbi sapiens, ubi scriba, ubi in-
 2. Argum. quisitor huius seculi, nonne stultam fecit Deus sapientiam
 huius mundi?] ibiq; HIERONYMVS ait [Eligendo piscatores,
 artem Rhetoricam, & Philosophiam reprobauit] Deinde
 uerò, dicunt isti, Quis unquam poterit externa ita sapientia
 recte uti, cum ipsa non sit Dei opus sed hominum inuētum,
 Dei sapientiæ infensum aduersumque, ut olim Abimelech
 ipsi Isaac fuisse scribitur? illum enim Philosophi personam,
 hunc uerò Theologi sustinuisse Patres tradiderunt; eapro-
 In epist. ad pter CHRYSOSTOMVS dicebat [Oportet igitur hanc prius sa-
 Cor. ho. 7. pientiam eiicere] ATQVE sibi met obijciens [Quid igitur nõ-
 3. Argum. ne calumnia afficitur externa sapientia? Atqui opus Dei est]
 IDEM statim respondet [Vnde hoc constat? non enim ipse
 eam fecit, sed tu inuenisti] Quòd si etiam cum Theologia nõ
 pugnaret ipsa Philosophia, quicquid tamen ueri & boni ista
 doceret, id totũ ab illa sumpisset, perfecta scilicet scientia &
 omnibus numeris absoluta, ut potè quæ sit Dei uirtus & sa-
 pientia, omnem rerum cognitionem complectēs, nullius in-
 digens, ac sibi ipsi sufficiens, ut pulchrè admodum ex ipsa scri-
 Stroma. 1. 2. prura colligit CLEMENS ALEXANDRINVS dicens [Barba-
 ra itaque, quam nos persequimur, Philosophia, reuera est
 perfe-

perfecta & uera. Dicit itaque in sapientia, ipse mihi dedit
 non falsam eorum quæ sunt cognitionem, ut cognoscã mun-
 di constitutionem, & ea quæ deinceps sequuntur usque ad
 illud, & uires radicum; In his omnibus naturalem compre-
 hendit contemplationem, quæ est omnium quæ facta sunt
 in mundo sensibili; deinceps autem tacitè quoque de ijs si-
 gnificat, quæ comprehenduntur intelligētia, per ea quæ sub-
 iungit. Et quæcunque sunt occulta & aperta cognoui, quæ
 est enim omnium artifex me docuit sapientia, Paucis habes,
 quod nostra profiteatur sapientia] Cum igitur Diuina hæc
 scientia omnem complectatur cognitionem, poterunt pro-
 fectò illius studiosi sine aliquo externarũ disciplinarum adiu-
 mento res omnes ex ipsa cõmode addiscere; quod CYRIL-
 LV S ALEXANDRINVS concludens dicebat [Itaque nos ex
 sacris litteris Diuinæ scripturæ omnigenam uirtutem disci-
 mus] Quare nulla erit humana scientia Theologo necessaria
 uel utilis, quãuis ueri uel boni aliquid ipsa doceret, cur enim
 riuulos potius consectari is debet, quàm ex fonte ipso hau-
 riri? imò à furibus potius nummos aliquot peterè, quàm
 à munificentissimo Domino de bonis suis dante amplissimã
 pecuniam accipere? Fures nanque dicti sunt ipsi Philoso-
 phi, cum quicquid præclari dixerint, id omne nostris surri-
 puerint, Diuinas scilicet scripturas ac traditiones pro uiri-
 bus expilantes; in quibus ut AVGVSTINVS ait [Quicquid ho-
 mo extra didicerit, si noxium est, ibi damnatur, si utile est, ibi
 quisque inuenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit] superua-
 canea igitur erit omnis externa eruditio, cui quicquid boni
 & commodi tribuitur, id totum detrahitur ipsi Theologiæ,
 quæ alterius opera egere propterea uideretur, cum tamen
 sit perfectissima; & cæteræ omnes disciplinæ, si quam habent
 perfectionem ab illa eandem utique sumpserint. Quarum ta-
 men falsitatem, prauitatem, uel saltem inanem redundan-
 dam Theologo superuacaneam improbare Patres frequen-
 ter

Cõtra Iul.
lib. 7.

De Doctr.
Christi. 2.

4. Argum.

ter cōsueuerunt; CLEMENS enim ALEXANDRINVS has Græcorum artes, & disciplinas uehementer reprehendens, nominatim uerò ipsam logicam, ait [Apostolus superuacaneas has artes dictionum uilipendens, si quis non accedit, inquit, ad sanos sermones, doctrina autem aliqua est inflatus, nihil sciens, sed laborans circa quæstiones, & pugnas uerborum, ex quibus fit lis, inuidia, maledictum, suspiciones malæ, concertationes hominum mentē corruptorum, & priuatorum ueritate. Vides quomodo in eos inuectus sit, logicam, idest quæ in sermone uersatur eorum artē, morbum appellans, propter quam se efferunt, & magnificè circumspiciunt, quibus cordi est hæc ars garrula & improba, siue sint Græci siue etiam Barbari sophistæ] TERTULIANVS uerò solitus est uocare Philosophos Hæreticorū Patriarchas, cui subscribēs GREGORIUS NAZIANZENSIS dicit [Viderūt Philosophi, uiderint Hæretici discipuli Philosophorū] Quorū doctrinam ueluti cū Theologia pugnantē EVSEBIVS CAESARIENSIS omnino declinandā monet [Non sunt, inquit, audiēdi Philosophi, præsertim cū nostræ semper doctrinæ repugnarint] Basiliius autem de Auditore Theologiæ ad Gregorium scribens expresse præcipit ut omni externa eruditione is careat [Oportet illum esse humanarū doctrinarum indoctum, paratum ad suscipiendas in corde formas, quæ ex diuina doctrina imprimuntur] cum quo consentiens CHRYSOSTOMVS eiusmodi scientias non solum infructuosas esse, sed impedimentum quoque inferre asserit ad ueram sapientiam percipiendam, cum ait [Sed quam ratione sapientiam perdidit? per Paulum, & alios huiusmodi uiros nobis cognitus Deus ostendit ipsam stultam esse, Ad euangelicam enim prædicationem accipiendam neque sapiens per sapientiam quisquam proficeret, neque indoctus ingenij hæbetudine quisquam afferret nocumentum, quod si res admiratione digna dicenda sit, ineruditio, quàm sapientia, ad hanc susceptionem & aptior est, & facilior,

Strom. l. 1.

Li. de Anima & 1 ad uersus Herogencē. l. de fide.

Eccle. Hist. li. 4. c. 16.

Ep. 5.

In epist. ad Cor. ho. 4.

facilior, Pastor enim, & Rusticus citius eam suscipit, & cognitiones penitus cohibet, & se ipsum Domino tradit, sic igitur sapientiam perdidit] Proptereaque EPIPHANIVS animaduertens Philosophiam Hæresi potius quam Theologiæ aditū patefacere, & uia munire, ipsis Hæreticis Peripateticā doctrinam aperte obijciat, atque Hieronymus Arianos ab Aristotelis fonte argumentandi riuulos deduxisse asserbat, Quibus ætate superior LACTANTIUS FIRMIANVS perniciosas omnino esse humanas istas disciplinas palam affirmauerat dicēs [Nutāt plurimi & maximi, litterarū aliquid attigerunt nam & in hoc Philosophi, & Oratores, & Poetæ perniciosi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt sua uitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium mella sunt hæc uenenum tegentia] AVGVSTINVS quoque illas aspernari uideretur cum ait [Non litteratis seculi, Regnum Deus promisit, sed fidelibus, neque scrutatoribus syderum æternitatem pollicetur, sed recte agentibus, non Dialecticis qui fraude, & minutis quibusdam ratiunculis uerum excudere nituntur, sed bonæ uoluntatis hominibus] Hæc autem sunt, quæ Philosophiam liberalesque disciplinas conuellere, atque illarum cognitione & usu Theologo interdici uidentur.

Aduer. her. li. 2. c. 69.

Li. aduers. Luciferianos.

Argu-

Argumenta, quibus probatur decere Theologiae
Auditorem esse externis Disciplinis erudi-
tum in primis uero Philosophia ex-
cultum. Cap. VI.

1. Argum.



CONTRARIO tamen firmissimis rationibus con-
cluditur humanas istas disciplinas esse Theolo-
go ualde opportunas, atque Dei concessu, & mu-
nere hominibus tributas. Illis enim mentem

Deus ipse cum dederit, mentis quoque actiones, & motus,
qui secundum naturam sunt ab eodem esse fatendum est. Quod
si facultas ipsa, atque illius opera à Deo sunt, quis neget eiuf-
dem quoque habitus & perfectiones secundum naturam à
Deo esse, Philosophia igitur omnium liberalium disciplina-
rum Architectonicae quae secundum naturam est, atque hu-
manam mentem perficit, Deus auctor est agnoscendus, Qui
quidem illam primo parenti indidit, Salomonem docuit, cae-
terisque hominibus mentis recto usu percipiendam tradidit,
cuius uerum auctorem ipsum esse non solum asserit, sed ratio-
ne quoque concludit CLEMENS ALEXANDRINVS dicens [Qui
ergo dicunt Philosophiam non uenire huc à Deo, uidentur
omnino dicere fieri non posse, ut Deus uideat omnia singu-
laria, neque eum esse causam bonorum omnium, cum unum-
quodque eorum sit ex singularibus; Nihil autem ex ijs quae
sunt omnino constiterit si Deus nolit, quod si eo uolente
est à Deo Philosophia, ea est cum talem esse qualis est esse
voluerit propter eos qui non alia ratione abstinerent à malis]
Et rursum duabus alijs rationibus concludit à Deo profe-
ctam esse ipsam Philosophiam [Non ergo uitij opus Philo-
sophia quae facit homines uirtute praeditos, restat itaque ut
sit Dei, cuius solum opus est benefacere, & quaecumque a
Deo dantur, recte & dantur, & accipiuntur; Porro autem
suis

Strom. 1.6

Strom. 1.6

si usus Philosophiae non est malorum, sed datus est Graeco-
rum optimis; & praestantissimis, hinc quoque, clarum, à
quo data sit; à Prouidentia scilicet, quae unicuique distribuit
pro meritis ea quae conueniunt; Merito ergo ludaeis quidem
lex, Graecis autem Philosophia usque ad aduentum] Quam
etiam Testamenti uice functam esse, & in star legis, ac scriptu-
rae fuisse apud Gentiles apertissime IDEM asserit dicens [Iam
uero si uniuersa quoque ac generali oratione quaecumque sunt
necessaria, & uirtute utilia diuinitus ad nos venire dicamus mini-
me errabimus, uel potius si dicamus ipsam quoque Philosophiam
Graecis ueluti propriam datam esse testamentum, ut quae sit
fundamentum Christianae Philosophiae, etiam si qui ex Gre-
cis philosophantur ad ueritatem sua sponte absurdescant]
Nec solum Philosophiae auctorem Deum agnoscendum esse,
sed propterea etiam hominibus Dei dono tributam illam af-
firmat idem Clemens, ut eius eruditione nosmetipsos compa-
remus ad Diuinam scientiam percipiendam, inquit enim
[Non est absurdum datam quoque esse Philosophiam à Di-
uina Prouidentia prius erudientem ad eam, quae est per Chri-
stum perfectionem, si non erubescat à Barbara cognitione di-
scere Philosophia profectum ad ueritatem] AVGVSTINVS
quoque frequenter ac longo sermone affirmat probatque
Philosophiam, ac caeteras omnes in genuas disciplinas Dei
opera esse, non hominum inuenta, & de eadem Graecorum
Philosophia DAMASCENVS dicit [Et prius quidem apud Grae-
cos sapientum optima proponam sciens quod, si quid qui-
dem bonum, desuper à Deo donatum est hominibus, quia
omnis datio bona, & omne donum perfectum desursum est
descendens à Patre luminum] Quare tum rationibus, tum Pa-
trum auctoritatibus aperte concluditur ipsam Philosophiam
atque illi inseruientes liberales disciplinas Dei opera esse ho-
minibus impertita, ut eiusmodi adiumentis, ornamentisque
ad contemplandum, & agendum ipsi uterentur, sed alijs pra-
tarea

Strom. 1.6.

Strom. 1.6.

De Doctr.
Christi. 2.

terea Patrum testimonijs nominatim demonstratur easdem disciplinas opportunas, & utiles esse ad ipsam potissimum, **2. Argum.** Theologiam percipiendam, **DIONYSIVS** enim **AREOPAGITA** de Apolophane Philosopho sibi coquo uerba faciens dicit [Apolophanem etiam ipsum dico diuinis testimonijs nefarie in Diuina uti, rerum enim scientia, quæ ab eo recte Philosophia dicitur & à Diuino Paulo Dei sapientia appellata est, ad auctorem & rerum ipsarum & scientiæ uiri Philosophi excitari perducique debuerunt] & post pauca [Tu uerò, & quæ desunt supplere potes & perfectè offerre confectareque Deo uirum, qui magna sapientia est præditus, & qui forsitan non grauatè sustinebit placide sapientissimam Religionis nostræ ueritatem discere] **Illi uerò coquus CLEMENS ROMANVS** ait [Absurdum non erit si aliquid èt ex eruditione communi, ac deliberalibus studijs, quæ fortè in pueritia attigit, ad assertionem ueri Dogmatis conferat] **CLEMENS** autem **ALEXANDRINVS** de uno quoq; erudito homine generatim ait [Eum bene & utiliter eruditum existimo qui omnia refert ad ueritatem, adeò ut ex Geometria, & Musica, & ex Grammatica, & ipsa Philosophia colligens quod est utile nullis infidijs interceptam seruet fidem] **Et** rursus [Philosophia confert ad comprehendendam ueritatem, cum sit inquisitio ueritatis, non quod sit causa comprehensionis, uel causa cum alijs, & adiuuans, & fortè etiam causa adiuuans] loquebatur autem de ueritate, quã docet Diuina scientia, naturalis enim ueritatis cognoscendæ causa per se est Philosophia, non adiuuans concausa, atque eandem sententiam exprimens discipulis **ORIGENES** dicebat [Quid mali est eruditum esse, disciplinis optimis excoluisse ingenium, prudentem esse, & habere? Quid hæc obstant cognitioni Dei? an non potius conducunt ad consequendam ueritatem? est igitur res non mala eruditio uera, quippe quæ ad uirtutem uia est, sed erronea Dogmata habentes inter eruditos nemo sapiens numerat,

ne

ne græcus quidem, Rursus nemo non fateatur, bonum esse studere disciplinis optimis, sed quas tandem dicimus disciplinas, optimas, nisi ueras & excitantes ad uirtutem? Prudentia quoque res est egregia, non itidem uideri prudentem, quod **Celsus** dicit, & adeo non obstant cognitioni Dei eruditio, optimarum disciplinarum studium; Prudentia, ut adiuuent etiam **BASILIVS** uerò id ipsum pluribus exemplis confirmat, atque longo sermone concludit, inter cætera autem hæc dicit [Nobis utique certamen omnium certaminum maximū propositum esse putare oportet, pro quo omnia nobis pro uiribus & faciendis, & toleranda sunt, ad huius, præparationem & cum Poetis, & Historicis, ac Rhetoribus, & omnibus hominibus consuetudo habenda est, unde aliqua saltem utilitas ad animæ curam accessura est; Quemadmodum igitur tinctores ubi præparauerint prius curationibus quibusdam quodcunque tandem fuerit quod tincturam excipiet, ita tandem florem inducunt, siue purpura, siue aliud quid sit, eodem sane modo etiam nos, si ineluibilis nobis permanere debet honesti gloria, externis utique his præinitiatu deinde sacras & arcanas doctrinas audiemus, & assequemur, & uelut in aqua sale m uidere assueti, sic ipsi luci oculos admouebimus] & post pauca [Animæ præcipuæ quidem fructus est ueritas ipsa, non ingratum tamen etiam externam sapientiam circumdatam esse, uelut folia quædam, & tegumentum fructuum, & aspectum non iniucundum exhibentia; Dicitur itaque etiam **Moyfes** ille magnus, cuius maximum est in sapientia apud omnes homines nomen, in Aegyptiorum disciplinis mentem exercitasse, atque ita ad ueritatis speculationem accessisse, consimiliter autem huic etiam in posterioribus, temporibus sapientem **Danielem** in Babilone Chaldæorum sapientiam addidicisse & tunc sacras doctrinas attigisse tradunt, Cæterum quod quidem non inutiles sunt animis externæ hæc disciplinæ sufficienter dictum est.] Cum quo optime

Concione
ad adole
scentes.

C confen-

consentiens illi coniunctissimus GREGORIUS NAZIANZENVS ipsius quoque sententiam, quam probat, breuiter explicat [In artibus porro (inquit) ac disciplinis secundariam dum taxat curam operamque ponebat Basilius, hunc nimirum fructum ex ijs colligens, ut earum adiuumento ad nostram Philosophiam uteretur, quandoquidem earum facultas ad explicanda animi sensa comparanda est] Quibus omnibus subscribens THEODORETVS ait [Credite uestris saltem Philosophis o amici, qui uos praeuia quadam traditione disponunt, atque ad nostra percipienda erudiunt] A Graecis autem non dissentiuunt latini, HIERONYMVS enim non solum ratione, & exemplis plurimis ad Magnum scribens externarum scientiarum studium ac usum confirmat, sed illarum etiam infimas se non improbare alibi aperte fatetur dicens [Si quis artem nouerit Grammaticam, uel Dialecticam, ut recte loquendi rationem habeat, & inter falsa & uera diiudicet, non improbamus] AVGVSTINVS quoque tum singularum liberalium Artium operam Doctrinae Christianae perutilem esse frequenter asserit, tum de ipsa Philosophia nominatim hoc dicit [Philosophi autem; qui uocantur, si qua forte uera, & fidei nostrae accommoda dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam tanquam ab iniustis possessoribus in usum nostrum uendicanda] BOETIVS uero tum Philosophiae opera se uti profitetur in ipsis Theologicis quaestionibus explicandis, tum eiusmodi sensus & uoces utiles esse affirmat ad indignos Theologiae Auditores abigendos, inquit enim [Accirco stylum breuitate contraho, & ex intimis sumpta Philosophiae disciplinis nouorum uerborum significationibus uelo, ut haec mihi tantum, uobisque, si quando ab ea conuertitis oculos, colloquantur; ceteros uero ita submouimus, ut qui capere intellectum nequuerint, ad ea etiam legenda uideantur indigni] CASSIODORVS quoque & externam eruditionem ipse probat, & Patrum de illa sententiam refert

Or. in laudem Basil.

Li. de fide.

Ep. ad Magnum.

In Epi. ad Titum.

Doct. Christi. li. 2.
Doct. Christi. li. 2.

De Trinitate & Unitate Dei.

refert dicens [Veruntamen nec illud Patres sanctissimi decreuere ut secularium litteralium studia respuantur, quia non exinde minimum ad sacras scripturas intelligendas sensus non ster instruitur, si tamen Diuina gratia suffragante notitia ipsarum rerum sobrie, ac rationabiliter inquiratur; non ut in ipsis habeamus spiritus prouectus nostros, sed per ipsa transeuntes desideremus nobis à Patre luminum proficuum salutaremque sapientiam debere concedi] BEDA denique in eandem sententiam scribit [Turbat acumen legentium, & deficere cogit, qui eos à legendis secularibus libris omnibus modis existimat prohibendos, in quibus si qua inuenta sunt utilia, quasi sua sumere licet, alioquin Moyses, & Daniel sapientia, & litteris Aegyptiorum, Chaldeorumque non paterentur erudiri, quorum tamen superstitiones simul, & delicias horrebant; nec etiam ipse Magister gentium aliquot uersus Poetarum suis uel scripturis uel dictis indidisset; cur ergo legi prohibentur, quae tam rationabiliter legenda probantur?] Quod uero Patrum dictis demonstratur, idem grauisissimis exemplis confirmatur; Vt enim Scholasticos Theologos, ueluti recentiores praetermittamus, quos quidem Philosophiae deligentem, ac diuturnam operam nauasse nemo est qui dubitet, certe ipsi antiqui & sancti Patres, scripturae interpretes, & Ecclesiae Doctores, Aegyptiorum spolijs ita sunt locupletati, atque optimarum artium studijs eruditi; ut non solum Philosophiae studia attigerint, sed in ea celebres fuerint, & cum clarissimis Philosophis doctissime disputarint; Dionysius in primis Areopagita ex summo Philosopho illustris Theologus euasit, atque illi coaevus Clemens Romanus quam Athenis didicerat Philosophiam in diuinae cognitionis usum totam conuertit; Iustinus nomine & re illustris Philosophus, Theologus postea & martyr effectus est, eundemque disciplinae cursum tenuit, & uitae exitum habuit Pantænus Martyr, cuius discipulus Clemens Alexandrinus Philo-

De Institutione Diuinarum litterarum in proxima.

In lib. Regum.

3. Argum.

sophū se esse nec uerbis nec factis dissimulauit; qualis uerò, & quantus fuerit illa abunde declarant, quæ Theologicis scriptis ex intima Philosophia ille admiscuit, & Philosophica ipsa quæ seorsum scripsit; Eius uerò auditor Origenes Philosophiæ laude non inferior, quam magister fuit, is cum Celso Philosopho disputauit, difficillimas Philosophiæ quæstiones tractauit; omnium denique Philosophorum admirationem ita habuit, ut etiam Porphyrius Christiano nomini infensissimus illius scientiam laudare coactus sit; Quid autem Ammonius? nonne is Philosophiam cum Theologia ita coniunxit, ut ipso utramque publicè docente, ex illius schola, tanquam ex equo Troiano, innumerabiles, & maximè illustres Philosophi Theologicæ prodierint? Hunc tres sequuntur non minus Theologiæ, & Philosophiæ laude, quam ætate pares, Basilius scilicet & uterque Gregorius; Qui Porphyrij, Iuliani, & aliorum Philosophorum fallaces argumentationes diluerunt, impetus fregerunt, atque Christianam causam doctissimè defenderunt, multa que præterea de Natura & moribus uel seorsum tractarunt, uel in Diuinis commentarijs inseruerunt; De quo si quis dubitat, is omnem prorsus hæsitacionem abijciat, si quæ illi scripserunt, & quæ de ipsis scripta sunt accuratè legerit; Quibus succedentes Cyrillus Alexandrinus, ac Theodoretus eiusdem Iuliani atque Græcorum Philosophorum fallacias & dolos patefecerunt, ut potè qui illorum scientiam optimè nouissent, atque in eadem studia multam operam contulissent; Damascenus tandem Philosophi personam sapius sustinet, atque de rebus, etiam Dialecticis, & naturalibus seorsum tractat. Cuius scientiæ expertes non fuerunt ipsi latini Patres, inter quos celebres magis sunt Doctus ille Victorinus, atque ipso Doctior Augustinus, qui ex Platonica Plotini schola maxima sibi adiumenta comparauit; Quibus ætate posterior Boetius Peripateticam doctrinam commentarijs illustrauit, eamque cum

Plato-

Platonica coniunxit, Beda denique eiusmodi scientijs instructus, eisdem refertas edidit lucubraciones. Cæteros autè tum Græcos tum Latinos breuitatis causa silentio præterimus, quos tamen ferè innumeros recensere possemus non solum Philosophia excultos, sed omni liberalium disciplinarum genere præterea eruditissimos, ut potè qui cum scientia Diuina, & Humana, Historiam quoque & linguarum peritiã, eloquentiamque coniunxerunt, quæ tamen ornamenta docti postea scholastici neglexerunt; Insignem autem hanc tum rerum tum uerborum externam eruditionem in ipsis Patribus is facile agnoscat, qui illorum libros assidue uoluit, uel doctissimo Hieronymo testi fidem adhibebit, qui ad Magnum scribens eruditissimos aliquot enumerat, & plures adhuc percenset, cum Ecclesiasticorum scriptorum uitæ cursus, eruditionis genera, & doctrinæ monumenta recitat, uel etiam ipsius AVGVSTINI iudiciũ non aspernabitur dicentis [Nonne aspiciamus quanto auro, & argento, & ueste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor suauissimus, & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus? Optatus? Hilarius? (ut de uiuis taceam) Quanto innumerabiles Græci?] Quid mirum autem patres ipsos tanta eruditione instructos, ad Diuina arcana percipiendã se contulisse? cum optime illi scirent, & nos quoque legamus fuisse Moysen omni Aegyptiorum sapientia eruditum? & Daniele Chaldæorum disciplina, ac scientia imbutum? ipsumque Salomonem audiamus non solum magna, & excelsa, sed minuta quæque naturalia mente se comprehendisse, & de singulis scripsisse profitentem? Tot uerò sanctorum ac doctissimorum uirorum non solum dicta obseruare, sed exempla quoque imitari decet eum, qui in Diuina scientia plurimum proficere concupiscat. Singulas denique liberales disciplinas, atque omnem externam eruditionem Auditori Theologiæ magnos usus asserre ipsa inductione persuadere

C 3 possu-

Ep. ad Magnum.
De script. Eccl.

De Doctr. Chris. li. 2.

4. Argum.

Gramma.
& lingua-
rū peritia.
Aristo l. Pe-
riher.

possumus; Ex Grammatica enim ac linguarum peritia non mediocrem quidem fructum percepturum illum fatendum est, cum sint nimirum voces (vt ille docebat) eorum, quæ sunt in anima, passionum notæ; atque in his linguis, quas non intelligimus, surdi simus; uarijs autem linguis tum Prophetæ, & Apostolilocuti sunt, tum illi etiam (diuersè tamen) qui ipso forum scripta uel in aliam linguam conuerterunt, uel doctis & pijs cōmentarijs auserunt: Ad quorum omnium phrasès dijudicandas, plures & congruentes sensus eliciendos, amphiboliam euitandam, menda corrigenda, uerborum uim & proprietatem plenè cognoscendam habet linguarum notitia momentum maximum, eademque perutilis est ad differendum cum infidelibus, & ad diuersarum linguarum Catechuminos instituēdos, ut propterea sacro Canone sancitum sit uarias linguas in Academijs publicè doceri. Quid uerò Historia? nonne magnum ex ea fructum capiet Auditor? Qui temporum, locorum, hominum, ac rerum gestarum notitia præditus, scripturas facilius intelliget, impiorum calumnias propulsabit, ac uerum uero congruens esse cognoscet, propterea sancti Patres ipsius Historiæ testimonijs sæpissime usi sunt in impiorum obiectis argumentationibus diluendis, & obscuris scripturæ locis interpretandis; iccirco AVGVSTINVS Eusebij operam in conscribenda historia laudans dicebat [Eusebius temporum historiam conscripsit propter Diuinorum librorum quæstiones, quæ usum eius flagitant] idemque scribit Gentilium etiam historias magno usui esse ad scripturam sacram intelligendam, ex illarumque ignoratione nonnullos in varios circa scripturam errores incidisse demonstrat, quod posterioribus quoque temporibus plurimis accidisse ostendere facile possemus; sed de his aliàs, nunc autem reliquarum disciplinarum usus breuiter persequamur; Inter quas Artem ipsam differendi, quam logicam uocant, eidem Theologo usui fore quis dubitet? cum non solum ipsi Ecce-

Logica.

l. 2. de Do-
ctr. Christ.

l. 2. de Do-
ctr. Christ.

Clem. 1. de
magistris.

Historia.

siæ Doctores, sed Prophetæ quoque & Apostoli argumentis ac rationibus tum sua confirmarint, tum contraria sedulò refutarint; In Iob enim Diuina Prouidentia rationibus confirmatur; In sapientia Idololatria confutatur, & Deum^b esse ratione euincitur, In Ecclesiastico^c omnia in Mundo esse uanitatem concluditur. In^d Isaia Idolorum uanitas coràm Gentibus arguitur. Et Paulus quoque^e Apostolus mortuorum resurrectionem argumentatione probat, atque Christum Dei filium esse similiter concludit. Cum Christus præterea ipse argumentis huiusmodi sapius sit usus, ut exempli causa, cum immortalitatem animæ, & Resurrectionem, & Messiam Dei filium esse argumentatione colligebat. Tandem uerò cum tota ipsa scriptura non solum argumentis referta sit, sed argumentationi quoque suapte natura inseruiat, ut ea quis argumentando congruenter admodum utatur, de qua SCRIP-
PTVM EST [Omnis scriptura diuinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum] Pastori autem IDEM APOSTO-
LV S præcipiat [ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere] Quod quidem Theologo necessarium est, cui disputandum est cum Ethnicis, decertandum cum Iudæis, pugnandum cum Hæreticis; difficillimi quoque Theologiæ loci sunt ab eodem pertractandi, Quæstiones obscurissimæ explicandæ, multa diffinienda, plura distinguenda, plurima rationibus concludenda. Eapropter dicebat ORI-
GENES [Ostendamus ex sacris litteris, quòd etiam Diuina scriptura nos hortatur ad Dialecticam, alicubi Salomone dicente; Eruditio rationibus nõ examinata decipitur, alicubi huic attestante auctore libri sapientiæ Iesu Sirachi filio, scientia, inquit, insensati est sermo carens examine, itaque beneuolæ rationes apud nos sunt maxime, qui scimus quòd præpositus doctrinæ debet esse idoneus ad conuincendos qui conantur contradicere] Dialecticæ uero ἀντιστοχὸς ipsa Rhetorica, cum sit ad ueritatem, ac uirtutem ethymemate & exem-

a Sap. 14.
b Sap. 13.
c Eccl. 1. 2.
3. 4.
d Isa. 42.
e 1. Cor. 15
f Heb. 1.
Matt. 22.
Luc. 20.

1. Tim. 2.
Tim. 1.

Contra Cel-
sum li. 6.

Rhetorica

plo persuadendam accommodata, & ad permouendos animos efficax, doceatque apta & singulis congruente elocutione ea omnia dicendo explicare, quæ contemplando intelligimus, erit profectò hæc Dialecticæ iuncta comes; ipsi quoque Theologiæ, sed tanquam Ancilla, adiungenda; eius autem præcipuus usus quis sit, ipsi Theologo opportunus, & quonam eloquentiæ genere illū uti maxime deceat, paulò post de ipsa Rhetorica sermonē habentes accuratè explicabimus. Eidem uerò permagno usui Philosophiam illam, quæ de moribus est, quis non intelligit? ad mores nimirum cõponendos, atque ad ea intelligenda, quæ à Diuinis scripturis, sanctisque Patribus de Virtutibus, Vitijs, atque animi affectibus præcepta, ac tradita sunt. Restat iam de Naturali Philosophia, quæ cum à uoluptatum illecebris, & ab ijs, quæ vulgus imperitorum admiratur, nos auertat, ut res cognitione dignissimas contemplerur, erit quidem Theologo ualde opportuna, atque eò etiam magis, quod rerum naturas, uires, actiones, conditionesque distinctè ipsa explicat, & multa naturæ arcana perscrutatur ac referat; quorum quidem notitia ad scripturas interpretandas, sanctorum Patrum sententias percipiendas, & impios uiros, qui Philosophiæ tela nobis intendunt, suis gladijs conficiendos summopere conducit. Ad exercitium denique utilis est hæc ipsa scientia, ut eandem nimirum utilitatem Auditori nostro omnino præbent ipsi Philosophi, quam Mathematicas disciplinas sibi afferre iidem profitentur; abstrahendo enim contemplantes isti ad ulteriorem quandam abstractionem nos comparant Theologis ipsis germanam, ac familiarem; quem quidem exercitationis fructum minime contemnendum esse experientia ipsa demonstrat. Harum itaque scientiarū ac disciplinarum usus quosdam generatim breuiterque perstrinximus, ut hoc etiam argumento illarum eruditionem Theologo utilem esse probaremus. Quos autem usus tum Philo-

sophia,

Tit. de Rhetor. facultate.

Philosophia moralis.

Philosophia Naturalis.

sophia, tu ingenuæ singulæ Disciplinæ speciatim afferant ad ipsam Theologiam perdiscendam, docendamque, posterius loco opportuno inquiremus, eosdemque sigillatim ac fuscè examinantes distinctè explicabimus; hanc igitur disputationem in id tempus referuantes, ex his, quæ diximus, concludamus, utile omnino illi esse, qui ad Theologicas res scrutandas, tractandasque animum appulerit, in his omnibus disciplinis elaborare, atque ad singulas cognoscendas studium adhibere: Nisi quis tamen, quod rarò accidit, singulari quodam munere absque labore Disciplinas illas ab ipso Deo sibi traditas acceperit; Quod quidem Salomoni ipsi contigisse legimus; atque in humilioribus etiam artibus se idem quandoque præstitisse DEVS ipse testatur dicens [Ecce uocaui ex nomine Beseleel filium Huri filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum Spiritu Dei, sapientia, intelligentia, & scientia in omni opere ad excogitandum fabrè quicquid fieri poterit ex auro, & argento, & ære, & gemmis, & diuersitate lignorum] Hoc autem constituto, reliquum iam est, ut ad illa omnia respondeamus, quæ è contrario paulo ante obiecta totam hanc sententiam conuellere uidebantur.

Tit. de usu externarū disciplinarum.

Exod. 31.

Responsiones ad Argumenta è contrario allata.

Cap. VII.



T autem obiectas argumentationes facilius diluamus, atque responsionum uis & ueritas clarius appareat, nonnulla erunt in primis declaranda, quæ quidem sunt à cauto & prudente Theologo diligenter obseruanda; diximus enim, atque rationibus paulo ante cõclusimus, Dei donum esse Philosophiam, quod nunc quoque fatemur; sed illud præterea asserimus, non omnem prorsus Philosophiam Dei ipsius munere nobis esse tributam, Dæmones enim ac improbi præterea homines, si-

Philosophiæ plura genera.

cut

In Num.
hom. 18.

In Gen.
ho. 18.

cut Religionem imitantes, superstitionem in Gentes intue-
runt, ita Philosophiam imitatione simulantes, curiosa ac fal-
sa sophismata Gimnasijs importarunt, atque Philosophiæ ho-
nesto nomine summos errores illis obiecerunt; hinc uerò tot
Philosophorum ortæ sectæ, tot controuersæ, tot denique
de Deo falsæ opiniones prodierunt, quod quidem hominū
uitio ac Dæmonum culpa accidisse ORIGENIS etiam testi-
monio confirmare possumus dicentis [Ex ijs ergo omnibus
potest intelligi quomodo & Balaã dixerit de semetipso, qui
scit scientiam excelsi, scilicet ut intelligatur quod origo to-
tius scientiæ ab ipso acceperit exordium, Vitio autem huma-
næ malitiæ adspirantibus, & subripiantibus etiam Dæmoni-
bus in perniciem uersa sint, quæ pro utilitate concessa sunt]
Vt secundum iam sit hoc Philosophiæ genus cum primo pu-
gnans, cui tertium succedit ex utroque compositum; cum
enim huius, ut ita dicamus, Pseudophilosophiæ auctores ip-
si animaduertent, magna & impudentia mendacia ab in-
cautis etiam ac imperitis hominibus respui solere, illa eadem
ut facilius ipsi et uenditarent, ueræ sapientiæ callidè admi-
scuerunt, atque ex uero & mendacio compositam Philoso-
phiam quandam in medium protulerunt; Quod quidem ter-
tium philosophandi genus infidelibus ferè omnibus com-
mune fuit, inter quos præclarius philosophati illi esse uiden-
tur, qui paucioribus mendacijs permixtam scientiam profes-
si sunt, cuius Philosophiæ personam ille sustinebat Abime-
lech, qui cum Isaac non semper quidem pugnabat, sed quã-
doque cum eo pacem habebat, ut doctè obseruauit Orige-
nes. Tria igitur cū sint Philosophiæ genera, primum nos qui
dem omnino probamus, secundum repudiamus, tertium au-
tem propter primum sibi admixtum non penitus asperna-
mur, quod in eo prauum & falsum est cautè seiungentes, ue-
ra & bona omnia, ueluti nostris consentanea, auidè arri-
pientes, sanctos nimirum Patres secuti, inter quos DA MA-

SCENVS

SCENVS de hoc tertio genere cum loqueretur dicebat
[Apis modum imitans cum proprijs ueritates componam,
& ab inimicis salutem fructificabo] Quod Hebræos quoque
olim typo quodam fecisse iidem Patres in adumbrata imagi-
ne obseruarunt; illi enim ex Aegypto egredientes Aurum,
argentum, uestem, multamque ac magnificam supellectilem
ab impijs Aegyptijs Dei iussu abstulerunt, atque ad melio-
res usus transfulerunt, relictis tamen Idolis, & ijs omnibus,
quæ Israelitico Populo pestifera, ac detestabilia erant; quos
quidem nos imitari maxime decet, ut illis ex Philosophia
sumptis, quæ nobis usui esse ritè possunt, id omne quod ex
hoc tertio ipsius genere reliquum fuerit, vnà cum toto secun-
do eidem congruente respuamus, atque eiusmodi falsas af-
fersiones damnemus, & ipsa ueritate refellamus, totisque ui-
ribus contendamus, ut postrata tandem iaceat externa illa
scientia, quæ cum Religione, ac Theologia pertinaciter pu-
gnare non desistit, Moysen nempe auctorem secuti, qui cum
uideret adeo magnam Hebræo cum Aegypto luctationem
esse, ut non posset ipse in concordiam illos reducere, pugna-
cem is Aegyptium (externam. s. sapientiam) postrauit, ut ho-
ste extincto, ueram ipsam sapientiam, cuius typum Hebræus
ille gerebat, molestia liberaret. Omnia præterea superflua &
inutilia sunt ex eadem philosophia, atq; externa quauis eru-
ditione refecanda, ut eam tanquam alienigenam mulierem
rasis crinibus, reiectisque superfluis (quod scriptura monet)
ad Dei populum introducamus, atque ex Moabitide Israeli-
tem ipsam efficiamus. Tandem uerò in externis istis disci-
plinis addiscendis illud etiam est diligenter obseruandum,
ut scripturæ obtemperemus præcipienti, Ne multum simus
apud alienam, ibi scilicet, diutius commorantes, hærentes, ha-
bitantes, sed ipsum potius Abraham sedulò imitemur, qui
Theologi typum gerens, non prius quidem ex Sarra (sapien-
tia scilicet) liberos suscepit, quam cum Agar Aegyptia (mun-
dana

In Dial. Et.
August. de
Doc. Chris.
lib. 2.

Superflua
in externis
scientiis et
se refecan-
da.
Nō esse diū
immoran-
dum in ex-
ternis disci-
plinis.

dana uidelicet disciplina, mundus enim per allegoriam Aegyptus dicitur) congraderetur, paulò post autem ad Sarram uenit, & filio est auctus; sed Agar ipse (Philone interprete) dicitur incolatus, Sarra uerò meus principatus, ex quo nobis declaratur, Abraham quasi hospitem externis disciplinis eruditum esse, ex qua peregrinatione ad ipsam sapientiam, quæ principatum obtinet, amplectendam accessisse; quare Sarra egrè ferente quòd Agar (ut quidem suspicabatur) in maiore esset, quàm ipsa apud Abraham existimatione, illum ex animo scrupulum ipse euellens dixit, [Ecce ancilla tua in mente tua est, utere ea ut libet] perinde ac si diceret, externam quidem, ut iuniorem, amplector doctrinam, sed loco ancillæ habeo, sapientiam autem tuam, ut dominam ueneror, & colo. His autem positis ac declaratis, ad obiecta singula argumenta, & testimonia facile responderetur. Scriptura enim non ueram philosophiam, sed curiosam, & mendacem damnat, ut CHRYSOSTOMVS Apostoli uerba ad Corinthios scripta exponens docet, atque Hieronymus suammet sententiam aperiens eodem in loco aperte fatetur; is enim postquam dixerat [Et prudentiam prudentium reprobabo, eligendo piscatores artem Rhetoricam, ac Philosophiam reprobauit] (quæ uerba nobis paulò ante obijciebatur) statim declarat non omnem quidem humanam sapientiam Deum improbasse, sed curiosam, & fallacem, ueram autem & incorruptam à Deo ipso manare, inquit enim [Quæritur planè unde sit hæc sapientia, quam reprobat Deus, scriptum est enim, quòd omnis sapientia à Domino Deo est, id est de bona natura ducit exordium] ET post pauca [Hunc ergo sensum, quem Deus se ex creaturis cognoscendum, & suam uoluntatem inquirendam dederat, illi ad inquirenda superflua, & curiosa uerterunt] idem apertius explicat CLEMENS ALEXANDRINVS dicens [Sapientes autem eos dicens scriptura, non reprehendit eos, qui sunt uerè sapientes, sed

Gen. 6.

Resp. ad 1.
argum.
In epist. 1.
Cor. 1.In epist. 1.
Cor. 1.

Strom. l. 1.

sed eos qui sibi uidentur, de his autem dicit, Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium abolebo] ET rursum [Qui comprehendit sapientes in astutia ipsorum; Dominus enim solum cognoscit disceptationes sapientum quòd uanæ sunt; sapientes utique scriptura uocante sophistas, qui in dictionibus uersantur, & artibus superfluis, unde ipsi quoque Græci eos, qui in re aliqua curiose uersantur sapientes simul & sophistas denominatiue appellarunt; Cratinus itaque cum Archilochijs Poetas recensuisset, ait. Vobis sophistarum examen quòd prodijt?] Quòd uerò nec ipse Paulus Philosophiam in suis epistolis reprehendat, quamuis illam damnare uideatur IDEM CLEMENS interpretando ostendit dicens [Nam Paulus quoque in epistolis non uideatur reprehendere philosophiam, sed eum, qui est particeps altitudinis cognitionis, non uult amplius recurrere ad Græcam philosophiam, eam allegorice uocans mundi elementa, ut quæ elementa quodammodo doceat, & sit uelut disciplina præcedens ueritatem, quocirca ad Hebræos quoque scribens, qui à fide ad legem reflectebantur, An rursus inquit, opus habetis ut uos doceam quænam sunt elementa inuicij eloquiorum Dei, & facti estis opus habentes lacte, & non solidò cibo? similiter autem ad Colossenses quoque, qui conuertuntur ex Græcis; Videte ne quis uos deprædetur per philosophiam, & inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi, & non secundum Christum, significans elementalem doctrinam reuerti ad philosophiam] BERNARDVS uerò duplex falsæ sapientiæ genus agnoscens, utrumque à uerâ sapientiâ seiunctum apud scripturam improbari asserit inquit [Dicitur sapientia carnis quæ inimica est Deo, & sapientia huius mundi, quæ stultitia est apud Deum, utraque ista secundum Iacobum Apostolum terrena est, animalis, Diabolica, secundum hanc sapientiam dicuntur sapientes, ut faciant mala, bene autem facere

Strom. li. 6.

cere nesciunt, & in ipsa sua sapientia arguuntur, & perduntur, sicut scriptum est, Comprehendam sapientes in astutia eorum, & perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentum reprobabo, & utique talibus sapientibus uidetur mihi dignè & competenter dictum Salomonis aptari, qui ait, est malitia quam uidi sub sole, Virum qui uidetur apud se sapiens esse] secundum autem argumentum ex ijs, quæ paulò ante de triplici Philosophiæ genere explicauimus, facillimè diluitur; primum enim genus ex Deo esse diximus, secundum, illi maximè aduersum, commentitium esse tum nebulorum, tum etiam Dæmonum inuentum; tertium autem, cuius personam, ut diximus, sustinebat Abimelech, medium quoddam genus esse ex utroq; compositum, quod quidem à uera sapientia cum sit aliquando distractum, nonnunquam etiam ad illius concordiam non grauatè adducitur.

In epist. ad
Cor. ho. 7.
Ad 3. argu.

CHRYSOSTOMVS itaq; de secundo genere loquebatur (curioso scilicet, redundante ac pernicioso) ut hæc, quæ illa nobis obiecta proxime sequuntur, uerba apertè declarant, [Nam sapientiam hoc loco curiosam appellat inquisitione, & superfluam eloquentiâ] Ad id uerò quod tertio loco obijciabatur, dicimus Theologiæ perfectionem ac maiestatem nequaquam imminui si illi tanquam ancilla, ipsa adiungatur Philosophia, cuius quidem semina quamuis in Diuina scriptura sapientes agnoscant, seligant, eruant, eadem tamen ab ipsis Philosophis clarius quodammodo exprimi, ac fusius uberiusque explicari potuerunt, atque plurima præterea feminibus illis congruentia humana ratione excogitari, quibus omnibus Theologum uti ad arcana diuina perscrutanda, discenda, & explicanda honestum ac decorum esse Patres ipsi maximè iudicauerunt, quod quidem Clemens Alexandrinus expresse affirmat, nec cum eo pugnare demonstrat, quod alibi ipse dixerat, & nobis obijciabatur, perfectam scilicet esse Theologiam & nullius indigentem, tanquam Dei uirtutem & sapientiam, eundem

Secom. l. i.

dem igitur suamet dicta interpretantem audiamus. Ex his quæ adiuuant, & cooperantur alia maiorem, alia uerò minorem uim afferunt, perspicuitas itaque opem fert ad tradendam ueritatem, & Dialectica ne prosternatur ab Hæresibus, quæ faciunt incurfiones, & est quidem per se perfecta, & nullius indiga, cum sit Dei uirtus & sapientia, accedens autem Græca Philosophia non ueritatem facit potentiolem, sed debilem aduersus eam efficit sophisticam argumentationem, & propulsans dolosas aduersus ueritatem insidias dicta est uincæ apta sepes & uallus] CYRILLE quoque uerba nobis obijciabatur, qui dixerat [Ex sacris litteris Diuinæ scripturæ omnigenam uirtutem discimus] sed ille sententiam apertius explicans, atque externarum Disciplinarum utilitatem monstrans, statim adscripsit [Vt mur autem Græcorum sermonibus, ut uobis uerè eruditionis præexercitamentum sint] AVGVSTINVM præterea idem profusus sensisse tum ipsius ex contrario iam adducta testimonia facile ostendunt, & totus secundus liber de Doctrina Christiana apertissime probat, tum eo in loco nobis obiecto eiusdem antecedentia uerba id ipsum planè declarant, sunt uerò hæc. [Quantum autem minor est auri, argenti, uestisque copia, quam de Aegypto secum Populus ille abstulit in comparatione diuitiarum, quas postea Ierosolymæ consecutus est, quæ maxime in Salomone Rege ostenduntur, tanta sit cuncta scientia, quæ quidem est utilis, collecta de libris Gentium si Diuinarum scripturarum scientiæ comparetur] Quæ autem sit hæc externarum scientiarum utilitas tum generatim iam exposuimus, tum paulò post, (Deo dante uberius, ac sigillatim explicabimus. Restat iam ut ad singulas Patrum auctoritates respondeamus, quæ quidem ultimo loco ab aduersarijs obijciabatur. CLEMENS igitur ALEXANDRINVS à seipso non discedens, qui quidem externam eruditionem sapientissime laudat, eo in lo-

Cont. Iulianum. li. 7.

De Doctr. Christi. 2.

Tit. De usu externarum Disciplinarum.

co ab aduersarijs selecto, ut nobis opponeretur, non bonas artes, nec illam, quæ uerè logica est, sed sophisticam artem reprehendit; quæ quidem, ab ipsis quoque Philosophis iam explosa erat, Hanc uerò fuisse CLEMENTIS sententiã ista, quæ proxime antecesserant, uerba abundè declarant [Ars autem sophistica, quam sectati sunt græci, tanquam rem præclaram, ac magnificendã, est potestas phantastica, seu quæ uisione percipitur, uerbis falsas opiniones tanquã ueras ingerens, præbet enim ad persuadendum quidè dicendi artè, ad contendendum uerò litigandi, ac decertandi artes, ergo, si non fuerint cū philosophia, fuerint cuilibet exitiales, Apertè itaq; Plato malã artè appellauit sophisticã, & eum sequens Aristoteles eã quandã furandã artem pronunciat] Tertullianus autem, Gregorius, & Eusebius de curiosa ac falsa Philosophia tunc loquebantur, quam quidem nos quoque damnauimus, in secundo illo pernicioso Philosophandi genere eam reponentes. Basilius etiam liberales doctrinas, atque ingenuas non improbat, quas sæpius laudauit; sed peruersam nonnullorum sapientiã damnat, Quis enim Poëtarum de Dijs obscenas fabulas? sophisticarum captiosas argumentationes? Epicuri denique mollem ac languidam Philosophiã probare unquam posset? is igitur malarum disciplinarũ ignorationem multo utiliore, quàm ipsarum studium esse iudicauit, quibus quidem deprauati si qui adolescentes fuerint eosdem (nisi fortè illas ante dediscant) ad Theologiã percipiendam ineptiores putat, hãc enim incitiam ignorantiam, que ipsi etiam Philosophi (qui eam prauæ dispositionis uocant) peiorè esse illa, quæ negationis dicitur, constanter asserunt, id uerò ipsum sensisse BASILIVM ea docent, quæ nos ex eius cõcione ad adolescentes paulò ante protulimus, & hæc, quæ in eadem obiecta epistola ad Gregorium scripta sequuntur, uerba apertè ostèdunt [Præparatio autem cordis est dediscere doctrinas, quæ ex praua consuetudine ipsum præoc-

Epist. 1. ad
Gregoriũ.

cuparunt,

cuparunt; neq; enim in cera scribere possibile est, insitis prius characteribus non deletis, neq; animæ diuina Dogmata apponi anticipationibus ipsius ex cõsuetudine non prius exemptis] CHRYSOSTOMVS quoque de curiosa, & captiosa Philosophia profectò loquebatur, si aliquando assererat illã Theologiæ esse impedimento, quamuis eo in loco nobis obiecto, si uerum ipsum fatendum est, non quidem de Theologia scientia sermonem habebat, sed de simplici fidei comprehensione, ad quam adipiscendam meritò inutilem asserit Philosophiã; id uerò ex his statim adscriptis uerbis non obscure declaratur [Propterea fide, & simplicitate opus est, & ea ubique perquirenda, & exteriori præferenda sapientiæ; stultam, inquit enim, fecit Deus sapientiam, sed quidnam stultam fecit, significat? hoc est stultam ostendit ad fidei comprehensionẽ] Epiphanius uerò Hæreticis Peripateticam doctrinam aliquãdo obiecit, atque Hieronymum existimasse Arianos ipsos plura ab Aristotele mutuatos esse, mirum esse non debet, cum nos quoque fateamur huius scriptoris Philosophiam medijs illius esse mixitique generis, quod nos tertium paulo ante uocabamus, et si aliquando etiã accidat, ut bene dicta male intelligantur, quod quidem Pauli epistolis accidisse Petrus ipse testatur, atque Aristotelis scriptis sæpius contigisse, non coniectura, sed certissimis exemplis demonstrare possemus, quo in errore hæreticos homines in primis uersatos esse incredibile nobis nõ uidetur. FIRMIANVS autem externas Disciplinas reprehendit à Religione disiunctas; cum quã si coniungantur, easdem summopere laudat, quod hæc sequentia uerba apertè declarant [Ob eam causam uolui sapientiam cū Religione cõiungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina possit officere, ut iam scientia litterarum nõ modò nihil noceat Religioni atq; iustitiæ, sed etiam possit quam plurimum, si is q; eas didicerit sit uirtutibus instructor, & ueritate sapietior] AVGVSTINVS tandem eos reprehendebat, qui disciplinas il-

In epist. ad
Cor. ho. 4.

De iustitia.
lib. 5.

D las

las, quas ipsi profitentur, legi Dei antepōnere nō erubescūt, de eiusmodi nāq; litteris tunc ipse loquebatur; cōtrā uerò sēpius illos laudat, qui Dei legem suā ipsorum scientiā libēter praeferre solent, quod etiam hęc, quæ eo in loco proximè antecesserunt, uerba declarant [Hic enim prudens Deo est, & salutis suæ memor, qui scientiā suā antepōnit Dei legem, quā utique uidet non uerborum strepitu fulciri, sed rerum uirtutibus; & sine dubio hic stultus & uanus est, qui huic rei se cōmendat, quæ nulla munitur praeuatiua signorū] cuius quidem Augustini sententiam si quis planè cognoscere desiderat, is legat eiusdem secundum librum de Doctrina Christiana, in quo ipse Augustinus non solum asserit, sed abundè etiā probat Philosophiā, ac singulas praeerea liberales Artes permagno usui esse ad percipiendam tractandamq; Theologiā. Quare singulis iam aduersariorum argumentationibus dilutis firmior apparebit sententia, quæ asserit utiles & honestas esse externas Disciplinas, dummodo fides & mores antecendant, illę sequantur, quam sententiam paucis uerbis completens BERNARDVS dicebat [Non tamen dico contemnendam, aut negligendam scientiam litterarum, quę ornat animam, & erudit eam, & facit ut possit etiam alias erudire; sed duo illa oportet & expedit ut praeceant, in quibus summam salutis constitui superior ratio declauit] Eapropter callidus ille Apostata Iulianus hanc externæ eruditionis utilitatem agnoscens, ne Christiani homines, quos opprimere cogitabat, his adiumentis confirmari; artem arte deludentes, eius impetum facilius propulsarent, his studijs lege ipsis interdixit. Perdifficili autem & (ni fallor) utili, vel potius necessaria quęstione fusè explicata, atque eo explorato, & perspecto, de quo maxime ambigebatur, nunc quasi euulso scrupulo, cętera Auditoris adiumenta, ornamentaque opportunè persequamur.

Erudi-

Eruditioni adiungendam esse Charitatem, & Humilitatem asseritur. An autem oporteat Auditorem pauperem esse, & mendicum quaeritur. Cap. VIII.



QVONIAM uerò externa scientia inflat, ei comes adiungenda est ipsa charitas, quæ ædificat, sine qua [Si quis se existimat aliquid scire, (dicebat PAVLVS APOSTOLVS) nondum cognouit quomodo oporteat eum scire, nescit enim quomodo utendum sit scientia, quod praecribit ea, quæ non inflatur charitas] propterea AVGVSTINVS monebat [Amate scientiam, sed antepōnite charitatem, scientia si sola sit inflat, quia uerò charitas ædificat, non permittit scientiam inflari] Nec solum ad scientiæ rumorem comprimendum Charitatis adiumentum est Auditori cōparandum, sed & diuina praeerea arcana, quasi clauē, referanda; dicebat enim CLEMENS ROMANVS [Sicut Montes & terram cęli ambitu (Deus. s.) circumdedit, ita & ueritatem charitatis suæ uelamine contexit, ut ille ad eam solus peruenire possit, qui prius ianuam dilectionis diuinæ pulsa uerit] Et rursum [Hi uerò qui eius affectum minime concipere, nec illuminatam charitatem eius gerunt, mente uelut in tenebris positi, lucem uidere non possunt; & ideo et prius quam incipiant requirere de Deo quasi labore oppressi statim deficiunt] cum quo consentiens AVGVSTINVS inquit [Si ergo in charitate proficiatis, quam diffundit in cordibus Spiritus sanctus, docebit uos omnē ueritatem; uel sicut alij codices habent, deducet uos in omni ueritate; unde dictum est, Deduc me Domine in uia tua, & ambulabo in ueritate tua, sic fiet ut non à Doctoribus exterioribus illa discatis, quę noluit Dominus tunc dicere, sed sitis omnes docibiles Dei] Ex quo colligitur Schismaticos in primis, qui fidelium uinculū

1. Cor. 8.
1. Cor. 8.

Recogn. 3

Recogn. 3

In Eu. Io.
trac. 96. de
c. 16.

D 2 dissol-

In Quęst.
mixtim.Super Cāt.
Cāt. ser. 37.

Humilitas. dissoluunt, Ecclesiae societatem unitatēq; dirumpūt, Christi denique uestem discindunt, à Theologorum scholis arcendos esse. A charitate autem non est disiungenda fidelissima eius socia Humilitas, qua cum aliquando carerent ipsi Philosophi, ut inquit AMBROSIVS [Dicentes se esse sapientes, hoc est non in Deo, sed in semetipsis gloriantes, quasi ad ueritatis inspectionem suis studijs atque rationibus propinquassent, euauerunt in cogitationibus suis; Et quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcecati superbia perdiderunt] propterea monebat CASSIANVS [Festinandum igitur tibi est si ad ueram scripturarum scientiam peruenire desideras, ut humilitatem cordis immobilem primitus consequaris, quæ te non ad illam, quæ inflat, sed ad eam, quæ illuminat scientiã, charitatis consummatione perducatur] Atque in eandem sententiam dicebat ROMANVS GREGORIVS [Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi sapientes uidentur, quia ab eius luce longè sunt, quanto apud semetipsos humiles non sunt, quia in eorum mentibus dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, & unde se lucere præ cæteris æstimant, inde se lumine ueritatis priuant] Quibus subscribens BERNARDVS ait [Aduertisne quàm uerum sensit Apostolus, quia scientia inflat? Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, quòd id postulet ratio & utilitatis, & ordinationis; & ordinationis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis, utilitatis uerò, quia talis scientia non inflat, sed humiliat, & est quædam præparatio ad ædificandum; nisi enim super Humilitatis stabile fundamentum spirituale ædificium stare minime non potest] Est itaque Humilitas Theologiæ studioso apprimè necessaria, qui, ut non sit inter alta sapientes, sed inter humilibus consentientes, debet seipsum statuere ante faciem suam, suam secum reputans imbecillitatem; ita fiet ut nihil agat per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in ipsa Humilitate superiores se

alios arbitretur; Deus autem, qui superbis resistit, & humilibus dat gratiam, dabit illi intellectū, quo possit ipsius mysteria scrutari, & audita percipere; clamat enim SAPIENTIA [Si quis est paruulus, ueniat ad me] & REDemptor noster dicebat [Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis] sed quæret fortasse aliquis; An hunc, quem diximus humilem & pauperem spiritu Auditorem, oporteat etiam esse re ipsa inopem & mendicum, cum in ipso Euangelio laudetur is, qui inuenta una pretiosa margarita, uendidit omnia quæ habuit, & emit eam; Quæ autem pretiosior est margarita, quàm sit ipsa diuina scientia? & DOMINVS præterea dicat [Qui non renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus] ATQVE alio in loco [Si uis perfectus esse, uade, uende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me] Theologiæ uerò studiosum ad perfectionem aspirare quis dubitat? cui etiam SCRIPTVM EST [Vacate & uideate quoniam ego sum Deus] Qui autem bona possident, quomodo poterunt cura & negotio vacare, ut Deum contemplantur? certè de illis dicebat BASILIVS [Impossibile est facientem peccatum, aut uitæ negocijs implicatum, aut curam rerum ad uitam necessariarum gerentem seruire, nedum Discipulum esse Domino] Atque illo ætate superior ATHANASIVS assererat, omnem prorsus curam diuitiarum, ac negociorum illi abiiciendam esse, qui ad Diuina contemplanda idoneum se comparare studuerit [Cum enim corporalibus (inquit) commercijs non immiscetur mens humana, neque ullam ex rebus extraneis admixtam trahit cupiditatem, sed sibi tota adest, ut à principio condita fuit, tunc sensibilia, & omnia humana transcendens in sublime euolat, & uerbū intuetur] Quod quidem utroque uetustior vir Apostolicus CLEMENS ROMANVS multo antea docuerat dicens. [Quis est qui assiduus sit erga doctrinam; & studiosè singula quæ

Prou. 9.

Matt. 11.

Dubitatio.

Matt. 13.

Luc. 14.

Matt. 19.

Psal. 45.

De Baptismo li. 1.

Orat. contra Idola.

Recog. li. 3.

quæ perquirat? nisi qui animam suam diligit ad salutem, & omnibus renunciat huiusmodi negociis, ut soli Dei verbo uacet, quem solum prudentem iudicat uerus Propheta uendentem omnia quæ sua sunt, & e mentem unam utram margaritam] Quibus subscribens pius uir **DIABOCVS** ait [Pauper enim (inquit) & inops laudabunt nomen Domini, nec enim charisma Theologiæ, idest tractationis uerbi Dei, ulli à Deo præparatur, nisi se ipse ita præparauit, ut præter gloriam Euangelii Christi omnium bonorum suorum relinquat possessionem, ut in paupertate Deo amica diuitias Euangelii Regni Dei prædicet; hoc enim perspicue significauit qui dixit, Parasti in bonitate tua pauperi Deus, & subiungit Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa] Id ipsum uero non solum uerbis, sed uita quoque & factis illustriū Theologorum confirmari posset, qui contemplationi dedit patrimonium sponte relicto, in Monasterio, atque egestate uitam degerunt, ac nobis clarissima ad imitandum exempla proposuerunt; Ad hæc autem respondere operæ pretium erit, durior enim hæc uidetur opinio & uix ferenda conditio; quã ne inuito Auditori statuamus prouidendum omnino est; ea igitur quæ obijcebantur unice **AVGVSTINI** responsione refellemus, qui ait [Ostendit Dominus filios sapientiæ intelligere, nec in abstinendo nec in manducando esse iustitiam, sed in æquanimitate tolerandi inopiam, & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi, atque opportunè sumendi; uel non sumendi ea, quorum non usus sed concupiscentia reprehendenda est] In ipso igitur Auditore si nulla sit diuitiarum, & pecuniæ cupiditas, nulla sollicitudo, nulla cura, nec solum quibus contemplandi studium anteponat, sed illas quoque nihili faciat, quas si contingat amittere, æquissimo animo ferat, sciat denique cum **APOSTOLO** abundare; & penuriam pati; ut si diuitiis ipsum affluere fortè contingat illis quidem frugaliter, & cum gratiarum actione utatur, alio

rum

rum inopiam subleuet, claritatem exerceat, faciatque sibi (ut euangelium monet) amicos ex mammona iniquitatis, qui illum recipiant in æterna tabernacula, non erit profectò, hic ille diues, quem impossibile sit intrare in Regnum coelorum, qui nec possit Christi esse discipulus, & illum sequi, uel scientiæ studio uacare, pretiosam margaritam emere, & uitæ denique perfectionem consequi; Ita enim ipsi Patres & suam et dicta, & Christi præcepta piè interpretantur; quod autem reliquum est, consilij esse dicunt, ut de Diuitijs suo loco tractantes fusius explicabimus. Quod si quis spontè patrimonio se abdicauerit, uehementer illum ipsi quidem laudant, prædicantque eundem sibi munire apertam, simplicem, directam, & compendiarium perfectionis uiam; Unusquisque igitur abundet in sensu suo, ac diuitijs affluens pauperem laudibus extollat, pauper uero iste eundem diuitem minime contemnat.

Quod Auditoris precibus ipsi necessaria, atque opportuna Spiritus sancti Dona impetrentur. Cap. IX.



QUONIAM uero nulla humana ingenij acies tanta est, quæ sola penetrare in ipsa Diuina arcana possit, seipsum noscens eruditus Auditor, & suam secum imbecillitatem animo agitans, ad Dei opem supplex utique confugere, eundemque precari ac implorare sedulo debet, ut Spiritus sancti præclarum lumen in ipso accendat, cuius fulgore mens illustrata Diuina mysteria intelligat; is igitur cum **PROPHETA** exclamet [Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua] A precibus autem inchoandum esse in omni quidem actione Patres consulerunt, in hac uero præcipue & nominatim iidem sedulo

com-

Cap. 66.

Responsio.

Quest. 5.
uulg. 11.

Philip. 4.

Psal. 118.

De Div.
nom.

De Dogm.
& statu epi
scoporum.

In Gen.
hom. 4.

In Cant.
Cant.

De Doctr.
Christ. li. 3.

De Tim. li.
15. c. 26.

commonuerunt; eapropter **DIONISIUS** **ARROPA** **GITA** dicebat [Quo circa antequam aliquid agamus, aut dicamus, maximeque quod ad Deum pertineat, à precibus nobis ordiendum est, non ut uim illam ubiq; præsentem, & nusquam absentem trahamus, sed ut Diuinis commentationibus inuocationibusque nosmetipsos & trahamus, & coniungamus] Id ipsum **GREGORIUS** **NAZIANZENSIS** monebat inquit [Si quid me audiendum putas, Theologum non maxime audacem, ut nonnulla iam percepisti, ita ea quæ supersunt, ut percipias roga, precibusque contende] atque in eandem sententiam **CHRYSOSTOMVS** dicebat [Igitur quia tam bonus tamque liberalis Dominus nobis est, age & nos ad ipsum confugiamus, & eius nobis gratiam conciliemus, ut & ipse pro sua misericordia illustret nostram mētem ad uidendam Diuinarum scripturarum uirtutem] cum quibus consentiens **THEODORETVS** ait [Neque uerò Deum ore sumpsimus, cuius auxilio, tanquam factitio lumine uteremur, sed orationem ac preces, quarum præsidio potissimum egent ij, qui ad sacro sanctæ scripturæ cognitionem cupiunt peruenire] Idem quoque senserunt latini Patres; propterea dicebat **AVGVSTINVS** [Non solum admonendi sunt studiosi uenerabilium litterarum, ut in scripturis sanctis generalocutionum sciant, & quomodo apud eas aliquid dici soleat uigilanter aduertant, memoriterque retineant, uerum etiam, quod est præcipuum & maxime necessarium, orent ut intelligant; in eis quippè litteris, quarum studiosi sunt, legunt; Quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia, & intellectus, à quo & ipsum studium, si pietate præditum est, acceperunt] Et alio in loco [Cum inconcusè crediderint scripturis sanctis, tãquam ueracissimis testibus, agant orando, quærendo, & bene uiuendo, ut intelligant] cuius quidem orationis uim tantam esse illustribus exemplis Patres testati sunt, ut non solum eruditi uiri illius usu clarissimi Theologi sapius euaserint, sed idio

tæ

tæ quoque, & planè indocti homines solius orationis efficacia, quæ nunquam dedicerant, intellexerint, atque difficillimos scripturæ locos sint interpretati, cuius rei testè nūc **CASSIODORVM** solum producemus dicentem [Nec me præterit eloquentissimum **Cassianum**, in quinto collationum dixisse uolumine, quendam senem & simplicè de obscurissimo loco scripturæ Diuinæ fuisse requisitum, eumque oratione creberrima superno lumine cognouisse, ut quod ante per humanos magistros non didicerat; subito diuina inspiratione, completus quærentibus res difficillimas explanasset: Simile est & illud sancti Augustini dictum, quod in libris de Doctrina Christiana commemorat, quendam famulum barbarum litteris imperitum orationibus crebris ita sibi traditum codicem subito legisse, quasi in schola fuerit longis meditationibus eruditus] **BERNARDVS** denique orationis uim & necessarium usum ad diuina contemplanda breuiter complectens dicebat [Oratio cum deuotione contemplationis acquisitiua, contemplationis adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa] Has autem pias preces audiens ipse Pater luminum à quo omnis, qui petit, accipit, mittit spiritum suum, quo orantis animam mentemque in primis purget, & ad se ipsum attrahat, quod obseruans **CLEMENS** **ALEXANDRINVS** dicebat [Oportet quoque mentem habere sanam, & quæ nulla retardetur pænitiã à bona uenatione, ad quod quidem maxime Diuina opus habemus gratia, rectaque doctrina, castaque & munda animi affectione, & Patris ad ipsum attractione] Deinde uerò eiusdem mentis oculos ipse aperit, sicut oculos Agar olim aperuit, quæ statim aquæ uiuæ puteum uidit, ut. f. Diuinorum arcanorum splendore ipsa allecã, illorum maiestatem suspiciat ac ueneretur, atq; eiusmodi admiratione affecta ad cõtemplationem maxime excitetur, quod significans **PROPHETA** dixit [Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua] statim quoque os eiusdem aperit,

De Institu-
tione Diu.
litterarum
in proem.De scala
Claustr.

Matt. 7.

Strom. l. 5.

Psal. 118.

In Isa. li. 4.

In exod.
kom. 3.

Iacobi x.

Ioan. 2.
Psal. 118.In Gen.
hom. 21.

Hier. 24.

Isa. 11.

De Spiritu
sancto.De scala
Claustr.

rit ac linguam soluit, non quidem ad docendum, hoc enim ad Doctorem perinet, sed ad quærendum, & interrogandū, quod Auditoris est proprium, propterea dicebat CHRYSOSTOMVS ab Isaia illud sumens [Dominus dat mihi linguam disciplinae, ut sciam quando oporteat me loqui uerbum] Tandem uerò eiusdem aures mirè aperit (Disciplinae scilicet sensum) ut Diuinorum uerborum sit uerus, & germanus Auditor; quod pulchrè notat ORIGENES dicens [Sicut aperit os sanctorum, ita puto quod & aures sanctorum Deus aperiat ad audienda uerba Diuina, sic enim dicit Isaia Propheta, Dominus mihi aperuit aurem, ut sciam quomodo oporteat dici uerbum] Purgata uerò anima, atque ex perrectis sensibus idem Pater luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, mentem ipsam illuminat Diuino illo Spiritu, qui docet omnem ueritatem, & cuius uentio, ut Ioannes scribit, docet nos de omnibus, eamque ornat intellectus dono, quod PROPHETA postulans dicebat [Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam] ut enim CHRYSOSTOMVS ait [Non opus habet Diuina scriptura hominum sapientia ut intelligatur, sed reuelatione spiritus, ut hausto inde uero sensu magnum nobis hinc lucrum accrescat] illuminata iam mente eandem IPSE perficit, qui dicit [Dabo eis cor ut sciant me] scientiam itaque tribuit & sapientiam; ut enim ISAIAS inquit [Sapientia, pietas & scientia à Domino est] Propterea dicebat DIDYMVS [Spiritus inuisibiliter menti in sinuat scientiam diuinorum, nam & Pater sic docet discipulos suos, dicente illo, qui ab eo doctus fuerat, Deus docuisti me sapientiam, & audacter alio conclamante, Docuisti me Deus à iuuentute mea, atque ita omnes fiunt docti] Hæc autem sapientia non solum rerum maximarum notitiam complectitur, sed mira etiam iucunditate mentem ipsam perfundit, quam agnoscens, ac ipsæmet sentiens BERNARDVS dicebat [Spiritus sapientiae, qui solus dat ueram sapientiam, sapi-

dam

dam scilicet scientiam, quæ animam, cui inhæsit, inæstimabilis sapore iucundat, & reficit, & de illa dictum est, sapientia non intrabit in maleuolam animam] Quam quidem sua uisissima esse quis miretur? cum eam Deus ipse tanquam filiolam osculetur, spiritu nimirum suo, qui osculum dicitur charitate feruidum, cuius effectus eleganter exprimens idem BERNARDVS ait [Petit (anima. f.) osculum, id est spiritum sanctum inuocat, per quem accipiat simul & scientiæ gustum, & gratiæ condimentum; & beneficientia, quæ in osculo datur, cum amore recipitur, quia amoris indicium osculum est; scientia ergo quæ inflat, cum sine charitate sit, non procedit ex osculo; sed nec qui zelum Dei habent, & non secundum scientiam, sibi ullatenus arrogant illud, utrumque enim munus simul fert osculi gratia, & agnitionis lucem, & deuotionis pinguedinem, est quippe spiritus sapientiæ, & intellectus, qui instar apes ceram portantis & mel, habet omnino, & unde accendat lumen scientiæ, & unde infundat saporem gratiæ: Neuter ergo se osculum percepisse putet, siue qui ueritatem intelligit, nec diligit, siue qui diligit, nec intelligit, sane in osculo isto nec error locum habet, nec tepor] Quod osculum unusquisque Auditor supplex petat ad perfectionem ipsam aspirans; interimque Naturæ, morum, eruditionis, atque Spiritus sancti opportunis præsidij ad discendum paratus legat, audiat, meditetur assidue.

In Cant.
Cant. serm.
8.

I V L I I R V G E R I I
O P V S C V L V M
D E Q V A E S T I O N I B V S .



*In quo examinatur, An Querere & disputando ali-
quid inuestigare Theologo liceat, expediatque,
& quando & quomodo, & qui-
bus de rebus.*

I N D E X.
CAPITVM OPVSCVLI
 DE QVÆSTIONIBVS.

- Cap. 1. Propositio,
- Cap. 2. Argumenta, quibus probatur inutiles, & prauas esse Quæstiones omnes.
- Cap. 3. Argumenta, quibus probatur Quæstiones esse utiles & laudabiles.
- Cap. 4. Quòd Quæstionum genus uniuersum sit indifferens, cuius species alię sint laudabiles, alię uerò uituperatione dignæ.
- Cap. 5. Quanam Quæstionum species uitiosæ ac stultæ dicantur, Quæ contra honestæ sint & laudabiles.
- Cap. 6. Quot & quæ de Nomine haberi Quæstione possint, & quanam illarum uel stultæ sint, uel laudabiles.
- Cap. 7. Quanam Quæstiones causa Medij laudabiles, uel stultæ dicendæ sint.
- Cap. 8. Quæ intentionis & scopi causa sint laudabiles, uel stultæ Quæstiones.
- Cap. 9. Quòd omnia ab omnibus quæri non debeant, sed definitæ res à definitis personis quærendę sint.
- Cap. 10. De Quæstionibus eorum, quæ sensu, & Ratione inuestigari possunt.
- Cap. 11. De Quæstionibus eorum, quæ ad fidem pertinent.
- Cap. 12. De Quæstionibus eorum, quæ ad Theologiæ sciẽtiam pertinent,
- Cap. 13. De Quæstionibus eorũ, quæ ad Beatorum uisionem pertinent.
- Cap. 14. Responsiones ad Argumenta, quæ aduersus uniuersum Quæstionum genus afferbantur.



VM permulti tanto quærendi studio flagrent, ut curiosè omnia conquirant, importune interrogent, de friuolis altercando differant, aliena, uana, infructuosa perscrutentur, ea tandem quę nec fieri, nec cogitari etiam quandoquę possunt, & ad quæ intelligentia penetrare homini non licet, inquirendo tamen cognoscere, ac definire temerè tentent. Alij contra oscitantes nihil quærant, præter id quod palàm scriptũ est, aliquid percunctari nefas ducant, solertes & discernendi arte eruditos sophistas uocent, inquirendo denique ac disputando ueritatem & fidem ipsam amitti prædicent. Videndum profectò erit utri harum sententiarum sit assentiendum, uel, si neutra probanda est, tertia erit ferenda, & modus Quæstionibus constituendus, quem adhibentes Theologi iusta reprehensione careant. Cum itaque Quæstio uerbum sit ambiguum, cuius multiplices sunt significationes, statuendum in primis est sub hac uoce quæ sit nobis subiicienda sententia: est igitur Quæstio, (de qua uerba facturi sumus) Inuestigatio rei incognitæ, quæ nodi propositi solutione terminatur. De hac Quæstione dubitatur an eam asserre Theologo liceat, & quando, & quomodo, & quibus de rebus; Quod scilicet an expediat, & an sit etiam quandoque necessarium.

Argumenta quibus probatur, inutiles & prauas esse
Quaestiones omnes. Cap. II.

VAE humanas scientias transcendunt, à Deo autem sunt reuelata, fide quidem absque hæsitatione sunt amplectenda, non curiosa inuestigatione perscrutanda; Quæ autem DEVS ipse nobis non reueravit, eadem profectò occulta esse uoluit, ipsorumque ignorationem nobis utilem esse iudicauit, ea propter etiam cõmonuit ne illa audacter inquireremus, quæ uim & intelligentiam nostram superent [Altiora te (inquit) ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris] si quis autem id temerè ausus fuerit, rerum amplitudine illum obruendum prædixit SALOMON dicens [Qui perscrutator est maiestatis, opprimetur à gloria] Satis enim nobis esse debet, illa sola grandia & excelsa commemorare, quæ Deo ipso auctore audiuius & credimus, cætera sunt sacro quodam silentio ueneranda, non Quaestionibus examinanda ac definienda: [Nolite (inquit) multiplicare loqui sublimia] Nec eorum etiã, quæ Deus reuelauit, causæ quærendæ sunt, id enim esset rationem uitæ uel operis à Deo repositæ, sed [ò homo tu quis es qui respondeas Deo?] Quis cognouit sensum Domini] cum PAULO itaq; exclamandum potius erit [O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles uia eius?] uel cum stupente DAUIDE in eandem sententiam dicendum [Iudicia tua abyssus multa. In mari uia tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & uestigia tua nõ cognoscentur] Nec etiam fidem quæstiones ipsæ confirmant, sed potius labefactant & conuellunt, cum illas fidei APOLLVS opponat dicens [Nec attendant fabulis, & genealogijs interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quàm Dei ædificationem, quæ est per fidem] Quid mirum autem si quæstionibus fides concutitur, ac Dei sanctum ædificium

in

in nobis eueritur? commota. s. dissensione, cuius ipse non est Deus, sed pacis. A Quæstionibus. n. ac disceptationibus lites, contentiones, pugnas, ac tandè blasphemias exoriri frequenter cõmonet PAULVS, proptereaq; tum stultas ac inutiles ipsas quæstiones uocat, tum fugiendas illas esse omnino præcipit, dicens [Stultas aut & sine disciplina Quæstiones deuita, sciens q; generant lites] ET rursum [Stultas aut Quæstiones, & genealogias, & contetiones, & pugnas legis deuita, sunt. n. inutiles, & uanæ] ET alio in loco [Languens circa Quæstiones & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemias, suspiciones malæ, conflictationes hominum mète corruptorum] Quæ uerba examinans CHRYSOSTOMVS dicebat [Sed languens, inquit, circa Quæstiones, ergo languere querere erit, Et uerborum pugnas, merito sanè, quãdo. n. anima cogitationum uritur febre, quã ambiguitatis iactatur fluctu, cum uero illa sana est nõ quærit, sed fideliter credit; nã ex quæstione & concertatione uerborum inueniri nihil potest, quæ enim fides profitetur sola, quæstio neque ostendit neque permittit intelligi; neq; n. si quis clausis oculis quærat, inuenire quid poterit, sicut ite si apertis illis seipsum homo obruat, auersatusque solè ibi inquirat, inuenire aliquid nequaquam poterit, adeo sine fide nihil inuenire pot, eaq; absente pugnas nasci necessariò cõtingit, ex quibus oriuntur blasphemias, suspiciones malæ, hoc est opiniones, & peruersa dogmata ex quæstione ducuntur] Nec solus Chrysostomus, sed cæteri quoq; Patres scripturæ uerba memoria repetentes, missas omnino fieri oportere quæstiones uno ore affirmarunt, quorum cõsensio nẽ aspernari nefas Christiano homini est; illorum igitur tum fidei disquisitionem, tum diuinorum operum rationis percuntationem, tum aliorum præterea arcanorum inuestigationem damnantium, uerba recitare operæpretium erit, ut quid ipsi senserint planè intelligamus. Fidei quidem curiosam inquisitionem apertè reprehendebat CHRYSOSTOMVS tum

A 3 illis

Ecc. 3.

Prov. 25.

1. Reg. 2.

Rom. 9.

Rom. 11.

Ps. 35.

Ps. 76.

1. Tim. 1.

1. Tim. 2.

Tim. 3.

1. Tim. 6.

In ep. 1. ad

Tim. ho. 17

ter ultimum supplicium] **IDEM** [Alterum dixi secundum substantiam, unitate nanque, & coniunctione unum est Deus uerbum & caro, non confusione, aut interitu substantiarum, sed arcana quadam & inexplicabili unitate, Quod autem hoc sit noli disquirere, factum est ut ipse nouit] **CYRILLVS** quoque **ALEXANDRINVS** in curiosos istos arcanarum rationum & causarum exploratores acriter inuehitur inquit [Ascendit mens illorum arrogans eò, ut postea quasi crimen uocet permittere soli Deo scire, quomodo natura ipsius habeat, quamuis Diuina scriptura clamet, Vias diuinas ineffabiles, & humanas mentes multum transcendere, hoc est quæ sit dispensatio, & absolutio singulorum factorum: Diuinus enim David iterum atque iterum psallit, In mari uia tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & uestigia tua non cognoscuntur] **THEODORETVS** tandem his omnibus subscribens ait [Extremæ enim dementiæ est, rationem arcanorum curiosè indagare] Sed dices, si quæ fide amplectenda sunt, rationibus examinare, uel Dei operum ac mysteriorum rationes, & causas inquirere prohibent sancti Patres, permittent saltem aliqua præterea arcana perscrutari, quæ nec scriptura nec traditione sint nobis expressè reuelata. Imo illud in primis ipsi uetant, quod Diuinam Scripturam, ut uidimus, aperte damnare intelligunt: propterea dicebat **CYRILLVS IEROSOLYMITANVS** [Dicemus itaque nos de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt, si quid autem scriptum non est, non scrutabimur curiosè, ipse Spiritus sanctus elocutus est scripturas, ipse etiam de se ipso dixit, quantum uoluit, aut quantum fuimus capaces, dicantur ergo quæcunque dixit, nam quæ ille non dixit, nos non audemus] **ET** rursum [Quis est alius, qui cognoscat profunda Dei nisi Spiritus sanctus, cuius eloquia sunt Diuinæ scripturæ, neque tamen uel ipse Spiritus sanctus de filij ex Patre generatione in scripturis locutus est, cur igitur curiosè inquiris,

Dial. de Trinit. li. 2.

Quæst. in Gen.

Catech. 6.

Catech. 11.

ris, quæ nec spiritus solus locutus est in scripturis? Qui ea quæ scripta sunt non nosti; in his quæ scripta non sunt ne sis curiosus. **CHRISTOSTOMVS** uerò cum optime intelligeret Deum nobis ea omnia reuelasse, quæ ad salutem nostram necessaria essent, uel opportuna, cætera omnia nullum usum habere, & à nobis aliena existimans, superuacanea appellauit, atque ab eorum percuntatione nos abducens dixit [Non cessabis ergo o homo superflua quærere? nam ista uerè superflua sunt, non cessabis curiosè scrutari quæ ad te non pertinent? nihil ista ruditiæ, & inscitia sapientius est; In istis qui nihil esse pronunciantur, omnium sunt sapientissimi, qui uerò curiosi omnibus sunt insipientiores; Itaque non in omnibus mox est sapientiæ rerum cognitionem profiteri, sed est ubi etiam stultitiæ fuerit] **IDEM** [Inquit, si eum uolo manere, quid ad te? his uerbis nos erudiens, neque dolendum, neque curiosius præter diuinam uoluntatem inuestigandum; nam cum Petrus semper in huiusmodi interrogationes feruentius profliret, iterum eius feruorem retundens, quod non sit ulterius inquirendum in hunc modum respondit] **IDEM** [Itaque non curiosè agere, Deum glorificare est, quemadmodum uicissim curiosum esse delinquere est, quod si uerò cum circa hæc inferiora curiosè agimus, & inquirimus, Deum non glorificamus, multo magis uelut contumeliosi extrema luemus, si quando ipsam Christi generationem curiosius perscrutati fuerimus; si enim resurrectionis typum scrutari non licet, multò minus ineffabilia illa & reuerenda secreta] cum quo optime consentiens **BASILIVS** dicebat [Quod de impertinentibus non oportet curiosum esse. Ioannes, & post bucellam intrauit in ipsum Satanus; dicit igitur ipsi Iesus, Quod facis fac citius; Hoc autem nemo intellexit ex discumbentibus ad quid dixisset ipsi. In Actis. Hi itaque conuentu facto interrogabant ipsum dicentes; Num in hoc tempore restitues Regnum Israël? Dixit autem ad ipsos, non est uestrum nosse tempora aut occasio-

In epist. ad eph. cap. 5. ferm. 19.

In Io. homi. 87.

In Epist. ad Ro. ferm. 8.

Moralium summa.

occafiones quæ Pater posuit in propria potestate] **CYRILLVS ALEXANDRINVS**, omnem Diuinorum, quæ quidem reuelata non sint, inquisitionem reprehendens inquit [Igitur si quis curiosius inquisierit, & periculose inuestigarit mente incomprehensibilia, & sermonum virtute non attingibilia, talem dicemus minime quidem quod discendi auidus, sed quod uanis, & superfluis laboribus deditus sit; Diceretur autem de tale non absurde; Qui nititur mendacijs hic pascit uetos; & ipse sectatur aues uolantes] **THEODORETVS** apertissime affirmat huiusmodi percunctationem non licere [Non inquirenda, inquit, sunt quæ silentio sunt tradita, sed ueneranda quæ scripta sunt] **ET** rursum [Quale nam erat lignum quod aquam dulcem reddidit in Marath? Superfluum atque stultum est quærere, quæ silentio tradita sunt] Tandem hæc omnia fere Quæstionum genera hucusque enumerata breuiter perstringens, culpanique **CHRYSOSTOMVS** dicebat [Iam quis numerare queat domesticorum nugas, atque contentiones, quæ quidem externis insultibus inferiores cum non sint, maiorem etiam ei quidocere illos uelit, sudorem pariunt; Sunt enim alij quibus præ curiositatis studio temerè, ac nullo cum consilio solcite indagare, ac scrutari ea placet, quæ neque facile disci possunt, neque ijs utilia esse, qui ita edocti fuerint. Alij rursus Iudiciorum diuinorum rationes ab eo postulant, conati abyssum illam magnam dimetiri, Iudicia enim tua, inquit ille, abyssus multa; Item fidei ac uitæ institutionis paucos admodum inuenias studiosos, plures autem curiosi ea indagantes, exquirentes, quæ nequaquam inuenire queas: Quorum item exquisitio Deum etiam irritat; nam quoties ea, quæ ipse ille noluit nos scire, ediscere conamur; ipsi neque scimus (Qui enim Deo id nolente?) & periculum uel ex ipsa tantum indagacione reportabimus] **CUM PELAGIO** igitur **PONTIFICE** dicendum est, quod in eius Decretis legitur [Tibi non sit cura talium Quæstionum, sed sequere sententiam

B. Pau-

Dial. de Tri
ni. li. 2.Quæst. in
Gen.Quæst. in
Exod.De sacerdot.
li. 4.In Pel. 2.
Decretio.

B. Pauli Apostoli qui monet per discipulum cunctos; & clamat dicens, Inanes Quæstiones deuita; Inanes nanque, in xta Apostolum, quæstiones semper deuita] ex his uero tot grauissimorum virorum dictis, scripturæ sacre fundamento nixis, apertè colligi uidetur summa sanctorum Patrum consensus in improbandis, ac damnandis ipsis Quæstionibus, ut potè quæ fidem labefactent; Religionis disciplinam perturbent, atque conuellant, curiositatis & audaciæ crimina inferant, contentiones, iurgia, maledicta pariant, à Dei denique cultu ac pietate nos abducant.

Argumenta, quibus probatur Quæstiones esse Utiles, & laudabiles. Cap. III.



AT si nihil, ut dicebatur, est perscrutandum, de nulla re interrogandum, Quæstionum genus omne abijciendus, Cur natura quærendi studium nobis indidit? Cur **DOMINVS** nos ad inquirendum excitabat? dicens [Quærite & inuenientis, pulsate & aperietur uobis, omnis enim qui petit accipit, qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur] Qui uero scrutatur quod latet inquit, quod ignorat quærit, quod arcanum est referare inuestigando tentat, cuius mens si fuerit à sancto spiritu illustrata diuina quoque mysteria perscrutari eo duce, & auctore commode poterit, dicente **APOSTOLO** [Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei] Nec scripturæ ipsæ scrutandæ essent, si nihil omnino exquirere, perscrutari uel liceret, cum tamen ipse **DOMINVS** palam dixerit [Scrutamini Scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam aeternam habere] Qui non solum dictis sed factis quoque apertè declarauit ab humanis percunctationibus se nunquam abhoruisse, ut potè qui à Discipulis, Iudæis, Samaritanis, ac Publicanis frequenter interrogatus, ad ea quæ erant quæsitæ humanissime sæpius respondit, nec

per-

Luc. 2.

1. Corin. 2.

Ioan. 5.

percunctantes illos temeritatis uel curiositatis accusauit. Quem imitantes Apostoli quærentibus singulis responsa facile dabant, cæterisque fideles monebant ut ad præstandum id ipsum semper prompti ac parati essent [Parati (inquit **PATRVS**) semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quæ in uobis est spe] Quinimò in Apostolorum actis expresse legimus de difficillimis rebus motas Quæstiones ab iisdem accurate excussas explicatasque fuisse. Quos auctores secuti ipsi filij, pro Patribus, ut inquit **Psalmus**, Ecclesiæ nati, & super omnem terram Principes constituti (sancti inquam Pastores & Doctores) omnem dubitandi ac quærendi occasionem arripuerunt; rationes & causas mysteriorum ac Dei operum diligenter sunt perscrutati, & quam plurima præterea arcana de Deo inuestigare conati sunt, ut illorum scripta harum quæstionum varietate referta abundè testantur, quàm uerò hoc quærendi studium, non solum ipsos delectarit, sed ab iisdem uelut utile ac necessarium, probatum fuerit, eorum non obscura uerba cumulate declarant; inter quos **CLEMENS ALEXANDRINVS** dicebat [Fidem ergo non otiosam & solam, sed cum inquisitione ostendere oportere dicimus; non hoc enim dico, non oportere omnino quærere, quære enim inquit & inuenies, quod autem quæritur, capi potest, quod negligitur uero effugit, ut ait **Sophocles**, similia autem dicit etiam **Alexander comicus**, quæcunque autem quærentur, studio, & sollicitudine opus habere dicunt qui sunt sapientissimi] Et rursum [Eam quidem quæ unà cum fide conueniet quæstionem, quæ supra fundamentum fidei superædificat splendidam ac magnificam ueritatis cognitionem, optimam esse scimus] Et alio in loco [Quærite, inquit, & inuenietis, pulsate & aperietur, petite & dabitur uobis, atqui pulsate quidem per inquisitionem, quæ per interrogationem & responsionem habetur oratio, ueritatis fores per id quod apparet, aperto autem per scrutationem eo, quod est impedi-

impedimento, ingeneratur contemplatio, quæ est ex scientia: Ijs, qui sic plusant, aperitur, ut opinor, id quod quæritur; & ijs, qui sic petunt interrogationes per scripturas, ad quod quidem à Deo contendunt, fit donatio diuinitus datæ cognitionis, comprehendendo per rationalem, quæ uere elucet, inquisitionem; non enim fieri quidem potest, ut inueniat, non autem quærat; neque ut quærat quidem, non autem perscrutetur, & explicet, & aperiat, per interrogationem ad euidenciam deducens id quod quæritur; neque ut rursus procedens per omnem examinationem, non deinceps accipiat præmiũ, uidelicet scientiam eius quod quæritur] Cum quo consentiẽs **BASILIVS** Quæstionem hanc breuiter explicat [Quod proprium est eorum, qui studium habent ut complacent Deo, ut interroget de quibus oportet] id uerò Scripturis testibus productis ita probat [Matthæus, & accesserunt ad ipsum discipuli eius dicentes, edissere nobis parabolam zizaniarum agri: (Item) & ecce unus accedens ad ipsum dixit; Præceptor bone quid faciam boni ut habeam uitam æternam? Lucas dicebat: Igitur ex euntibus turbis ut baptizarentur ab ipso, progenies uiperarum quis demonstrauit uobis ut fugeritis à futura ira? & paulo post: & interrogabant ipsum turbæ dicentes, quid faciemus? Similiter publicani, similiter militantes. In actis: Cum uerò audissent puncti sunt corde, dixeruntque ad Petrum ac reliquos Apostolos, Quid faciemus uiri fratres?] **Basilio** ut natura ita consensione coniunctissimus **GREGORIUS** frater quid de quæstionibus sentiat non obscure declarat dicens [Hæc & huiusmodi omnia cum animo agitates, hortatus es me, ut huius rei rationem scrutarer, ut per consequentem, ac consentaneam quæstionem ac disputationem nobis in aliqua firma opinione de hac re mens statueretur; ego uerò animaduertens quanta difficultas ac perplexitas insit in ea quæ nobis ad considerandum & contemplandum proposita quæstio est, conuenit quidem opinor etiam præsentì cõ-

Moralium
summa.

De infans:

mentationi

mentationi apostolica uox, qua ille usus est in arduis, & mentis cogitationibus inaccessis, & incomprehensibilibus quæstionibus, ò altitudo, inquiens, diuitiarum, & sapientiæ, & cognitionis Dei, quàm inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles uia eius; Quis enim cognouit mentem Domini? Sed quoniam rursus Apostolus ait proprium spiritualis esse omnia scrutari, indagare, exquirere, & examinare, atque commendat eos, qui à diuina gratia in omni ratione, omnique cognitione ditati sunt, recte me facturum esse censeo, si quò ad eius fieri poterit, inquisitionem, & inuestigationem non negligam, neque quod in his quæritur ita despiciam atque contemnam, ut id absque scrutatione atque contemplatione prætermittam] CHRYSOSTOMVS uero longo & acri sermone in illos inuehitur, qui ab omni quærendi studio abhorrentes in sola, & simplici fide libenter conualescunt; id autem quàm sit turpe, & ecclesiæ incommodum demonstrat, ac tanquam faces admouet, quæ publicæ causæ indormientes excitent, inquit igitur [Credimus in Patrem & filium & Spiritum sanctum, in resurrectionem corporum, ac uitam æternam; si quis Gentilium percunctaretur, Quis hic Pater est, Quis filius, Quis Spiritus sanctus? Tres Deos asseritis, & nos plurimum Deorum assertores reprehenditis, Quid ad hoc dicetis? Quid respondebitis? Quo pacto has dissoluetis obiectiones? Quid autem si uobis ad hæc obmutescentibus aliam inferat quæstionem, An in hoc corpore, an in alio resurrecturi simus? & si in hoc, quæ necessitas ut dissoluatur? Quid præterea hoc tandem, & non superiori tempore Christus humanam carnem accepit? Quid ei in præsentia potius, quàm tot superioribus sæculis uisum est humano generi prouidere? Neque enim necessarium est, ut qui plures præterea quæstiones accumulatur, eorum contineat solutiones, ne rudioribus obsit; Arbitramur sanè quæ diximus suffectura ad somnum uestrum excutiendum. Quid igitur si hæc & huiusmodi percunctaretur?

In Ioan.
hom. 16.

tur? Vellem si horum studio teneremini, huic in medium impijalicuius Gentilis Philosophi contra nos librum proferre contra segniores istos, ut hac uos ratione excitarem, & desideriam uestram excuterem; nam si illi ut contra Religionem nostram loquerentur tantopere inuigilarunt, qua nos uenia dignamur, nisi huiusmodi contra nos insultus propulsare caueamus? hoc uobis Petrus præcipit, inquit enim [Parati semper ad satisfactionem omni poscenti uos rationem de ea quæ in uobis est fide & spe] & Paulus [Verbum Christi inhabitet in uobis abundanter] CYRILLVS quoque ALEXANDRINVS in eandem sententiam ita scribit [Si qua uerò ardua uidentur, sæpe ac multum inuestigans atque interrogans tandem assequitur, uenatrices apprimè canes imitatus, quæ huc atque illuc percurrunt, feras quærentes, sic affectum esse sapientem propheticus quoque sermo denotat dicens [conquirens quære, & apud me habitat]. Quærendum enim ita semper est, ut apud eum habitemus, & ad alienas sententias non deferamur] OECYMENTVS subscribens ait [Si damnantur Quæstiones, quomodo ait Christus, Quærite & inuenietis?] Cum Grecis optime consentiunt Latini Patres, inter quos Hilarius Quærendi studium Deo gratisimum esse testatur, ac longa oratione demonstrat, quam totidem uerbis recitare opere pretium erit, ait igitur [Per has igitur uirtutis suæ istiusmodi efficientias ad filios hominum prospexit, ut uideret, si quis esset intelligens, & exquirens Deum; Non est autem facile illud hoc, quod Deus prospicere dignatur, ut uideat, magnumque illud quod tam studiosè an in aliquo reperiri possit inspicitur. Prospicit etiam è Cælo Deus, ut uideat, An si quisquam hominum intelligenter exquirat; Quotum enim quæquam hominum inuenies, qui secundum perfectam intelligentiam Deum uelit exquirere? Qui primum causas creaturarum, & dehinc constitutionem humani generis pertractans, per rationem intelligentiæ auctorem, & parentem tante uniuers-

In Euang.
Io. li. 4.

In 1. Epist.
ad Tim.

Psal. 32.

uniuersitatis exquirat? Dehinc cur Mundus, cur Homines, cur secula temporū, cur Patriarca electus, cur lex constituta, cur Propheta prēmīsus, & in quem prospectū causarum omnium origo constiterit? Tum præterea quæ virtutes coelorum, & Angelorum ministeria, & Arcangelorum potestates, & Diaboli Regnum, & Sancti spiritus donum, & Deus ex Deo unigenitus Dei filius profectum nobis tam varijs officiorum generibus impartiantur? Hunc ergo exquirentem se per intelligentiam virum Deus videre prospectat; est enim intelligentiæ non exiguum meritum, Salomone dicente [Intelligentia enim bona omnibus qui inueniunt eam] & rursus per aliū Prophetam [O Israel quid Deus exquirat a te, nisi facere iudicium, & intelligentiæ iustitiam?] Proprium enim intelligentiæ humanæ rationis officium est, & idcirco nobis natura anima spiritalis inferta est, ut per eam ad sensum intelligentiæ, qui solus rationis est particeps; tēderemus; sed obruti vitij, & per oblectamenta corporis natura corporeæ grauitatis oppressi declinamus nos studio intelligentis exquisitionis] AVGVSTINVS uerò inquit [Ne adimeretur posteris ad Quæstiones difficiles tractandas atque versandas linguæ ac styli saluberimus labor, distincta est à posteriorum libris excellentia canonicæ auctoritatis veteris & noui testamēti] ET rursus [Sed quia quædā scriptura sancta ueris indagationem studijs quæreda reliquit, quæ non sunt superflua æstimanda, dum uera indagatione fuerint patefacta] & paucis interiectis [Quid ergo de Mariæ morte, quidve de eius assumptione dicendum est, unde Diuina scriptura nihil commemorat, nisi quærendū ratione quod conueniat ueritati?] CELESTINVS PAPA difficillū Quæstionum explicationē se nec damnare, nec aspernari apertè profitetur dicens [Profundiores difficilioresque partes occurrētium Quæstionum, quas latius petraclarunt, qui hæreticis resistenterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere, quia ad confitendum gratiā Dei, cuius operi

ac

De Assump-
pt. Mariæ.Ep. 1. ad O-
rient. epi-
scopos.

ac dignationi nihil penitus subtrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicę sedis nos scripta docuerūt, & prorsus non opinemur Catholicum quod apparuit præfixis sententijs esse contrariū] PROSPER uerò Aquitanicus tum necessarias esse Quæstiones fatetur, tum illarum tractationem perutilem esse demonstrat inquit [Siquidem necessariarū tractatio Quæstionū, & si nō instruit inuenientis quod querit animum, exercet saltem querentis ingenium; ut aut nouerit se querendo & nihil inueniendo nescire, quod se forte nosse præsumperat, & ignorantie suæ consequenter admonitus, quod sibi deesse uiderit querat, quod inuenit teneat, & quod tenuerit diligenter exerceat; aut si quod sibi de Diuinis litteris propositum fuerat, salubriter tractare, & sufficienter explicare potuerit, non de inuentione ueritatis infletur, sed in Domini, qui eum intus illuminauit ut illuminanda cognosceret, gloriatur] Quid igitur de Quæstionibus Patres ipsi senserint tum factis tum dictis expressè testati iidē sunt, quorum exempla ac præcepta tenentes Scholastici Theologi, in hoc latissimo quæstionū campo libere uagari non dubitarūt, in ipsisque cognoscendis atque tractandis studium suum omne libentissimè posuerunt; id uerò si iusta reprehensione non careret, ineptissimi profecto illi iudicarentur, qui autem illos antecesserunt sancti Patres, quauis sobriè magis & uerecundè quærendi sitim expleuerint, reprehendēdi nihilominus essent, atque temeritatis & inscitie propterea accusandi; Quinimo (quod absit) iam tota rueret cōcideretq; Theologia, quæ quidem in huiusmodi disputationibus omne ferè studium collocauit; Nec ab indocto fidei Theologus ipse distaret, si rerum causas, ac rationes querere, & quomodo unumquodque se habeat inuestigare non liceret; uterque enim quæ sunt ad salutem necessaria fide amplecteretur, rationes autem neuter inquireret, quas perscrutare Theologo germanum equidem est ac familiare.

Pröll. 1. de
Vita con-
templ.

B

Quòd.

Quòd Quæstionum Genus uniuersum sit & indifferentes, cuius species aliæ sint laudabiles, aliæ erò uituperatione dignæ. Cap. III.



VM itaque rationes, Patrum auctoritates, scripturæ denique ipsæ tanta in uarietate ac diffinitione uideantur constitutæ, quid sentendum sit non facile possumus acie mentis dispicere; Dei tamen auxilio ueritatem perscrutari, & distractas sententias in concordiam reducere tentabimus; id uerò fieri uix poterit, nisi antea certum ac compertum sit, An Quæstionum genus uniuersum uitiosum sit, uel potius sint illius species aliquot reprehendendæ. Quod quidem nos explicaturi, ac de Quæstionibus ipsis uerba facturi, ea omnia silentio præteribimus, quæ à Dialécticis accuratè explicata ac tradita sunt. Quæstionem scilicet omnem mediij esse, Haberi que semper de Definitione, Genere, Proprio, uel Accidente, De unoquoque uerò queri, An sit, Quid, Quia, & propter quid. Multo etiam magis ea reticebimus, quæ Rhetores ipsi docent, Honesto, s. utili, & iusto, uel tempore præsentis, præterito, ac futuro, Quæstionem distinguentes, Atque aliam facti, aliam iuris esse dicentes. Quæ omnia tum in Rhetorica, tum in Dialéctica facultate fusè explicata, nos rursus pertractare superuacaneum profectò esset, nec eadem ab ipsis tractata nunc memoria sigillatim repetere, ab illisque mutuari est (ni fallor) necessarium, cum præsentis negotij sit, ea sola indagare, quæ rectum in Theologia Quæstionum usum, (si quis est) nobis aperiant, uel illarum uitium declarent, ut fugiendas demonstrent: Nullam igitur Quæstionem reprehensione carere si quis dixerit, non solum accusabit Dialécticos, earum artem tradentes, Philosophos illa utentes Rationem Quæsitam inuesti-

inuestigantem, Naturam denique humanam ob admirationem ad ignota quærenda ac scrutanda mirifice propensam; sed (quod iam abunde probatum est) omnes tum antiquos recentiores Theologos incitiæ accuriostatis reos faciet, Domini quoque Discipulos ad quærendū procliuēs, & Apostolos non minus ad respondendum quam ad interrogandum paratos arguet, Atque sanctissimam præterea DEIPARAM ab Angelo quærentem [Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco] apertè reprehendet, imò DOMINVM ipsum interrogantem [Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus?] quærentibus quoque ut diximus, sæpius illum respondentem culpabit. Omnem uerò quæstionem qui uelut laudabilem probauerit, is eundem DOMINVM reprehendet, qui interrogatibus discipulis an Israeliticum Regnum per ipsum tunc esset restituendum respondit [Non est uestrum nosse tempora uel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate] atque Iudæis quærentibus [Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?] mysterium illud explicare noluit, ut potè qui huiusmodi quærentium interrogationes aspernaretur; Paulum quoque Apostolum idem contemnet, qui plures Quæstiones stultas ac inanes esse sæpius affirmat, quas maxime cauendas monet, iubetque. Cum sanctis præterea Patribus pugnabit, qui multas quæstiones, ut inutiles & curiosas frequenter repudiant, atque hanc quærendi licentiam cohibere sedulò student. Quare dicendum necessariò erit, Theologo quidem congruere aliqua perscrutari, atque perscrutantibus aliquando respondere, nec tamen omnia audacter inquirere, uel cuius, & quomolibet interroganti responsum dare ipsi licere, ut propterea Quæstionum uniuersum Genus nec uitiosum sit, nec laudabile, sed indifferentes potius quoddam, ac medium, nec in malis, nec in bonis reponendum; De quo scitè nos commonuit OECUMENIVS dicens [Quæstio res media est, & indifferentes, In 1. ep. ad

Luc. 1.

Luc. 20.
Mar. 11.

Act. 1.

In 1. ep. ad

contigit enim & bene quærere, & male quærere] species autem illius multiplices cum sint, has quidem inter bona & utilia, illas uerò inter praua & uitiosa numerare æquissimū erit, quod GREGORIUS NAZIANZENSIS Christi exemplū obseruans doctissime animaduertit [Christus quasdam quæstiones soluere atque explicare solet, quasdam comprimere atque obstruere, cum ex eo quæritur, in qua potestate hæc facis, propter interrogantium uecordiam & ineptiam uicissim ipse quoque interrogat, Baptismus Ioannis de cælo erat, an ex hominibus? atque utrinque interrogantes suos premit, atque constringit: Vnde etiam nobis nonnunquam ad Christi imitationem, eos qui curiosa disputatione nos lacefunt comprimere, quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus soluere licet; nam ipsi quoque in rebus uanis interdum sapientes sumus, ut in his quæ sunt insipientiæ gloriæ. At cum Quæstionem ratiocinatione indigentem uidet, tum uerò eos, à quibus interrogatur, prudenti responsio nequaquam indignos censet] Hoc autem constituto restat iam ut accuratè ac singulatim inquiramus, quænam admittendæ, amplectendæque sint Quæstiones, quæ uerò reiiciendæ, cum iusta reprehensione non careant, eaque omnia diligenter explicemus, quæ idem GREGORIUS non quidem exposuit, sed doctè tamen quasi numerando percensuit dicens [Non immodico contentionis studio finè imponemus? non cognoscemus quænam quæstiones à nobis percipi ac comprehendendi, & quatenus cõprehendi possint? quænam rursus facultatè nostram superent? Quænam huius temporis ac terrene perturbationis, & confusionis mentis nostræ tenebras effundentis? Quænam rursus futuri sæculi, cælestisque libertatis, ut alijs ratisper acquiescamus, alijs purgemur, ac præparemur, uelut ijs postea iniitiandi, desiderijque finem habituri? Nō apud nosmetipsos distinguemus quænam huius sint generis, ut ne querenda quidem omnino sint? Quænam mediocriter indagan-

In Matth.
c. 19.

Or. de Pace

ganda? Quænam contentiosas, & riandi libidine flagrantibus concedenda, ac permittenda quoquo tandem modo se habeant, ut potè doctrinam nostram nullummodo cõuellentia? Quæ fidei soli donanda? Quæ rationibus quoque & argumentis? Quæ denique huiusmodi sint, ut pro ijs fortiter strenueque decertandum sit, rationibus tamen non ferro atque armis] Hæc autem singula leuiter à Gregorio tacta, & solis punctis distincta, à nobis fusè examinanda, ac diligenter explicanda proponuntur, quæ quidem nec leuia esse, nec ad salutem & cognitionem nostram, Ecclesiæque tranquillitatem paruū momentum habere eiusdem Gregorij recitata uerba non obscurè declarant.

Quænam Quæstionum species uitiosæ ac stultæ dicantur, Quæ contra honestæ sint & laudabiles. Cap. V.



VNIVERSVM Quæstionum Genus partientes, in prauas ac laudabiles quæstiones hucusque diuisimus, atque illas quidem cum Apostolo stultas posthac appellabimus, nomine scilicet ad rem ac commodato, atque scripturæ auctoritate comprobato, quarum plures species esse nunc ratione cognoscemus, ac singulas diuisione colligemus. In omni itaque quæstione constituenda, duo in primis necessariò requiruntur. Res scilicet de qua quæritur, & Persona ipsa quæ inquirat, ac explicat. Quare ab horum altero, uel ab utroque uitium omne stultis Quæstionibus obuenire necesse erit: Res autem dicitur, tum ea quæ ipsi Quæstioni subiicitur, Quæsitum. s. ipsum, tum id omne quod ad rem subiectam perscrutandam atque explicandam assumitur, quod Medium dicitur. ut propterea culpa omnis, quæ in re ipsa committitur, uel Quæsito uel Medio sit

Quaestio
stulta de re
per se nota.

Strom. li. 3.

Li. 1. Top.
cap. 9.

Quaestio
stulta de
re penitus
ignota.

Li. de recta
fide.

tribuenda; Quæsitum uerò omne uel per se notum esse oportet, uel utrunque ignotum. Res quidem per se nota dicitur, quæ uel sensui uel rationi est prorsus manifesta; Quòd. n. alba sit nix, & ignis calidus sensus ipse manifeste testatur; Quod autē totū sit sua parte maius, nec de eodē liceat affirmare simul & negare, habet ratio ita perspectum ac exploratum, ut nullum dubitationi locum relinquat, ac demonstrationem aliquam desideret: De his igitur qui dubitat, uel mentis non est compos, uel sensu caret: eapropter dicebat CLEMENS ALEXANDRINVS [Rursus ex quaestionibus aliæ quidem sensui indigent, ut si quis quærat an ignis sit calidus, aut nix alba] quòd ante ipsum dixerat etiam ARISTOTELIS, qui huiusmodi Quæstiones improbens ait [Nam qui dubitat utrum nix alba sit, an non, sensu indigent] Cum itaq; ipsa Quæstio, ut diximus, sit rei incognitæ inuestigatio, stultam profectò illam esse, quæ de re per se nota affertur, fatendum erit; eam igitur nemine repugnante primam stultarum Quæstionum speciem facillè nominabimus. Quod uerò non est per se notum, id utrunque ignotum esse oportet; cuius sunt genera duo, uel enim uia & ratione aliqua inuestigari ac deprehendi potest, uel penitus abstractum est & reconditum, ut nunquam cognosci possit; De quo quidem prorsus ignoto omnes quæcunq; habeantur Quæstiones, stultæ dicendæ erunt; Quæ enim (obsecro te) dementia est, id quærere, quod inuenire nequeas? Propterea has duas stultarum Quæstionum species breuiter simul complectens CLEMENS ALEXANDRINVS dicebat [Scimus autem quòd neque ea quæruntur, quæ sunt manifesta, ut exempli causa, an sit dies, cum sit dies; neque ea quæ sunt incerta, & nunquam futura sunt manifesta, ut illud, sint ne stellæ pares an impares] CYRILLVS uerò ALEXANDRINVS has de re penitus ignota quæstiones improbens, & maximè stultas illas indicans ait [Stultissimum omnino fuerit, examini subijcere ea, quæ mentem nostram transcendunt,

&

& tentare intelligere quæ intelligere impossibile est] Penitus autem ignota tum dicimus, quæ ratione suis sciri nequeant, quia non sunt, nec esse possunt, ut corpus infinitum in actu, chimera, & alia quamplura cum natura ipsa pugnantia; de quibus tamen subtiliter disputare, & anxie inquirere recentiores quosdam credibile uix esset, nisi eorum monumenta id palam testarentur, in quibus Quæstiones huiusmodi frequenter inuenies, atque illis etiam magis portentosas, ut potè quarum Subiectum ac Prædicatum in rerum natura non reperiatur, Quæsitum uerò ne cogitari quidem possit, nisi quibusdam positis, quæ rerum ordinē, actum, statum, & naturam conuellant, ac Dei usitatum agēdi morem inuertunt; ut propterea etiam pugnantia quandoque cōcludant: Tum illa etiam penitus ignota uocamus, quæ ratione nostri cognosci nequeunt, ut potè quæ intelligentiam nostram transcendunt, cuiusmodi est ipsa Dei essentia secundum eam perfectā rationem, qua sola Trinitas illam comprehendit: Quis enim nesciat maximæ temeritatis ac inscitæ notā incursum eū, qui in Dei caliginem (ut sancti loquuntur) penetrare non dubitet? ac totam eius essentiam scrutari non pertimescat? Qui quidem posuit tenebras latibulum suum, & solus seipsum omnino nouit, ac multa non solum hominibus, sed Angelis quoque non referata, sibi soli intelligenda referuauit; propterea dicebat filius non esse nostrum nosse tempora & momenta, quæ pater posuit in sua potestate; & SALOMON commonebat [Qui perscrutator est maiestatis, opprimetur à gloria] DAUID quoque canebat [Iudicia tua abyssus multa, & uestigia tua nō cognoscentur] exclamabatque APOSTOLVS [Inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles uisus eius] Quæ scripturæ testimonia superius producta hanc solam stultarum Quæstionum speciem expresse damnare putanda sunt, quam Patres quoq; ut uidimus, nō obscure reprehendebant; ut superuacaneum propterea sit, in ea redarguenda nunc diutius

Prou. 25.
Ps. 35. 76.
Rom. 11.

B 4 commo-

commorari: Quare ea omnia, ut abstrusa ac nobis penitus ignota, perpetuo erunt silentio ueneranda, atque in ipsius Dei notitia profus relinquenda; illa uerò sola quæstionibus examinanda, ac ritè inuestiganda, quæ utcunque ignota, rationi tamen nostræ, saltem Diuino lumine illustratæ, peruia esse deprehenduntur. Nec id solùm Quæsitio, quod diximus, uitio datur, quia planè notum uel ignotum sit, sed in eo præterea non leuis culpa residet, cum uel noxium est, uel inutile; in percunctatione enim honestas, in disquisitione utilitas imprimis querèda est: Noxium porrò est id omne, quod turpe, nec pijs auribus dignum est; quare erit in re ipsa uitium, si quod quæritur, impietatem uel turpitudinem manifestam præferat; ut si quis, exempli causa, quærat, An Deo sit honor habendus, & An Parentes amore sint prosequèdi. Quas quidem Quæstiones, ut turpes, ipsi quoque Philosophi grauiusculparunt, atque animaduersione dignas iudicarunt dicentes [Qui dubitant utrum oporteat Deos honorare, & parentes diligere, an non, poena indigent] Quod dictum approbans CLEMENS ALEXANDRINVS dicebat [Aliquæ uerò (Quæstiones. s.) admonitione indigent, & increpatione, ut ait Aristoteles, ut illa interrogatio, an oporteat honorare Parentes, sunt etiam quædam dignæ quæ puniantur, cuiusmodi est querere probationes, an sit Prouidentia] Sed dixerit quispiam, inter has turpes ac stultas Quæstiones numerat CLEMENS eam, in qua de Prouidentia inquiritur, An sit; cum tamen & Philosophi, & Theologi ipsi id studiose scrutentur, quorum etiam grauiissimi præterea querat, An Deus sit, aliaque permulta his consimilia percunctentur, nec leuem quidem reprehensionis notam se propterea incurrere opinentur, quos omnes temeritatis, ac impietatis poenas subire æquum esset, si ipsius Clementis sententia esset comprobanda. Huic igitur breuiter respondemus dicentes, Multum quidè differre doctentem rem aliquam, ueram illam demonstrare tum rationibus

Quæst. stulta impietatem uel turpitudinem præferens.

Anti. Top. 6.9.

Dubitatio.

Responsio.

bus directè, tum responsionibus obliquè (obiectas. s. argumentationes diluendo) uel rursus dubitantem de eadè percunctari, actaquam dubiam inquirere; Atque illud quidem licere ac decere concedimus, præsertim uerò si ab impijs, & atheis hominibus, uel hereticis læcelsiti dicamus, quorū impietatem ac improbitatem ut retunderent frangerentque illustres Theologi, in huiusmodi quæstionibus examinandis diutius commorari coacti sunt; quod dolenter admodum significans GREGORIUS NAZIANZENSIS dicebat [Postquam Sexti & Pyrones, & cōtradicensi libidine incitata lingua, uelut grauis quidam ac malignus morbus in Ecclesias nostras infeliciter irrepsit, quodque Actorum liber de Atheniensibus narrat, ad nihil aliud uacamus, quam ad noui aliquid dicendum uel audiendum] Dubitare autem, An Deus sit, uel Prouidentia, atque his similia dubitando inquirere, nefas pio uiro esse dicimus, propterea tum Clemens tū Philosophi, si illorum uerba paulò ante recitata accuratè consideremus, solos istos dubitantes ac demonstrationes de huiusmodi rebus anxie flagitantes reprehendebat, dignosque iudicabat qui impij, improbaque hæsitacionis poenas darent. Quod si noxiū ac turpe nō fuerit, quod quæritur, inutile tamen sit (quod quidè secūdo loco proponebatur) stulta nihilominus erit huiusmodi Quæstio, ut potè quæ secundū Apostolum inanis sit, eū de re futili, ac superuacanea habeatur, nullūque ad Ecclesiæ ædificationem momētum afferat, à qua quidem Ecclesiæ utilitate oculos deijcere nunquam debet Theologiæ Doctor, uel Auditor; propterea Titum monebat APOSTOLVS, ut ab quæstionum genere diligenter declinaret dicens [Stultas autem Quæstiones, & Genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita, sunt enim inutiles & uanæ] CHRISOSTOMVS uerò clamabat [Non cessabis ergo o homo superflua querere] CLEMENS porrò ALEXANDRINVS ut idem cōfirmaret Aeschylus quoque versiculum recitabat [Et clamat Aeschylus Ne in

In laudem Athanasij.

Quæstio stulta de Re inuiti & superuacanea

Tit. 3.

Io epist. ad Eph. cap. 5. ferm. 19. Strom. li. 5.

ijs

Li. 2. de Gē.
ad litteram

ijs labores temere, quæ nihil iuuāt] **AUGUSTINVS** autem **Pauli** præceptum tenens, huiusmodi Quæstiones tanquam inutiles se declinare aperte testatur dicens [Quibus respōdeo, multum subtilibus & laboriosis rationibus ista requiri, ut uerè percipiantur, utrum ita, an non ita sint, quibus ineundis atq; tractandis, nec mihi iam tempus est, nec illis esse debet, quos ad salutem suam, & sanctæ Ecclesiæ utilitatem cupimus informare] **ILOS** præterea idem reprehendit, qui in perscrutandis superuacaneis istis ac inutilibus studium collocabant, inquit enim [Multi multum disputant de his rebus, quas maiore prudentia nostri Auctores ommisserunt, ad beatam vitam nec profuturas discipulis, & occupantes quod peius est multum prolixa, & rebus salubribus impendenda temporum spatia] Hac autem curiositate quam multi laborent, ne dici quidem potest, plurimi enim semper fuerunt, quibus id uitio dari potuit; posterioribus uerò seculis innumeri extiterunt, qui culpam hanc in summa etiam ipsorum laude posuisse uideantur, ut potè qui futilia ista, & superuacanea ita studiosè conquæserint, & copiosè tractauerint, ut in eorum uoluminibus decem fere partibus inutiles quæstiones utilibus antecedant: tot itaque sunt de rebus subiectis stultarum Quæstionum species.

Li. 2. de Gē.
ad lit.

Quot, & quæ de Nomine haberi Quæstiones possint, & quænam illorum uel stultæ sint uel laudabiles. Cap. VI.



QUONIAM uerò unaquæque res proprio ac certo uocabulo appellatur, de ipso etiam nomine quæstionem propterea afferri posse uidetur; an autem huiusmodi Quæstio omnis stulta sit existimanda, nec ne, breuiter est explicandum: Atque inter stultas quidē

Quæ-

Quæstiones eam numerandam esse illud in primis persuadet, quòd hæc inuestigatio nec rei notitiam iuuat, quæ quidem quocumque uocabulo significetur, eque intelligi ac cognosci potest; nec nomini ipsi prodest, cuius proprietates & usus non ex ipsius natura, sed ex hominum arbitrio pendet, ut propterea cuius rei qualecunque nomen imponatur, nihil prorsus interfit; quod aduertens **APOSTOLVS** dicebat [Languens circa quæstiones & pugnas uerborum] atque illius discipulus **DIONISIUS AREOPAGITA** scribit [Est enim alienum, ut opinor, & absurdum, non uiam instituti attendere, sed uerba; neque hoc proprium est eorum, qui diuina intelligere cupiunt, sed eorum qui tonos nudos probant, eosque aure tenus, non penetrantes, extrinsecus continent, nec scire uolunt quidnam hoc uerbum declaret, ac quoniam modo alijs etiam uerbis, quæ idem efficiunt, & declarent explanandum sit, sed additi sunt elementis ac lineis, quæ intelligi non possunt, syllabisque & uerbis incognitis, quæ in mentem eorum non penetrant, sed extra circum labra & aures eorum perstrepunt, quasi non liceat quatuor per bis duo significare, aut simplices lineas per lineas rectas, aut maternam Patriam per eam quæ Patris est, aut denique aliquid aliud eorum, quæ idem quod multæ orationes partes declarant, cum intelligendum sit, si rectam rationem audiamus, nos elementis, syllabis, uerbis, scriptis sermonibus sensuum causa uti] cum quo consentiens **GREGORIUS NAZIANZENSIS** inquit [Quamquam enim uobis turpe est, turpe inquam, & per absurdum, cum animo optime ualeatis, sordide circa uocis sonum litem creare, ac The satrum abditum habere, quasi alijs eum inuidentes; aut metuentes ne linguam quoque uestram sanctificetis; turpius tamen est nobis eodem uitio teneri, quod uobis obijcimus, & cum anxiam, & fordidam de parujs rebus contentionem dānemus, circa litteras tamen inepta contentione immorari] **IDEM** quoque **Latinos & Græcos** de hypostasi & persona

r. Tim. 6.

De Diu.
nom.

Oratione
in sanctam
Pent.

(nomin-

(nominibus.ſ.) concertantes, à ſulta quæſtione diſſuadēs ait
Or ad c. 2. episc. [Vnum quidem quò ad eſſentiam indiuiduamque adorationem credentes, tria autem quantum ad hypotaſes, & perſonas, vt nonnulli malunt; deſinant enim qui de his rixantur ineptijs, perinde ac ſi fidei noſtræ pietas in nominibus non in rebus conſiſteret] Magnum nempe Athanaſium imitatus id dixit, qui eodem Græcos & Latinos de illis nominibus pertinaciſſime dimicantes ad concordiam eadem ratione antea adduxerat, ipſomet In laudem Ath. GREGORIO id referente his uerbis [Et tandem res adducta eſt, ut periculum eſſet ne orbis terrarum fines vnà cum ſyllabis è ſenuicem diſtraherentur, uel abrumperentur; Quæ cum beatus ille vir, & verè homo Dei magnus animarum diſpenſator oculis auribusque perciperet, tam ſultam, & abſurdam orthodoxæ fidei ſectionem diſſimulandam ac negligendam ſibi non putauit, verùm medicinam morbo quamprimùm refert; Quonam autem id modo facit? Vtraque parte leniter, & humane accerſitâ, verborumque ſententia diligēter, & accuratè perpēſa, poſtea quàm concordies reperit, nec quantum ad doctrinam quicquam inter ſe diſidentes, ita negocium tranſegit, vt nominum uſum ipſis concedens, rebus eos conſtringeret] Quibus ſanctis Patribus ſubſcribens Li. 4. de Gē. ad lit. AVCVSTINVS hanc protulit ſententiam [Hoc eſt enim quod dixi, dum res cognoscitur, non eſſe de uocabulis laborandum] vt propterea Critolaus Philitēs non Li. 2. Stro. 1. Tim. 6. ineptè, Clemente Alexandrino referente, de his litigantes ὀνομαστομαχίης uocauerit. Cui tamen ſententiæ Paulus Apoſtolus reclamare uidetur, cum moneat verborum nouitates vitandas eſſe, ſi enim de uocabulis non eſſet laborandum, verborum profectò nouitates non eſſent reprehendendæ; Nec ſcripturæ uocibus is honos ſemper habitus eſſet, ut illas immutare, uel ab ipſis diuerſas uſurpare nefas putaretur, quò Nicæna ſynodus ſub Anathematis etiam pœna id prohibens decreuit, vt referente ETSEBIVS CAESARIEN- SIS Theodoreto

ſis teſtatur dicens [Quinetiam Anathematis formulam, que poſt fidem explaiantant ab illis propoſita eſt, approbandam quoque putauimus, propterea quòd uetet ne quiſquam uocibus à ſcriptura abhorrentibus (ex quibus in Eccleſijs omnis ferè confuſio & diſcordia inuecta eſt) omnino utatur; etenim cum nulla ſcriptura diuinitus inſpirata uſa ſit his uocibus, Filium Dei ex nihilo ortum eſſe, & tempus fuiſſe aliquando cum non eſſet, & quæ ſequuntur in eandem ſententiam, minimè conſentaneum uidebatur eas uel proferre, uel docere; cui ſententiæ tam præclarè decretæ, conſtitutæque nos conſentimus, quando quidem nunquam ante hac eiſmodi uerba uſurpare conſueuimus] Hiſt. eccl. li. 1. BASILIIVS quoque palàm reclamabat cum Eumoniū ſcripturæ nomina inuertentem, & noua proferentem audiret, hanc enim temeritatem non ferendam putabat inquiring [Neque enim hic permittendum eſt ipſi, ut uocem, genuit, de Patre poſitam tranſmutet ac tranſformet, & genituram filium Dei appellet, non enim conuenit, ut is qui diuino timore eruditus eſt, facile ad hoc proſiliat, quod ex uerborum conſequentia apparuerit, ſed ut contentus ſit nominibus in ſcriptura poſitis, in que eis perſeueret, atque per ipſa glorificationem, uelut Deo conuenit, abſoluat. Nam ſi hi, qui ab initio hebraicam linguam in græcam tranſtulerunt, quorundam nominum interpretationem aggredi non ſunt auſi, ſed ipſam hebraicam uocem tranſtulerunt, uelut Sabaoth, Adonai, Eloi, & ſi quid eiſmodi eſt, non in Diuinis ſolùm nominibus, ſed etiam in alijs pluribus reuerentiam hanc oſtendentes, quantum conuenit nos in Domini nominibus timorem habere? Aut quando illi à ſe ipſis aliqua nomina fingere ſuſtinuiſſent? qui ne interpretationem quidem aliquorum tentare auſi ſunt, ut ne ſignificationis euidentiā incongruis ſignificationibus exoluerent] Cum itaque nomina immutare, ac noua proferre nefas ſit, id temere tentantes aliquos arguere æquiſſimum profectò L. 2. contra Eunomiū. erit,

erit, quod Orthodoxos Patres diligenter fecisse demonstra-
uimus, atque eosdem cum Arrianis de nomine *ἰσοουσιον* diu
acriterque pugnasse, aduersus uerò Nestorianos *ἰσοουσιον* uo-
cabulum pertinacissimè defendisse scimus; Hæ uerò con-
trouersia quamnam alia (obsecro te) putanda erunt, quam de
ipso Nomine? Quomodo igitur stulta huiusmodi Quæstio
omnis paulò ante dicebatur? pluraque profitebantur Patrū
testimonia, id ipsum, ut videbatur, comprobantium? Certe
nondique sunt angustie; quare operæpretium erit rem hanc
fusius explicare, omnemque operam diligenter nauare, ut
ipsam, si fieri poterit, ad concordiam aliquam adducamus.
In primis igitur illud est animaduertendum, magnam utique
esse ipsorum nominum differentiam, ut propterea non æquè
possint fortasse omnia vel immutari vel variè usurpari, qui-
bus autem id nominibus contingat, & quomodo, & à qui-
bus id ipsum fieri debeat, tum quidem inuestigare licebit, cū
singulorum discrimina distinctè cognoscemus; eo autem cō-
stituto stultam quoque ac laudabilem nominis quæstionem
statim diiudicare sine ullo errore poterimus. Rebus itaque
ex hominum instituto imposita sunt nomina, ut ipsas signi-
ficent, atque prolata earum species in intellectu nostro exci-
tent, quod quidem ex sui natura præstare non possent; qua-
re ex ipsa rerum significatione tum sumenda in primis uide-
tur nominum differentia, tum omnis de illis quæstio diiudi-
canda; ne tamen ex sola ipsa significatione hæc omnia de no-
minibus simpliciter definiamus, summa scripturæ sacræ au-
toritas, & maximum in Dogmatibus errandi periculum (qui
scrupulus in piorum virorum animis semper residet) nos sum-
mo opere retardant, atque in hoc iudicio serendo moderatio-
nem aliquam cautè adhibendam monent: Definiētes itaque
hanc de nominibus controuersiam, eiusmodi regulis me-
tiemur, ut nominum significationem cum scripturæ & ec-
clesiæ dignitate temperemus. Vel igitur nomina immuta-

ta,

ta, ac nouè prolata idem penitus quod uetera à scripturis
usurpata significant, uel quid diuersum sonant. Quòd
si idem penitus illa significant, uel certum est idem ipsa
significare, uel incertum; certum autem id esse potest aut
ipsius ecclesiæ auctoritate, aut ratione aliqua euidenti,
ut exempli causa, scriptum est [Ego & Pater unum su-
mus] Ecclesia dixit *ἰσοουσιον*, atque idem penitus signi-
ficare declarauit, scriptum item est duodecim fuisse A-
postolos, dicat quis fuisse bis senos, idem penitus hæc
significare Mathematica ratio demonstrabit, atque pri-
mum illud nominum genus, Ecclesiæ auctoritate explora-
rum, laudabile quoque esse, eiusmodique noua uocabula li-
bere proferre omnino licere eadem Ecclesia in Nicena Sy-
nodo definiuit, & Patres omnes abundè testantur, ex quibus
tamen unum solum uel alterum breuitatis causa testem pro-
ducemus, ait itaque AVGVSTINVS [Aduersus impietatem
quoque Arrianorum hæreticorum nouum nomen Patris
ἰσοουσιον condiderunt, sed non rem nouam tali nomine signa-
uerunt, hoc enim uocatur *ἰσοουσιον* quod est, ego & Pater
unum sumus, unius uidelicet eiusdemque substantiæ] CY-
RILLVS uerò ALEXANDRINVS scribit [Etiam inquit iu-
re increpamus *ἰσοουσιον* nouum uocabulum, & *ἰσοουσιον* hoc
est in diuinis scripturis non repertum asserentes. Cyr. Insi-
piētissimè hoc dixerunt amice, nihil enim damni uerbum se-
cum affert, si quidem uerissimum fuerit quod per id signifi-
catur, nonne & tu concedes uerum esse quod dico? Her-
mias. Utique uerum est] Alterum uerò nouorum nominum
genus ratione certum ac perspectum, omni reprehensione
carere testis est Dionysius Areopagita, qui hos morosos no-
uorum nominum obtrectatores irridens dicebat [Quasi nō
liceat quattuor per bis duo significare] idemque affirmans
GREGORIUS NAZIANZENSIS ait [Quid si te bis quinq;, aut
bis septem dicente, decem aut quattuordecim ex uerbis tuis

col-

Ioan. 10.

In En. 10.
tract. 96. c.
6.Dial. d. Tri.
lib. 1.De diu.
nom.

colligerem; aut ex eo quòd Animal ratione præditū, & mortale dicerem, hominem esse concluderem, an tibi uiderer delirare? nequaquam profectò cum tua dicerem. Quæ igitur tum de primo, tum de secundo nouorū istorum nominum genere haberentur Quæstiones, quod ad respondentem attinget, laudabiles utique essent, cum id quod rectum & iustū est ipse defendat; Quod uerò ad interrogantem ac reprehendentem pertinet, stultæ profectò dicerentur, cum de uocis potius sono quàm significatione is disputet. Eapropter catholici, *ὁμοιω* uocabulum pertinaciter defendentes, uehementer laudandi sunt, hæretici uerò illud incitè reprehedentes, fuerunt à nostris iure dānati. Hæc quidem dicta sint de nouis illis nominibus, quæ dicebamus certò idem significare, quod uetera; noua uerò illa & immutata uocabula, de quibus incertum est an idem penitus significant, si pro iisdem, quæ scripta sunt, nominibus usurpentur & constanter proferantur, temerarium id esse iudicamus; propterea que clamabat Basilus ne Eumonio permitteretur filium geniturā uocare, quamuis à Patre genitum illū scriptura dicat. De huiusmodi igitur Nominibus quæstionem habere ipsi interroganti maxime liceret, ut explodenda illa demonstraret. Sin autem noua nomina diuersum quid à ueteribus ac usitatis à scriptura uocibus sonant, (quod erat alterum primæ partis membrum) aut certum omnino est, id omne quodcunque illa significant, cum ijs quæ diuinitus scripta ac tradita sunt cohærere uel pugnare, aut id ipsum incertum est; Certum si fuerit cohærere, illis quoque uti liberum cuique erit, quare stulta diceretur quæstio de iisdem ab ipso interrogante mota [Nihil refert (dicebat ATHANASIUS) si quis uoces in scriptura non repertas usurpet, quamdiu pias sententiâs complectitur] atque Hilarius affirmabat [Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat Religionis] Propterea Patris nomen *θεοτοκος* sinxerunt, quod nos Deiparam dicimus,

atque

atque illud aduersus hæreticos constantissime tutati sunt, de quo CYRILLVS ALEXANDRINVS inquit [Et ipse dixit sanctam synodum uocis huius (Deiparæ. s.) nullam fecisse mentionem, ego uerò ad hunc modum scripsi, etiam si synodus uocis huius non meminit, recte id fecit, neque enim tum temporis tale quid in quæstionem uenerat, unde necesse non erat in medium afferre, quæ nunc controuertuntur; quanquàm si sensuum uim diligenter expendas, non ignorauit Beatam Virginem esse Deiparam] Quod autem nouo nomine significatur cum scripturæ uocibus congruere certum esse potest uel Ratione, uel Ecclesiæ auctoritate; solet enim Ecclesia imposita nomina comprobare, & noua etiam imponere, quem morem luculenter admodum is explicauit, qui Athanasij cum Ario coram Probo disputationem illam conscripsit, siue is fuit Athanasius ipse, siue, ut uerisimilius uideatur, VIGILIUS MARTYR, cuius uerba recitare operæpretium putamus, ait igitur [Ecclesiasticæ semper moris est disciplinæ, si quando hæreticorum noua doctrina exurgit, contra insolentes quæstionum nouitates rebus immutabiliter permanentibus nominum uocabula immutare, & significatiuâ rerum naturas exprimere, quæ tamen existentium causarum ueritatibus congruant, & quæ magis easdem antiquitus fuisse demonstrant, non ortus nouitatem mensurent; & ut quod dico planius fiat, utor exemplo, in ipso Christianæ Religionis prædicationis initio omnes, qui credebant Domino nostro Iesu Christo, non Christiani, sed discipuli tantum nominabatur, & quia multi nouorum Dogmatū auctores extiterunt, doctrinæ obuiantes Apostolicæ, omnes sectatores suos discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter ueros falsosque discipulos, siue qui Christi, siue qui Dosithei, siue Theodæ, siue Iudæ cuiusdam, siue etiam Ioannis sectatores, qui se Christo credere fatebantur, uno illi discipulorum nomine censerentur, tunc Apostoli cōuenientes Antiochiâ,

C sicut

Lib. 2. contra eun.

Ep. de syn. Arim. & Iena. De synodis cōtra Arianos.

Disp. inter Ar. & Ath.

sicut eorum Luca narrante indicat Acta, omnes discipulos nouo nomine. i. Christianos appellant, discernentes eos à cõmuni falforum discipulorum uocabulo; ut & diuinus per Isaiã oraculi sermo impleretur, qui ait, Seruientiũ uerò mihi uocabitur nomen nouum. Hanc ergo à Discipulis traditam in nouis utendo nominibus formam Ecclesia retinens, contra diuersos hereticos, prout sanæ fidei ratio postulabat, diuersas edidit nominum nouitates; denique Patri nouum innascibilitatis nomen Ecclesia imposuit, cum enim Sabelliana hæresis genitum ex uirgine Patrem uoluisset asserere, ingenitum contra hanc confitendo Ecclesia tradidit Patrem]

Aduer. pro
phanas uo-
cum nouis.

Quem quidem Ecclesiæ morem exprimens VINCENTIUS LIRENENSIS ait [Nec quicquam hæreticorum nouitatibus excitata Conciliorum suorum Decretis catholica profecit Ecclesia, nisi quod prius à maioribus sola traditione suscepit, hoc deinde posteris per scripturæ Chyrographum consignaret, magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo; & plerumque propter intelligentiæ lucem ueteris fidei sensum nouæ appellationis nouitate signando] Ratione præterea, ut diximus, certum esse potest aliquid cum eo cohærere, quod scripturæ nominibus significatur, quia necessaria consecutione ab eo pendet, ut sunt multa à Theologis excogitata, uera quidem illa & scripturæ congruentia, in ea tamen non expressa; quod posterius de Theologis Demonstrationibus agentes fusè explicabimus, nunc uerò solam GREGORII NAZIANZENI sententiam recitabimus, qui ait [Nec si quid aliud eorum, quæ uel nullo modo, uel certè non satis apertè dicuntur, ex scriptura tamen intelligi colligique reperirem, tam te lycophantam perimescerè, ut à pronuntiatione ipsa refugerem] Hæc igitur Nomina (quamuis noua) proferre, illisque liberè uti æquisimum erit, ut propterea stulte de ipsis interrogans aliquis quærat. Quod si forte contingerit huiusmodi res quæ significantur, diuersis nominibus

De Theol.
or. 4.

minibus ab ipsis Patribus appellari, hoc enim euenire quandoque solet, illis nihilominus uocabulis omnibus liberè ac promiscuè uti Theologo maximè licebit, cui etiam consimilia nomina rebus (ad fidem præsertim non pertinentibus) suo arbitrato imponere non est denegatum, quamuis uocibus uti illum à Patribus usitatis laudabilius equidem iudicemus, stultam autem de his nominibus Quæstionem esse propterea existimamus. E contrario autem, si certum ac exploratũ fuerit noua aliqua nomina præter id, quod in libris canonicis scriptum est, aliquid significare cum eo pugnant, nemini dubium esse debet, quin sint tanquàm impia ac perniciofa huiusmodi uocabula penitus explodenda, ut Nicæna Synodus testante Eusebio decreuit, uere enim profanæ uocum nouitates sunt istæ, quas solas Apostolus uitandas monet, iubetq; quod obseruans AVGVSTINVS dicebat [Et non ait (Paulus s.) uerborum nouitates, sed addit profanas] aduersus quas aureum libellum conscribens Vincentius Lirenensis, quomodo illæ dijudicètur, atque ab alijs internoscantur, doctè & copiosè explicauit. Reliquum iam id solum est ut consideremus, an comprobanda uel uitanda sint ea nomina, quæ diuersum quid significant ab eo, quod in scripturis palam expressum est, cum quo tamè an illud congruat, aut pugnet incertum sit, hoc enim ultimo loco proponebatur: Incertum autem id esse potest, quia uel multiplici sua significatione, aut quapiam alia ratione suspicioni locum aliquem det, ne cum ipsis scripturis ac Diuinis Traditionibus id ipsum parum cohæreat, quod ab eo significatur, uel omni quidem huiusmodi suspicionem careat; nec tamen Ecclesiæ auctoritate, aut euidenti aliqua ratione ita sit certum, ut cum ijs, quæ scripta ac tradita sunt, quod ab eo significatur congruere apertè deprehendatur; atque hoc, si placet; Non certum, illud Ambiguũ uocemus, ut alterum ab altero internoscamus. Ambiguum itaque nomen à quolibet promiscuè imponi non solum periculosum,

In eccl. 10.
tr. 96. c. 6.

culofum, sed temerarium quoq; ac perniciosum iudicamus, à Patribus tamen imposito, vel vsitato (si id contingerit) utentem Theologum utrumque ferendum existimamus, quamuis verecundè ac parcè illud vsurpandum potius consulamus, ne hæresis aut schismatis suspicionem aliquam (quamuis leuem) præbeamus, quidpiamue dicamus pijs ac religiosis auribus minus accommodatum, quo imbecilles saltem viri offensiunculam accipiant; Non certum autem nomen Theologum imponere, ac liberè eodem vti facile concedimus, quod quidem (ni fallor) in illis solis rebus, ac difficultatibus euenire potest, de quibus uariè opinari, ac diuersa affirmare licet; idque à Theologis omnibus promiscuè, ac communiter obseruatum esse nouimus, quorum diuersæ scholæ, & quasi familiæ, diuersa quoque huiusmodi uocabula (quæ ipsi terminos uocant) passim usurpant, ac illis tanquam sibi germanis & proprijs constanter vtuntur, propterea que rebus illi ac sententijs sæpius quidem inter se consentiunt, cum tamen nominibus ita discrepent ut si docent es, vel disputantes ipsos audieris, diuersa quasi lingua locutos putes. Horum autem nominum etsi liberam cuique potestatem faciamus, illud tamen præterea consulimus, ut ea in primis seligantur uocabula, ac frequenti usu terantur, quæ in Patrum monumentis, magis vsitata reperiuntur, nunquam, ni fallor, nimis antiqua & obsoleta putanda, cum tanta sit sanctorum auctoritas, ut ferè in omnibus quasi *κατὰ* scriptorum nostrorum illa esse soleat, ac debeat. Stultam autem esse Quæstionem omnem existimamus, quæ de his non certis nominibus haberi potest, ut potè quæ de re sit indifferente, nullumque vel ad pietatem & Ecclesiæ ædificationem, vel ad rei subiectæ intelligentiam momentum habente, de qua quidem disceptantes aliquos *ὀνοματομάχως* propriè cum Critolao vocaremus. Quæ uerò de Ambiguo, nec à Patribus usitato nomine mouetur Quæstio, vtilis iudicatur: De quo tamen ab eisdem piè, & sincerè im-

posito

posito allata Quæstio ob nominis auctorum dignitatem stulta uideri poterit, nisi doctus aliquis, ac valde perspicax, & cautus absurdum aliquod ex eo euidenti forte ratione concluderit, & quod latebat vitium deprehendens, illud non obscure declarauerit, vel hæreticus aliquis eodem uocabulo versutè arrepto, & ad impios sensus contorto ac deflexo occasione Catholicis præbuerit illius declinandi, ut paulò post ostēdemus; tunc enim vtilem ac laudabilem fore huiusmodi quæstionem non dubitamus. Iam itaq; ut potuimus, quæ noua nomina proferre liceat, & quæ contrà declinare oporteat explicauimus, simulque exposuimus quando, & quibus ea proferre, ac iisdem uti permittatur; de quo tamen, ut clarius intelligatur, adhuc pauca adscribemus. Sciendum itaque est non solùm Patres, sed Ecclesiam quoque, imò scripturam ipsam aliquando voces quasdam piè quidem ac liberè vsurpasse, cum nulla de subiectis rebus mota adhuc esset controuersia, quibus tamen uocabulis nobis cautè vti decet, & illorum etiam aliqua declinare oportet, ne videamur cum hæreticis consentire, qui ad impia Dogmata pia nomina deflexerunt, ut exempli causa, carnem aliquando pro corpore & anima (toto videlicet homine) initio accipiebant non solùm Patres, sed Prophætæ etiam & Apostoli; ea propter IOANNES dixit [Verbum caro factum est] postquam Ioan. 1. verò Hæretici impiè affirmarunt Verbum ipsum Diuinum carnem solam sibi assumpsisse, non animam, atque huiusmodi scripturæ ac Patrum testimonijs abutentes suam conati sunt confirmare sententiam; iam cautiùs iisdem uocibus posteri usi sunt, ut hominem potius, quàm carnem dicerent, cum corpus & animam coniunctim intelligerent; Nominibus quoque *ἑσίας*, & *ἰησοῦσας* promiscuè olim antiquiores Patres utebantur, sed Hæreticis postea, ac præsertim Arrio, Trinitatis fidem inuertentibus, coacti sunt posteriores Theologi uocabula ista distingue-

C 3 RE

re, & ad diuersas res accommodare, ut unius pluralitatem, alterius unitatem in Trinitate ipsi prædicantes, Patrem & Filium *ἑνωσέν* quidem plures *ἑνωσέν* autem unum dicerent; in Christo rursus unam esse *ἑνωσέν*, duplicem uero *ἑνωσέν* affirmarent, Quæ obseruans EUTHYMIUS dicebat [Quando igitur oratio simpliciter, & sine controuersia constituitur, animaduertimus non solum Patres, sed Diuinam scripturam liberè simpliciterque uocabulis uti, nam D. Apostolus, & id quod in homine intrinsecus est hominem, & id quod extrinsecus hominem item appellat, atque nomen totius partibus tribuit; At è contrario Prophetæ modo carnem, modo animam uocantes hominem, partium uocabulis totum indicant, uerum quando tempus id postulat, uarijs uocibus utuntur; ea uero ratione, quam ante diximus, & Theologus Ioannes, Verbum, inquit, caro factum est, cum uellet dicere factus est homo] Et rursus [Patres, his duobus nominibus promiscuè & communiter uti, ubi de Diuina humanæ carnis assumptione differunt, non ignoramus; abutuntur enim dum alias quidem hypostasim pro essentia, alias autem essentiam pro hypostasi pronunciant, non quod eas idem esse sentiant, sed quoniam initio non solum Diuina scriptura, uerum etiam Ecclesiæ Doctores multis in rebus sine ullo discrimine quibusdam uocibus utebantur] Quod etiam patet ex uerbis, quæ paulò ante ex Athanasij cum Arrio disputatione recitauimus; ex illis enim apertissime deprehenditur fuisse hoc semper in more positum, institutoque maiorum, ut hæreticorum fallacias declinantes, antiqua nomina immutarent, certisque ac proprijs uocabulis significantius quam antea rerum naturas exprimerent; quod quidem nascente Ecclesia ex Actis ipsis Apostolorum non obscure colligitur, cum enim fideles omnes Discipuli uocarentur, iidem postea nomine immutato Christiani dicti sunt, ut ab Hæreticorum discipulis internoscerentur; Atque CYRILLVS

dice-

Pan. par. 1.
Tit. 2.Pan. par. 1.
Tit. 2.

Ep. 7.
dicebat [Etiam si Synodus uocis huius non meminit, recte id fecit, neque enim tum temporis tale quid in quæstionem uenerat] Athanasius uero Dionysium Alexandrinum piè excusans, cuius testimonio abutebantur Arriani, nonnullis uocabulis liberius illum usum esse fatetur, quia nondum mota esset quæstio de illis rebus, aut Catholica ueritas hæreticorum mendacijs exagitata, cum tamen piè ille sensisset, suamque sententiam non obscure alibi explicasset; Id uero nos quoque experimur recentiorum hæreticorum scripta uolutes, in quibus innumera Patrum testimonia producantur peruerse intellecta, quorum uocabula piè, sincerè, ac liberè ab illis pronunciata, callide isti contorquent, ac ad impias hæreses conuertunt, quas Patres ipsi tempore antecedentes, nec animo cernentes, aut tale aliquid suspicantes, uocibus quidem promiscuè ufi sunt, catholicam tamen sententiam constantissime afferuerunt, hæc autem antiquorum Patrum pia libertas, atque posteriorum hæreticorum impia calliditas in horum fallacibus argumentationibus ubique quidem apparet, at in sanctissimæ Eucharistiæ Dogmate oppugnando apertissime deprehenditur; Propterea sapientissima Ecclesia pericula omnia cauens, & quancunque suspicionem declinans, occasionem ab hæreticis oblatam arripuit, ac nobis quibusdam uocibus interdixit; Quare concludamus, ambiguis illis uocibus utendum Theologo non esse, postquam Ecclesia id prohibuerit, consulamque prætere a quod si aliqua huiusmodi nomina ambigua in Patribus fortè legantur, quæ postea ad aliquam uigentem hæresim sint uersutè deflexa, quamuis ab Ecclesia illis non sit interdictum, ea tamen prudens & cautus Theologus studiosè declinet. Non certis autem uocibus utendi sit semper illi libera facultas, quousque tamen illa non certa permanserint, quod si eadem ex non certis certa quandoque uel Ecclesiæ auctoritate, uel euidèti ratione euaserint (quod in illis factum esse nouimus, de quibus olim diuerse opinari

C 4 qui-

quidem licebat, nūc uerò unum definite affirmare oportet) ex illistunc arripienda erunt quaecunq; cum scriptura ac traditione cohærere dignoscantur, contra uerò uitanda ea omnia, quæ cum eodem Diuino Verbo pugnare deprehendantur; ut exempli causa, licuit olim Hieronymo Monogamum, licuit & alijs digamum illum uocare, qui ante susceptū baptismum uxore ducta, eaque defuncta, alteri postea sacra unda aspersus, atque inter Christianos numeratus nupsisset; postquam uerò Innocentio primo definiente interdixit Ecclesia, ita oportet eundem appellare Digamum, ut Monogami nomine in eo uti nefas iudicetur. Hæc autem iccirco dicta sint, ut distincte magis unusquisque intelligat quando & quousq; antiqua nomina usurpare, uel illa immutare, ac noua proferre liceat: A quibus uerò id fieri concedatur nos breuissime explicabimus, uel potius iā expositū repetemus, de eo enim paulò ante in distinguendis nominibus satis dixisse uidemur. Ad Ecclesiam igitur pertinere affirmamus, non solum nominibus nouis, & immutatis uti, aut noua proferre, sed præterea decernere, ac interdicare, quæ sint noua uocabula pronuntianda, uel inuertenda & studiosè uitanda, ut Patribus id ipsum comprobantibus abunde iā explicauimus. Quæ omnia paucissimis uerbis complectens Boetius dicebat [Quo uerò nomine unūquodq; oporteat appellari Ecclesiasticæ sit locutionis arbitrium] Ecclesiam autē dicimus tū ipsam Ro. Pont. tū Episcoporum Cōciliū, tū inter se cōsentiētes sanctos Patres; propterea in CONSTANTINOPOLITANA sexta SYNODO legimus [Et dixit sancta synodus, omnino necesse est, non solum secundū sensum sequi sanctorum Patrū Dogmata, sed eisdē uocibus uti cum illis, nihilque penitus innouari] singulis uerò Theologis huic parem & æquè liberam potestatem non damus, quos quidē definire, nec semper noua nomina pronuntiare, uel antiquis promiscuè utilicet, sed ab Ecclesia definitis, uel frequenti usu tritis uocabulis illos discedere nefas est,

De dub.
nat. & una
perf. Christi.

est, ac temerariū, certis autē (cū scripturis. scilicet Traditionibus congruentibus) semper uti, atq; eadem etiam, ut diximus, quādoq; imponere decet: Ambigua præterea eosdē cautè usurpare monemus, Nō certa uero, donec illis non sit interdictū, liberè pronuntiare, ac arbitrato suo ponere posse existimamus. Ex his autē colligere quiuis facillè poterit, quānā stultæ, q̄ contra laudabiles de Nomine Quæstiones dicendæ sint; quæ ut facilius internoscerentur, singulas et indicauimus, dū Nominū Genera sigillatim explicarem: De quorum Nominū usu quædā præterea notauimus cū de Grammatica ageremus, atq; illius usum Theologo opportunū traderemus. Hæc autē dicta sint pro Nominis quæstione dilucidanda, per obscura illa quidem, ac ut uidimus, multiplici, cuius accuratam explanationem ut necessariam iudicauimus, ita perutilem (ni fallor) experientur illi, qui Theologiæ operam nauantes, frustra laborare, uel temere pronuntiare pertimescunt, aliorū autē scripta tū cautè legere, tū discretè, & modestè notare desiderant.

Quænam Quæstiones causa Medij laudabiles uel stultæ dicendæ sint. Cap. XII.



ERTVM ac perspectum est Quæstionem omnem Medij esse, quod quidem ad Quæsitum dilucidandum oportem esse accommodatum, ut Quæstio ipsa ritè ac congruenter explicetur; quam stultā euadere necesse profectò erit, si ineptum id fuerit, uel minus idoneum quod ad ipsum Quæsitum enodandum assumitur; uitium autem in Medio propterea esse poterit, tū quia ex sui natura idoneum non sit ad id euoluendum, quod proponebatur; tum et quia ipsis discrepantibus idem non congruat: exēplū illius sit quæ supra naturā sunt sensibus ac rationibus exquirere, aut uerā iustitiam & immortalē gloriā quibusuis medijs sine Christo quærere & inuestigare, huius uerò cum

Iu-

Iudæo Conciliorū canonibus, uel Apostolorū scriptis decer-
tare, aut Quæstiones ab Ethnico propositas scripturis sacris
diligenter explicare; perinde ac si quis in Arithmetica Geo-
metrica uteretur demōstratione. Cuius quidem uitij ac cul-
pæ in medio residentis innumera, recentiorū præsertim, ex-
empla redarguenda proferre liceret; sed solers Auditor hac bre-
ui regula admonitus, dum illorum scripta uoluit, eiusmo-
di singula facile animaduertet; **HIERONYMVS** uerò stultas
aliquot causa medijs Quæstiones breuiter enumerantem, at-
que eas reprehendentem interim audiamus [Quia multipli-
ces & diuersæ sunt Quæstiones, propterea Salomon de ijs q̄
quærent Deum locutus est dicens: Rectè autem quærentes
eum, inuenerunt pacem: qui igitur Deum nõ Rectè quæ-
runt, pacem inuenire non possunt. Plurima exempla sunt quæren-
tium non rectè Deum, Iudæi prauè quærent Deum, speran-
tes se eum inuenire posse sine Christo; Hæretici uano sermo-
num strepitu concrepantes quærent quem inuenire non pos-
sunt; Philosophi quoque & Barbari de Deo uana sentientes
quæsierunt Deum, sed quia non rectè quæsierunt, fuerunt eo-
rum fatuæ quæstiones, putantium Deum humanis sensibus
posse comprehendere: Ab his igitur Paulus nos reuocat Quæ-
stionibus] Atque hanc stultam Quæstionem ultimo loco nu-
meratam breuiter culpans **CYRILLVS ALEXANDRINVS**
dicebat [Quid igitur commodi affert humanis rationibus ex-
plorare ea, quæ neque dici neque cogitari possunt? Quæ etiam
opinor sola fide oportet uenerari omni curiositate seposita]
In re propterea satis superque perspecta diutius immorari
superuacaneum omnino putamus; quare his constitutis ad
reliqua, quæ in maiores difficultates incurrunt, orationem
nostram conuertamus.

To epist. ad
Tria.

Dial. de
Tri. li. 3.

Quæ

Quæ intentionis & scopi causa sint laudabiles uel
stultæ Quæstiones. Cap. VIII.

DE Quæstionibus illis hucusque egimus, in quibus
rei ipsius causa hæret omnis culpa, nunc autem re-
liquæ sunt enumerandæ, & accurate explicandæ,
quibus uitium uel laus obuenit causa personæ, in
qua quidem scopus in primis est animaduertendus, ad quem
illa disquisitionem ipsam diriga. Si enim ad ueritatē hæc spe-
ctet, ut ueri quidē dispiciendi causa labor omnis ab ipso Quæ-
rente suscipiatur; laudabilis profectò eadem Quæstio putan-
da erit; inuestigatio enim inuentione, inuētio ueritate est ter-
minanda, ad quam præterea ipsa pietas est adiungenda, ut
quicquid. s. inquiramus honore semper & laude auctorem
Deum prosequamur; quod obseruans **CLEMENS ALEXAN-
DRINVS** dicebat [Qui quærent uera inquisitione laudantes
Dominum, implebuntur dono, quod à Deo proficitur] sed
illud quoque ut sedulò caueamus, ac prouideamus oportet,
ne disceptantes Charitatem ipsam dirimamus; quod
quidem ipse **CLEMENS** docens ait [Prophetia autem mini-
me utitur figuris in dictionibus propter ornatum orationis,
eò autē quòd non sit omnium multis modis occultat uerita-
tem, ijs solis qui sunt initiati ad cognitionem, qui ueritatem
quærent propter charitatem, lucem faciēs exoriri] **LEO PRIMVS**
studiose commonēs dixit [Decet enim in talibus causis
hoc maxime prouideri, ut sine strepitu concertationum, &
charitas custodiatur, & ueritas defendatur] Ad tria hæc (Ve-
ritatem. s. Pietatem & Charitatem) oculos attentè adijcere il-
lum oportet, qui de re aliqua laudabiliter querere expetat:
A quibus tamen plerique ita abhorret, ut ad quidquid aliud
potius animum intendat, cum ipsorum alij non ad scientiam
quidem peruenire, sed opiniones hominum aucupari studeant,
ut propterea Dialectici meritò dicendi sint, Theolo-

Strom. li. 1.

Ep. 8.
Strom. l. 6.

gos

gos autem appellare huiusmodi homines, nefas omnino fit, præfertim uero si, quod illorum, atque ipsis similibus popularium hominum consilium esse solet, gloriæ umbras auidè consecretur, propterea que disceptent, ut ingenium ostentantes, ac doctrinam venditantes, inanem honorem aucupentur; Quod maxime cauendum esse monebat **CASSIANVS** dicens [Quanta potes igitur cautione deuita ne uanæ gloriæ amore detentus, illius quem Propheta collaudat particeps esse non possis: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Omnis enim qui eloquia Dei (de quibus dicitur, Eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum) humanæ laudis amore dispensat, pecuniam suam erogat ad usuram, non solum nulla pro hoc præmia, sed etiam supplicia meriturus] Alij rursus (quæ quidem peiora sunt in intentione uitia) non iccirco querunt, & percunctantur, ut addiscant, ac eruditi Deum ipsum pie colant, ac venerentur; sed potius ut callide tentent, vel irridendo lacestant; quod quidem infideles de fide interrogantes quâdoque solent, quos palàm abigens **IUSTINVS MARTYR**, discendi uerò studiosos aduocans ut erudiat, dicit [Vos qui Ecclesiæ filij estis, quæstionemque piè ponitis, & de ijs quæ uobis dubitationem asserunt, non tentandi studio, sed discendi, Quæstiones proponitis, hoc modo mihi mentem animûque præparate] Quod pariter admonens **TERTULLIANVS** ait [Et ideo non ad eos erit iste Tractatus, quibus non competit Quæstio, sed ad illos, qui studio discendi non quæstionè deferunt, sed consultationem; nã & semper quæritur de isto, & laudo fidem, quæ ante credit obseruandum esse, quàm didicit] Vel etiam petulantia quadam, & contentionis studio rixandi occasiones omnes arripiunt, aliena dicta scriptaque maledico dente carpunt, atque in illa uehementius altercando inuehuntur; Res profectò non solum Theologo, sed Philosopho etiam ac modesto uiro indigna, sophistæ uero atque

hæreti-

hæretico decentissima. Quare huiusmodi quæstiones omnes ut stultæ explodantur; vel enim contentionis ardore, vel tentandi cupiditate, vel gloriæ aucupandæ gratia, vel probabilis potius, quàm veri inueniendi studio fiunt, infinitæ illæ quidem & concertationum plenæ, ex quibus rixæ, contumeliæ, iurgia exoriuntur, ut Dei Ecclesia inde labefactetur potius ac detrimentum patiatur, quàm illustretur, aut ullo modo adificetur; quas quidem tum Paulus Apostolus reprehendebat, lites & contentiones declinandas monens, tum Patres ipsum interpretantes aduersus easdem inuehebantur; quas ferè singulas **CLEMENS ALEXANDRINVS** enumerans culpabat, ac solas eas probabat, quæ veri dispiciendi studio fiunt, dicens; [Hinc autem ductus desiderio, ad id quod bonum est & honestum inueniendum benignè quærere citra controuersiam, & citra gloriæ cupiditatem interrogando, & respondendo, & ea etiam quæ dicuntur considerando; oportet enim non solum eos, qui ad Diuinas se applicant Scripturas, sed eos etiam, qui communes insequuntur notiones, ita proponere quæstiones, ut desinat inuentio in finem aliquem utilem; Turbulentos enim homines, & forenses inuentiones alius excipit locus, & alia turba; eum autem qui ueritatis simul est amator & familiaris, decet esse pacificum, & in inquisitionibus per demonstrationem, quæ fit ex scientia, non nimio sui amore laborantem, sed ueritatis amantem accedere ad eam quæ comprehendit cognitionem] **IDEM QVÆ** dicebat [De Deo quærere, si non ad litem, sed ad inuentionem tendat, est salutare] easdemque generatim complectens Chrysostomus ait [Verum nouerat (Paulus. s.) esse prorsus inutile huiusmodi subire certamina, nullumque finem habitura nisi rixas, odia, iniurias, maledicta; has ergo, inquit, quæstiones deuita] sed dicet quispiam. Cur igitur ipse Christus, cuius exemplum nos sequi in primis oportet, tentantibus aliquâdo respondit? nec irrisorum interrogationes neglexit? quos tamen in laceffendo

Collat. 14.
c. 17.

In expositione
fidei de
uera conf.

De Corona
Militis.

Strom. 1.1.

Strom. 1.5.

In ep. 2. ad
Tim. ho. 6.

Dubitatio.

Solutio.

do procaces abigere, atque illorum stultas Quæstiones culpæ potius, quam enodare oportuisset. Huic, non inscite quidem dubitanti, respondemus corda scrutantem temporis quoque opportunitatem nouisse, capropter ad has ineptas quidem interrogationes quandoque ipsum respondisse, ut uel interpellantium improbitatem ac ignorantiam sapienti responsione retunderet, uel Auditorum saluti consulere, qui eiusmodi fallacibus, & captiosis percuntationibus decipi facile potuissent, uel etiam inde arrepta occasione iisdem de rebus discipulos erudiret. Qui tamen, cum res ac tempus aliud postularunt, tentantes illos variis rationibus prudenter elusit, nunc quidem propositas Quæstiones aliis interrogationibus declinando, ut exempli causa [Conuenientes Principes Sacerdotum cum Scribis & senioribus interrogabant, dic nobis in qua potestate hæc facis, aut quis est, qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens Iesus dixit ad illos, Interrogabo uos & ego unum uerbum respondete mihi, Baptismus Ioannis de Coelo erat, an ex hominibus?] Quod animaduertens GREGORIUS NAZIANZENSIS concludebat [Vnde etiã nobis nonnunquam ad Christi imitationem eos qui curiosa disputatione nos lacerant comprimere, Quæstionumque absurditatem absurdioribus interrogationibus soluere licet] Nunc uerò responsionem omnem silentio prætereundo, perinde ac si aures suas illis interrogantibus non dedisset, quod quidem ipsum Dominum de adultera muliere interrogatum præsentibus accusatoribus fecisse legimus; eundemque nihil quoque respondisse dicentibus [Nunquid à Galilea uenit Christus?] Quod nominatim obseruans CYRILLVS ALEXANDRINVS dicebat [Qui sibi ipsi contraria loquebantur, & nunc, neminem unde Christus ueniret scire, nunc autem ex Bethleem esse asserbant, constat etiam si didicissent eos, esse contradicturos ueritati, ideo non exposuit ipsis Dominus rem ipsam, quam interrogabant, neque latius aperuit; quod

Marc. 11.
Luc. 20.In Matth.
c. 19.

Io. 8.

Ioan. 7.
In Eccl. 10.
li. 9. c. 10.

quod si dignoscendæ ueritatis cupiditate tenebantur, quare Christum sincero affectu non interrogabant dicentes, Cum alia quidem omnia in te admiremur, iubes autem tibi secundum scripturas credi, dic nobis quomodo id fieri debeat, scripturæ enim dicunt ex Bethleem illum uenturum, tu autem ex Galilea uenisti: & tunc digni habitui fuissent, quibus ueritas ipsa aperiri, declararique debuisset] Hæc autem dicta sunt de intentione ac scopo personæ Quæstionem asferentis.

Quod omnia ab omnibus quæri non debeant,
sed definitæ res à definitis personis quæren-
dæ sint. Cap. IX.



EINDE uerò quæ inquit persona cum re, de qua quæritur, est cõferenda, cum enim hæc sibi mutuo respondeant, ac inter ipsa actio quædam præterea intercedat, proportionem quoque inter se habere illa necesse est, ne quodlibet agat in quodlibet, sed definitum in definitum: eapropter monebat SAPIENS [Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne perscrutatus fueris] & CHRIS-
STVS Dominus quorundam arcanorum maiestatem cum Apostolorum imbecillitate conferens, non solum eos à sublimiori inuestigatione tunc auertebat, sed eiusmodi quoque doctrinam ipsis adhuc infirmis & cõgruente proportione ca-
rentibus aperte denegabat, dicens [Multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo] Idemque in ipsis Hebræis animaduertens APOSTOLVS, diuiniora mysteria propterea reticebat inquit [De quo nobis grandis sermo, & in interpretabilis ad dicendum, quia uos imbecilles facti estis ad audiendum] ET Corinthijs scribebat [Lac uobis potu dedit non escam, non dum enim poteratis] Atque eiusdẽ proportionis

Ecc. 3.

Ioan. 16.

Heb. 3.

1. Cor. 3.

non:

In Gen. ho. 12. non ignarus ORIGENES dicebat [Altior hic exoritur quæstio, & nescio utrum conueniat rem tam profundi mysterij denudare, & proferre ad turbas] IDEMQVE Populum alloquens, cum Prædestinationis quæstiones ipsi reticeret, ait [Hæc supra linguam nostram sunt, & supra auditum uestrū] Accurate itaque obseruanda erit ista rerum ac personarum proportio, ne fortè quis extra ipsos fines egrediens, Altiora seipso quærat, sed potius Quæstionem ac disputationem omnem septima GREGORII NAZIANZENI regula unusquisq; metiatur dicentis [Iam de quibus, & quousque disputadum? De his solum quæ ingenij nostri modulum captumque auditoris non excedunt, ne alioqui ut nimia uocis intentio, & immodicus cibus aures & corpora labefactat, itemque sarcinæ uiribus grauiore subeuntium humeros, ac crebriores pluuie terram opprimunt, ita etiã Auditores quæstionibus grauioribus ac durioribus oppressi atque confecti pristinas quoque uires amittant, quod quidem obseruans AVGVSTINVS, & Auditores ipsos ab eiusmodi quæstionibus studiose auocans dicebat [Agnosco modulum meum, sentire mihi uideor etiã modulum uestrum, altius est hoc incrementis meis, & fortius uiribus meis, puto quia & uestris, simul ergo audiamus admonentem scripturam, atque dicentem, Altiora te ne quæseris, & fortiora te ne perscrutatus fueris] Sed dices, hoc opus, hic labor est; Res enim innumeræ ferè sunt, in totidemq; distinctis gradibus collocatæ videntur, cum species sint sicut numeri, personæ quoque ita sunt dispares, tantaque vel ingenij, vel eruditionis, uel professionis, & uitæ institutionis in ipsis dissimilitudo apparet, ut in maxima rerum, ac personarum uarietate singula singulis comparare, abhorrentia à cõgruentibus interno scere, cuiusque proportionem, uel discrimen diiudicare negocium profectò sit, quod nõ solum immensum laborem, incredibilemque diligentiam, sed diuinum etiam iudicium requirat. Nos verò respondentes, tum faciliè concedimus

Oratione
de mod. in
disp. seru.

In euange.
Io. trac. 53.
ca. 12.

mus res atque personas summa uarietate confusas ita discernere, ut paria paribus respondeant, difficilè admodum esse, tum paucos semper fuisse putamus, qui hoc ipsum ritè, ac diligenter obseruarint, tum etiã palàm fatemur, neminè adhuc discernicula tradidisse, quibus singula discriminata secernantur; ut quid cuique congruat, repugnetue, sine errore comperiatur; nec tamen propterea deterriti susceptum negocium abijcere cogitamus, quin potius antiquis Patribus quasi in vnum locum coactis, ex variis ipsorum scriptis nonnulla libantes, tum personas in certos ordines digerere, ac res subiectas in genera partiri, tum quid utrisque decorum uel turpe sit diligenter inquirere, ac sigillatim exponere, regulisq; constitutis definire Dei auxilio non dubitamus, quod mox experiemur, ne hac proportione neglecta interrogantes uel respondentes (quod absit) *ἀνογοι* uideamur. In primis itaq; illud est animaduertendum, non esse quidem, ut putabatur, singulas personarum differentias à nobis obseruandas; cum n. apud Deum non sit acceptio personarum, nec ulla sit distinctio Iudæi & Græci, serui aut liberi; plura profectò erunt personarum discrimina, quæ nec prosint, nec obsint fidei, uel diuinorum mysteriorum contemplationi; ut propterea à nobis etiam non sint ipsa inquirenda, à quibus ea sola perscrutanda proponuntur, quod uel ad fidem, uel ad mysteriorum cognitionem aditum nobis ipsis aut patefaciunt, aut intercludunt; ea autem sunt quæcunque ad fidem ac Religionem directò spectare dignoscuntur. Dicamus itaque, oportere eum, qui quæstionem ipsam afferat, uel prorsus infidelè esse, uel quoquo modo fidelem; Qui quidem si infidelis fuerit uel Ethnicus & Gentilis erit, uel saltem Iudæus; Fidelis uerò quomodocunque is fuerit (nam communiter nunc illum accipimus) uel nondum baptizatus inter cathecumenos numerabitur, uel sacra unda aspersus Christianus dicetur; Christianus autem cum sit, si Ecclesiæ fidè post susceptum ba-

Rom. 2.

D. ptilimum

ptissimum abiecerit, aut ratione aliqua eandem euerterit, ac labefactarit, seipsum quidem infidelem efficiet, sacramenti verò characterem obliterare non poterit, quare Hæreticus erit, & inter Christianos nihilominus numerabitur; sin uerò semel susceptam fidē sanctē coluerit, Catholicus dicitur, idēque Theologiæ præterea operam nauans, eiusdem Doctor aut saltem Auditor erit; In ea autem cognoscenda uel tractanda scientia qui studiū non posuerit, tanquam inter Theologos imperitus, Idiota ab antiquis Patribus appellatur; Personarum igitur (quod ad rem nostram attinet) tot uidentur constituti gradus, ex quibus totidem exoriuntur discrimina, quibus illæ cum subiectis rebus diuersè comparari possunt; Hoc autem perspecto ac constituto, Rerum quoque genera, non quidem simpliciter, sed ut in quæstionem uocantur, diuidere, distinctaque colligere nunc tentemus: Ea itaque omnia, de quibus Quæstio ritè haberi potest, à nobis aliqua ratione intelligi ac cognosci posse necesse est, ut ipsa inuestigatio inuentione terminetur, inter hæc uerò illa in primis omnium consensione numerantur, quæ sensu uel ratione exequiri ac deprehendi possunt, ab ipsa quidem Philosophia, atque omni humana disciplina distincte, & copiosè tractata; Præter quæ cum Deus, ut initio explicauimus, plura reuelauerit ad salutem ac beatitudinem nostram necessaria, illa quoque nos fide ipsa complectimur, ut propterea in altero, eoque altiori, obiectorum gradu sint collocanda; Ad quæ accedunt, & tertio iam loco numerantur, rerum fide apprehensarum rationes, modi, & conditiones; hæc enim à nobis scientia ac sapientia (Diuinis quippe donis) comprehenduntur, eorumque omnium Habitum & perfectionem ex antiquis Patribus alij Cognitionem, alij Theologiam nuncuparunt; De quo habitu suo loco abunde tractauimus: Tandem uerò sunt aliæ res, siue earūdem aliæ rationes, quæ tam longè ceteris excellunt, ut nec sensu

su percipi, nec ratione intelligi, nec aliquibus Spiritus sancti Donis cognosci possint; cum Dei splendidissima caligine teganur; sunt autem hæc Gloriæ lumini peruia, Beatorum uisioni reservata, atque in altissimo rerum gradu constituta. His ita distinctis ac explicatis, reliquum iam est, ut, quod initio proposueramus, singulos personarum ordines cum singulis rerum generibus conferamus, atque cohærentia coniungentes, pugnantia & abhorrentia secernentes, quid à quò quærendum sit sigillatim definire tentemus.

De Quæstionibus eorum, quæ sensu & Ratione inuestigari possunt. Cap. X.



MNES quidem homines, cuiuscunque ordinis illi fuerint, sensu & ratione præditos conspiciamus; quibus autem facultates, & potentiæ à Deo donatæ sint, isdem non sunt profectò denegandæ disquisitionis ac notitiæ suorum obiectorum; frustra enim illis potentijs instructi essent, quibus non uterentur: Omnibus igitur licebit Naturæ arcana quærere, & ratione inuestigare; quãuis aliqui sint natura, moribus, ac eruditione ad illa perscrutanda cæteris magis idonei; Quod uerò omnibus indiscriminatim conceditur, non erit equidem Theologis denegandum, uiris præsertim in rebus contemplandis exercitatisimis, & Philosophiæ famulatu præterea ornatis, ut aliàs explicauimus. An uerò ipsos deceat de huiusmodi rebus Quæstiones afferre, tractare, atque in Theologicas disputationes libere inferere (quod multi faciunt) est mehercule dubitatione dignum, cuius explicatio nec facilis est, nec inutilis, ut spero, erit ad curiosorum licentiam coercendam. Hanc igitur de rebus naturalibus disquisitionem ex Theologica tractatione subducentes ita argumentemur. Habeant eiusmodi quæstiones singulæ Doctores suos, ad quos iure perti-

Tit. de Auditore i Theologiæ

Dubitatio.

1. Arg. neg.

nent Philosophos nempe, Mathematicos, ac cæterarum disciplinarum Magistros, à quibus uberrimè pertractatas quorsum repetere? Cur extra fines egredi, atque in alienam messem falcem immittere? Cur distincta, & uarijs scientijs adscripta, in unum, & alienum locum cogere, ut confundatur? Præterea uerò etsi Theologo id dicas licere (quod quidem non conceditur) expedire certè nunquam poterit; innumera nanque sunt quæ ad ipsum per se spectent, cum sint Theologiæ propria ac germana, atque ad fidem, pietatem, diuinamque cognitionem plurimum conferant, quicquid igitur is temporis, laboris, ac studij in alienis examinandis collocabit, id certè totum propriis, & necessariis subtrahit, quibus perfectè cognitis, & abundè explicatis, si otium ipsi Theologo fuerit (quod utinam sit) cum extraneis iam is liberè ludat. Denique huiusmodi quæstiones nulla ratione admittendæ uidentur, ac Theologo concedendæ, sed in stultis omnino reponendæ, cum & à sacra scriptura, & à sanctis Patribus deprehendatur explorè; dicit enim SALOMON [Ego Ecclesiastes proposui in animo meo quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole: hanc occupationem pessimã dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea: uidi que fiunt cuncta sub sole, & ecce uniuersa uanitas, & afflictio spiritus] ex Patribus uerò inter cæteros BASILIUS ait [Perscrutatio de substantia singularum rerû, aut earû quæ speculationi nostræ succumbunt, aut sensui nostro propositæ sunt, longû & extensum sermonem ad expositionem sui requirit, ut in huius quæstionis cõsideratione plura uerba infumi necesse sit, quàm in reliquis quæ de singulis quæsitis dici possibile est, supra hoc quòd neque ullum operepretium sit ad Ecclesiæ ædificationem circa hæc tempus diutius trahere] Et rursus [Eadem hæc etiam de terra consulimus, ut ne quis sibi ipsi negotium faciat, substantia ipsius quænam sit curiosius inquirendo, neque tempusterat ratiocinationibus

2. Argum.

3. Argum.

Ecd. 1.

Exam. homi. 1.

Exam. homi. 1.

nibus ipsum quod suppositum est inuestigando]. Ex contrario autem qui naturalium ac moralium Quæstionum tractationem Theologo maxime congruere opinantur, pluribus id ipsum rationibus confirmare posse uidentur. Dicent igitur in primis non solum posse Theologum de rebus naturalibus quærere, ac definire, sed necessariò etiã eiusmodi quæstiones ipsum adhibere, tû ad innumera sacre scripturæ loca interpretanda, in quibus de Mundo, de Cælo, de Homine, de Anima, & de rebus ipsis inanimis mentio habetur; tû etiam ad mysteria plurima explicanda, quæ certam rerum naturalium notitiã desiderant, ut plenè cognoscantur, & scitè defendantur, quod quidem inducendo facile demonstraretur, si opus esset exemplis id facere longius; Quæstiones quoque de moribus non posse dicent Theologum silentio præterire, cum animi perturbationes, peccata, virtutes, atque actiones siue opera ipse tractet, ac contempletur; Qui etiam eò magis necesse habet de his omnibus accuratè quærere, quòd Philosophi illa doctes de iisdem inter se non consentiant, atque illorû distinctæ sententiæ sæpe cum ueritate pugnent, quam quidem non solum apertè profiteri, sed diligenter etiã tueri, & explicare, atque illi contraria refellere debet ipse Theologus; quare Philosophorum discrepantes opiniones illum figillatim examinare oportebit, ut sententiam uero maximè congruentem deligat, aut ferat. Deinde uerò cum ipsa Theologia sit scientiarum omnium Architectonica, Domina, & Regina, æquissimum profectò esse uidetur, ut singulis sibi inseruientibus disciplinis arbitrato suo utatur; atque Dei uerbo omnia probet, dirigat, metiatur; ut ex obliquis recta, ex dubijs certa, ex inchoatis perfecta illa reddantur. Si quis præterea orthodoxorum Patrum uolumina uoluerit, inueniet profectò non solum plurimas de huiusmodi rebus quæstiones ab ipsis habitas fuisse, sed difficillimos quoque Philosophiæ locos ab iisdem pertractatos; Scholasticorum uerò Theologorum li-

1. Arg. aff.

2. Argum.

3. Argum.

bros qui in manus sumpserit, singulas de Natura, & moribus quaestiones, in Scholis Philosophorum afferri solitas, in ipsis facile agnoscat, atque illas quidem fusè, distinctè, & accurate ab iisdem tractatas, ut totam ferè Philosophiam illis scriptis contineri abundè agnoscat: Quas quidem de rebus naturalibus Quaestiones non solùm factis, sed etiam uerbis se non improbare Patres non obscurè declararunt; propterea dicebat AVGVSTINVS [Solet etiam quaeri, Vtrum coeli luminaria conspicua corpora sola sint, an habeant rectores quosdam spiritus suos; & si habent, Vtrum etiam ab eis vitaliter inspirentur, sicut animantur carnes per animas animalium, an sola sine ulla permixtione praesentia; Quod licet in praesentia facile non possit comprehendere; arbitror tamen in processu tractandarum scripturarum opportuniore loca posse occurrere, ubi nobis, de hac re secundum sacrae auctoritatis litteras, & si non ostendere, certum aliquid tamen credere licebit] GREGORIUS uerò NAZIANZENSIS ad eiusmodi inuestigationes Theologiae Auditorem apertè hortatur, quarum etiam inuentiones utiles fore fatetur inquiring [De Mundo, uel Mundis tu philosophare, de Materia, de Anima, de Naturis ratione praeditis tam praestabiliioribus, quàm inferioribus, de Resurrectione, de Iudicio, de praemijs ac poenis, de Christi supplicijs, in ijs enim argumentis, & scopum assequi utile est, & aberrare minimè periculosum] Hucusque igitur in contrarias partes disputantes, uaria hinc inde argumenta attulimus, nunc uerò quidam de re Ambigua sentiendum, atque in ea seruandum sit definire experiamur, ut muneri quidem suo non desit Theologus, nec aliena tamen praeter ius fasque usurpet, atque extraneam personam importunè, ac temerè sustineat, in quo certè error non pauci liberè versantur, erit itaque in primis animaduertendum Duo hæc: Rem. s. aliquam efficere, atque eadem

De Gen. ad
lit. li. 2.

De Theol.
or. c. 1.

dem uti, inter se esse tam longe diuersa, ut nec etiam ad eundem ambo pertineant artificium; Statuas enim (exempli causa) & columnas facit fingendi artifex; illis uerò utens in locis ædium opportunis collocat Architectus ipse; Fabri quoque fræna, falces, & aratra ad aliorum usum fabricantur, Equites enim sunt, messorum, & aratores qui illis utuntur: Deinde uerò illud etiam obseruare debemus, Scientiam siue Artem unam altera uti bifariam, ea enim uel superiore uel inferiore uti poterit; atque superiore quidem Ars ipsa subalternata (ut uocant) utitur subalternante Scientia, ab illa sumens conclusiones, quibus ueluti principiis utatur, quod inter cæteras disciplinas accidit ipsi Medicinæ, cuius principia sunt Philosophiæ conclusiones [Vbi enim definit Philosophus, ibi incipit (dicebat Aristoteles) elegans Medicus] Tanquam uerò inferiore Ars & Scientia Architectonica utitur ipsa inseruiente, sibi. s. sumens opus illud, quod Ars inseruiens effecerat, eoque utens ad praestitutum finem. Ita ipsa Architectura utitur fingendi arte, ac praeterea fabrili, qua similiter utitur Ars militaris, & quæ rem rusticam tractat, sunt enim ipse quoque quodammodo Architectonica; quamuis omnes postea Ciuili Philosophiæ ueluti supremæ inseruiant; quæ propterea iure suo utitur tum Militari Arte, Rhetorica, & Poetica, tum singulis praeterea mechanicis Artibus. His positis illud exploratissimum de Theologia affirmamus, ipsam, cum sit scientiarum omnium suprema, nulla uti posse scientia tanquam superiore; inferioribus igitur solis utetur, ueluti nimirum Architectonica, cui quidè (ut aliàs explicauimus) quasi adiunctæ Ancillæ inseruiunt tum singulae ingenuæ artes & disciplinae, & ciuilis ipsa scientia, tum etiam uniuersa cõtemplatiua Philosophia; Quare quicquid istæ omnes disciplinae complectuntur, id totum ad Theologiæ usum transferre liberè licebit, ut ipsa suo quidem arbitratu eo utatur, id ipsum tamen

Li. de sensu
& sensili.

non inquirat, definiatur, ne acta agat, ex Domina ancilla fiat, humanas diuinis misceat, & ab omnibus ius suū auferat, quo sublato imperium quoque Theologiae una periret, ac disciplinarum omnium confusio, & perturbatio necessariò seque retur; effectioem nanque ab usu longè esse disunctam, & ad eūdem artificem duo illa non pertinere, imò inferuientes disciplinas hoc solo discrimine ab Architectonica distinguam diximus: Concludendum itaque esse uidetur, non licere Theologo eas quaestiones afferre, quas inferuientes artifices tractarunt, sed ab ipsis potius excogitata, inuenta, atque conclusa sibi sumere illum oportere, iisdemque uti iure suo maxime posse ac debere. Quaecunque autem sensu ac ratione percipi possunt, ea omnia ad ipsam Philosophiam pertinere certum utique ac exploratum est, quapropter eiusmodi quaestionibus illi prorsus relictis, quae in ipsis tractandis ab eadem fuerint rationibus cōclusa, erunt ad Theologiae usum deinde accommodanda; ita enim fiet, quod fieri non posse uidebatur, ut ius quidem suū unicuique tribuatur, ipsa autem scriptura, cum opus fuerit, commodè nihilominus explicetur, Religionis mysteria apte exposita proponantur, & de Christiana uirtute, peccato, atque actione omni distinctè, ac subtiliter à Theologo disseratur; Qui etiam, si inter se diuersae fortasse fuerint, ut obijciebatur, Philosophorum sententiæ, meliorem certè sibi deligere poterit, sin uerò omnes pariter cum ueritate pugauerint, ut præter ipsas alia sit omnino ferenda sententiã (quod rarò quidem accidet) tum Philosophica seorsum ipse tractans, id inquirere, & Theologiae congruentem ueritatem inuenire utiq; poterit; qua explicata uti, cum opus fuerit, ei maximè licebit; aut rarissimè quidem, & uerecundè Philosophi personam idem sustinens, Theologicis tractationibus disquisitionem illam ita permiscebit, ut inuitus ac necessitate coactus id facere uideatur; alienam enim personam suscipere non tam est profectò indecorum, ut id

COR-

Respon-
siones ad ob-
iecta argum.

condonare non solum Theologis, sed etiam Philosophis, ac caeterarum disciplinarum magistris candidus Lector & Auditor quandoque non soleat. Cum hac tamen respōsione illud nihilominus pugnare uidetur, quod superius argumentando adduximus, Theologo. non expedire eiusmodi habere quaestiones, etiam si id fortasse ipsi quandoque liceret; illarum enim à diuinis mysterijs perscrutandis eundem abstrahunt, & à proprijs ac germanis quaestionibus euocant, ut Theologiae studium ualde propterea remorentur, cuius quidem cursus immensus longiorem etiam hominis uitam desideraret. Ad quod respondentes dicimus, eiusmodi quaestiones tractandas Theologo tūc solum nos permisisse, cum ipsamet necessitas id postularit, nec ulla omnino facta sit illi potestas eouendi, quo maxime egeret, nisi ipse sibi illud comparet, tunc enim diuina inquisitio detrimentum aliquod non patitur, & Theologiae cursus ne tantillum quidem retardatur, quinimò is plurimum iuuatur, ut ad diuina percipienda sit expeditissimus; quemadmodum enim si quis equo iter ingressurus, calcaribus & fræno careat, quibus equum excitet, ac moderetur, uel Architectus aliquis columnis indigeat ad porticum extruendam, nullusque adfit faber uel fingendi artifex, quorum opera ipsi utantur ad sibi necessaria comparanda, profectò si horum uterque inferuientis artificis personam, qua maxime eget, susceperit, opusque sibi necessarium absoluerit, ipso statim utetur, idque perficiet, quod deserere inferioris artificis absentia coegisset; Idem planè accidet Theologo, si fortè illa, quibus ipsi utendum esset ad diuina mysteria explicanda, nullus Philosophorum, aut ingenuorum artificum ad usum accommodata, & ueritati congruentia eidem tradiderit; tunc enim iusta profectò is responsione carebit, si in ea inquirenda, ac tractanda necessariam operam contulerit, uel rarò quidem & timidè Theologicis disputationibus illa admiscens, cum id necessitas ipsa exegerit, uel distin-

cte

Resp. ad 2.
argum.

et copiose de illis seorsum disputans, quod sancti Patres sapius fecerunt; illos autem Theologos, qui quodam quasi æstu efferuescentes finibus arceri non possunt, quin alienas in disciplinas erumpant, omnia misceant, ac perturbent, cupere quidem laudare si possem, uel saltem excusare, sed ueritati, & aliorum utilitati eorum dignitatem antepone non audeo: Quod si quis ipsos defendens, non solum iustam, sed probabilem etiam excusationem aliquam afferat, eam libentissime accipiam. His uero declaratis postremam argumentationem diluere, & ad scripturæ ac Patrum obiecta testimonia sigillatim respondere esset profectò superuacaneum, cum illis omnibus, ni fallor, ex his quæ dicta sunt, cumulatè sit satisfactum.

De Quæstionibus eorum quæ ad fidem pertinent. Cap. XI.

Primum genus obiectorum fidei.

PRÆTER illa quæ à nobis sensu & ratione cognosci possunt, alia esse diximus obiecta, fide completa, hæc uero bifariam partiuntur; Alia namque ad fidei Symbolum explicite pertinent, quæ quidem promiscuè inquirere, & attente audire debent tum imbecilles, & indocti homines, de quibus Christus dicebat [Sinite paruulos uenire ad me] tum ipsi infideles [Potens est enim Deus ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ] tum cuiuscunque ordinis & conditionis ipsi fuerint, quia [Non est acceptio personarum apud Deum] Omnes denique homines, cum scriptum sit [Prædicatæ Euangelium omni creaturæ] A Doctore igitur sunt ista cuiuscunque indiscriminatim explicanda, & nodi si qui inciderint dissoluendi non solum fidelibus, sed infidelibus omnibus, quisquis n. sit interrogans, ac de illis quærens, & docendus est, & laudibus prosequendus; cum ea nempe inquireat, & audire studeat, quæ ad salutem sunt maxi-

maxime necessaria: illud tamen est diligenter cauendum, ne quis illa quærendo demonstrationes ipsorum exigat, quæ quidem in rebus fidei nec postulari debent, nec tradi possunt, cum sit ipsa fides substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium; propterea dicebat ATHANASIVS [Quæ fide traduntur, cognitionem habent curiositate inscrutabilem] & CHRYSOSTOMVS id temerè tentantem reprehendebat inueniens [Periculosam rem facis, mysteria Dei curiosè examinans, rationemque illorum exigens] BERNARDVS uero in quendam hoc uitio laborantem ita inuehitur [Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit, & contra fidem, Quid n. magis contra rationem, quam rationem conari transcendere? & quid magis contra fidem quam credere nolle quicquid non possit ratione attingere? Denique exponere uolens illud sapientis, Qui credit cito, leuis est corde, citò credere inquit est adhibere fidem ante rationem, cum hoc Salomon non de fide in Deum, sed de mutua inter nos dixerit credulitate. Nam illam, quæ in Deum est fidem, Beatus Papa Gregorius negat planè habere meritum, si ei humana ratio præbeat experimentum, laudat autem Apostolos, quod ad unius iussonis uocem secuti sunt redemptorem, scit nimirum pro laude dictum. In auditu auris obediuit mihi: increpatos è regione discipulos quod tardius crediderunt; Denique laudatur Maria quod rationem fide præuenit, & punitur Zacharias quod fidem ratione tentauit; & rursus Abraham commendatur quod contra spem in spem credidit] Stulta itaque putanda erit omnis eiusmodi Quæstio, pariterque uituperanda illa interrogatio in homine fidei erit, quam hæsitans, & in ijs quæ sunt fidei dubitans attulerit, cum fides omnem prorsus hæsitationem respumat, & hæsitatio ipsa fidem euertat; quod commonens CHRYSOSTOMVS dicebat [Non igitur intendamus Quæstionibus, fideles enim ideo uocati sumus, ut his quæ

Ep. 2. ad Serapionem.

In ep. ad Ro. ser. 27.

Ep. 190.

quæ dicuntur sine ulla hæsitatione credamus, ut nihil omnino dubitemus; nam si humana essent quæ dicuntur, oporteret ea merito discuti; Quod si diuina sunt, honoranda solummodo atque credenda censentur, sin uerò non crediderimus ea, neque Dei esse sciemus] Et rursum [Vidisti quomodo huiusmodi quæstiones culpant, ac refecare contendit? ubi enim fides est nulla quæstionis necessitas est, ubi nihil oportet curiosè perquirere, quid opus est quæstione? Quæstio nempe fidem tellit; qui enim quærit nondum inuenit, qui quærit credere difficilè potest, iccirco inquit non uacamus huiusmodi quæstionibus, nam si quærimus id fides non est, fides enim animam cogitationemque facit conuiescere] Increpandi itaque sunt huiusmodi hæsitantes homines, qui tamen si præsertim quadam imbecillitate potius, quàm malitia dubitare deprehendantur, erudiendi profectò erunt, ut omnis scrupulus ex eorum animis euellatur; Illud nanque in Apostolo Thoma de Christi resurrectione dubitante factum legimus, Idemque in alia quæstione Philippo accidisse scimus, hæsitanti quidem illi, sed tamen modestius interroganti; De quo dicebat CYRILLVS ALEXANDRINVS [Domine ostende nobis Patre, & sufficit nobis, & quoniam absque malitia interrogabat, probè docebatur. Tanto enim tempore uobiscum sum, & non cognouisti me Philippe? ut ergo rudiorum ad sublimiora ingenio consequenda, & ad fidem uocans, & roborans rogat] Hæc itaque obseruanda erunt in obiectorum fidei genere primo, omnibus quidem perspecto, atque explorato; præter quod ab accuratè inspicientibus genus alterum deprehenditur abstrusum magis ac reconditum, nec omnibus quidem expositum, sed nec ut dicimus, exponendum, imò nonnullis quibus notum illud esse deberet, ita inauditum, ut à primo ipsum seiungere nunquam didicerint; Huius autem generis putanda sunt sacramentorum mysteria, & plura alia scripto uel traditione reuelata arcana ad fidem spe-

ctan-

In euang.
Io. li. 3. c. 132. Genus
obictorū
fidei.

stantia, quæ tamen in Symbolo Apostolorum palàm expressa non extant: In his uerò præter ea, quæ in alterius generis obiectis obseruauimus, illud etiam est animaduertendum, Gentilibus atque Iudæis, etiam interrogantibus, non esse illa aperienda, Cathecumenis autem eorum aliqua exponi solere, cætera omnia solis Baptizatis explicare fas esse, ne. s. dentur sancta canibus, & margaritæ proiciantur ante porcos, qui illas conculcent. Audire enim Euangelium omnibus licet, Gloria autem Euangelij ita referatur, ut solis Christianis pateat; propterea erat hoc in more positum institutoque maiorum, ut eiusmodi mysteria uel sine scripto posteris traderent, uel scribentes uelamine inuoluerent, uel si fortè euoluta, nudataque litteris occasione data consignassent, ne ad manus omnium peruenirèt summopere curarèt; id ipsum propterea curèt nunc quoque Doctores, caueant uerò Auditores ne illa arcana quærant, quibus ipsis est interdictum, atque ea tractare præsumentes, quæ ad illorum ordinem non attinent, Core ipsum imitètur, quæ Diuina scriptura summopere detestatur. Id uerò sanctos Patres non solum cautè obseruasse, sed cæteros quoque diligèter monuisse, ex ipsorum dictis liquidò cognoscemus. In primis itaque DIONYSIUS AREOPAGITA frequenissimè id commonuit inquit [Precationes autem quæ in mysterijs adhibentur, nephas est scripto interpretari, & mysticæ eorum intelligentiam, aut uim, quæ in eis Deo auctore efficacitatem habet ex adyto in publicum efferre] Et rursum [Auresque sacras sacris diuinorum nominum interpretationibus adhibeamus, sanctis sancta, ut scripta Diuina tradunt dantes, & inserentes, eaque ab illorum, qui initiati non sunt risu, ludibrioque uindicemus, aut eos potius, si qui sunt planè huiusmodi homines à bello, quod hac ex parte cum Deo gerunt, liberemus: Tu quidem hæc obseruare debes Timothee ex sanctissima interpretatione, neque diuinas res, uel diuulgare ijs qui initiati non sunt, uel enunciare] Et alio

in

De Eccl.
Hier.De Diu.
nom.

Cōtra Cel-
sum. li. 3.Præf. Ca-
tech.

Catech. 6.

in loco [Vide autem, ne quis eorum, qui non sunt initiati factis nostræ religionis, hæc audiat] Cum, quo. cōsentiens ORIGENES ait [Profundiores sensus celamus, & silentio præterimus in cœtu eorum, qui opus habent lacte] CYRILLVS uerò Ierosolymitanus diligentissimè idem monuit ac explicauit dicens [Cum autem Catechisis recitatur, si Catechumenus ex te quæserit, quid dicebant Doctores? nihil dicas extra, mysteria enim tibi, & spem futuri seculi tradiderunt, custodi hoc mysterium retributori, nec unquam dicentem aliquem audi, Quid obest si & ego didicero? etiam ægroti quandoque postulant, quod si intempestiuè illis detur phrenesim conciliat, & duo hinc nascuntur mala, nam & æger interit, & medicus male audit; sic & Catechumenus si audiat mysteria à fidei phrenesim patitur, nescit enim quid audierit, & tamen arguit rem ignotam, dictaq; irridet; fidelis uerò tanquã proditor condemnatur: Jam ergo tu in finibus nostris constitutus caute ne quid effutias, non quòd digna non sint narratione ea, quæ ibi dicuntur, sed quòd indignus est ille audire cui refers; fueras & tu aliquando Catechumenus, neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur; quando autem sublimitatem eorum, quæ nunc traduntur, experientia didiceris, tunc planè intelliges dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant] Et rursum [Audire Euangelium omnibus licet, gloria autem Euangelij solis Christi germanis diffinitur, & aperitur: loquebatur Christus his, qui audire non poterant, in parabolis, discipulis autem seorsum dissoluebat parabolas, splendor gloriæ illuminatis, excæcatio autem infidelibus. Hæc mysteria, quæ nunc ecclesia enarrat tibi Catechumeno, non est moris Ethnicis enarrare, nec enim Ethnico mysteria de Patre, & Filio, & Spiritu sancto declaramus; Quin & Catechumenis non adeo apertè dicimus mysteria, sed sæpe obscurius dicimus, ut scientes fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpant] Eandem sententiam paucissimis verbis cō-

ple-

plectēs GREGORIUS NAZIANZENSIS ait [Habes quæ de mysterio foras exportare, & ad vulgi aures efferre licet, cetera intus Trinitate iuuante addices, quæ etiam ipsa apud te ipsum occulta, clausaque habebis, baptismo ob signata, atque reuerentia] BASILIVS uerò illi coæuius non solum idem asserit, sed à maioribus quoque id ipsum traditum se accepisse testatur dicens [Hanc non publicatam, & arcanam doctrinam in minime curioso ac sollicito silentio Patres nostri conseruariunt, rectè illi, ut potè docti mysteriorum reuerentiam, & auctoritatem silentio custodiri; Quæ enim ne inspicere quidem fas erat non initiatis, horum doctrinam quomodo par erat in literis, uelut in triumpho, ostentare?] In eandem sententiam dicebat CHRYSOSTOMVS [Quemadmodum Prophetæ secus audiunt quàm vulgus, sic fideles aliter audiunt quàm Catechumeni] Et rursum [Ego autem dico quòd ipse Imperator, ipse Dominus tuis manibus terribilem calicem ministrabit, qui honore vtramque superat creaturam, & omni virtute decoratur; norunt istius calicis virtutem qui sunt diuinis consecrati mysterijs, sed & uos paulo post poteritis addiscere] His omnibus subscribens CYRILLVS ALEXANDRINVS inquit [Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, nè fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi disrumpant vos; Quo quidem verbo admonemur altissima diuinæ ueritatis sacramenta, & sublimia mysteria non esse proponenda impugnantibus ueritatis, aut cōtemptoribus, ne aut irrideant ea, aut acrius improbent] Idipsumque idem accuratè obseruans dicebat [Ut igitur non in aures eorum, qui non sunt initiati, occulta proferens impingam in Christum dicentem, Ne detis sancta canibus, nec proieciatis margaritas uestras ante porcos, profundioribus relictis conuertam me] CLEMENS quoque ROMANVS his omnibus antiquior, si qui circumferuntur, Apostolorum Canones, illi ascribendos putas, ait [Ordinationes uobis episcopis per me

Clemen-

Li. de Spiritu
sancto.In epi. 2. ad
Cor. ho. 2.Hom. ad
baptizandos.In euange.
Io. li. 5. c. 25Contra Iu-
lia. li. 7.In fine Ca-
nonū Apo-
sto.

Obiectio. Clementem in octo libris editæ, quæ non sunt omnibus divulgandæ propter ea quæ sunt in eis mystica] Duo igitur, quæ diximus, obiectorum genera Patres nouisse, atque illorum discrimina tum tradidisse, tum diligenter obseruanda monuisse, ut quædam omnibus, cætera paucis exponerentur, iam abunde cognouimus: sed perspicax aliquis dicet, si non erant, ut Patres monent, alterius ordinis obiecta omnibus aperienda, cur palam edita illa, & typis impressa conspiciuntur, ut ad manus non solum Christianorum hominum, uel etiam Catechumenorum, sed Iudæorum præterea, Ethnicorumq; peruenerint? Cur sancti uiri aduersus Gentes disputantes, fidei arcana illis referare, scripto tradere, atque huiusmodi disputationibus ipsa inferere non sunt ueriti? Cur denique nostris temporibus ex sacri Tridentini Concilij Decreto, atque Pontificis iussu, in unum Catechismum eadem collecta, litteris consignata, ac prorsus nudata publicè omnibus ostentantur? Huic breuiter respondemus, Hæreticorum, atque ethnicorum culpa id factum esse, illis enim incredibili audacia catholicam fidem oppugnantibus, atque eius diuina mysteria risu & conuicijs excipientibus, quæ quidem ipsi, aut nobiscum manentes didicerant, aut à Trasfugis, & Proditoribus, uel rimarum plenis hominibus acceperant, idque in Religionis nostræ detrimentum ac dedecus redundare, atque infirmos & imbecilles uiros non paucos à pietate propterea abduci cum sancti Patres, & Ecclesiæ Præsides animaduertent, pietatis tandem & charitatis uicincti sunt, quæ paulatim effluerant, mysteria explicare, atque à ludibrio & maledictis uindicare, fallaces. Item Hæreticorum, tum Gentilium argumentationes diluentes, atque Christianam causam, quibus poterant rationibus defendentes; Quod quidem apertè testatur ORIGENES dicens [Hæc oportebat abscondere, & in medium non proferre, sed Hæretici nos impellunt, ut celanda efferamus in publicum, quia tecta sunt utiliter apud eos, qui

adhuc

adhuc paruuli iuxta animæ ætatem sunt] & post pauca [Semper enim sacramenta Dei propter paruulos auditores uelaminibus quibusdam operiuntur: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te] Cum quo consentiens HILARIVS, dum Trinitatis mysteria exponeret, ait [Sed compellimur hæreticorum, & blasphematum uitii illicita agere, ardua scandere, ineffabilia loqui, inconcessa præsumere] Nolumus itaque sapere plusquam oportet, sed sapiamus ad sobrietatem, Abstineatq; Ethnicus, Iudæi, & Catechumeni ab eorum lectione, que solis Initiatis scripta sunt, imò ipsi etiã Baptizati infirmiores, nec admodum perspicaces, altiora quædam mysteria solertibus, ac eruditis, uel etiam Theologiæ Auditoribus sponte relinquunt, sciantque eorum lectionem ipsis non profuturam, nisi fortè (quod plerisque accidit) impij aliqui homines uenena ipsis antea propinauerint; quod scitè admodum commonet CYRILLVS ALEXANDRINVS inquit [Audiui rumores quosdam graues & perniciosos apud uos esse sparfos, & oberrare quosdam, qui sinceram uestram fidem destruant, & inania uerba apud turbas oblaterent, ac percunctentur dicentes, An Beata Virgo Deipara nominari debeat, necne. Præstiterat quidem prorsus huiusmodi quæstionibus abstinere, & quæ ueluti in speculo, & ænigmate contemplatu difficilia sunt omnino inquirere, ne eos quidem qui mente sunt integra, & intellectu prouectiore, (simpliciorum nanque mentem etiam minutiora Theoremata transcendunt) quoniam uerò factum est, ut talium uerborum haud permanseritis expertes, & uero simile est futuros inter uos, qui perniciem ex illis, ueluti clauos quosdam imbecilliorum mentibus infigat, necessarium duxi pauca quædam de his rebus ad uos proferre, non ut hæc amplius contendatis, sed ut si quidam uos nugis his adoriantur ueritati repugnantes, ipsi & perniciem, quæ ex errore est effugatis, & alios competentibus rationi-

E bus

De Tri. li. a

Ep. 1.

bus tanquam fratres adiuuetis] ex quibus Cyrilli uerbis illud etiam nobis declaratur, cur æditæ sint huiusmodi quæstiones, ut ad manus imperitorum peruenire possint, & quare Concionatores ipsi de illis quandoque sermone publice habeant, Hæreticorum quippe & impiorum hominum culpa id factum esse ipse asserit; quod quidem Iulianus quoque & Origenes apertissime prædicabant, quæ etiam necessitate coacti olim sunt Nicæni Patres, Ariana peste Ecclesiam uexante, arcana quædam Symbolo explicare, quæ ipsi Apostoli silentio studiosè præterierant, atque succedentibus temporibus impia Hydra noua semper tum capita extollente, tum uenena euomente, plura mysteria sine scripto antea tradita, & sedulo recondita, litteris cõsignare Ecclesiæ Doctores, & Patres compulsi sunt, ac tandem omnium istarum pestium colluione quadam totum orbem uastante, quod quidem calamitosis nostris temporibus accidit, necesse habuimus arcana ipsa referare, atque inter cætera Apostolorum constitutiones sacro quodam silentio semper ueneratas, & paucis olim expositas, è tenebris in lucem uocare, Cyrilli catecheses per uulgare, atque Romanum præterea catechismum conficere, quo fidei arcana complectentes hæreticorum uenenis antidotum pararemus, tum ad custodiendos eos qui ab impijs uenena data nondum obbiberunt, tum ad cæteros curandos, qui uenenata pocula incauti exhauerunt.

De Quæstionibus eorum, quæ ad Theologiæ scientiam pertinent. Cap. XII.



ERTIO loco paulo ante numerabamus res illas, quæ ad scientiam, ac sapientiam, siue Theologiam propriè acceptâ pertinere dicebamus, cuiusmodi sunt Rationes, modi, & cõditiones rerum fide apprehensarum, de quibus consequens iam est ut uerba faciamus: Huiusmodi uerò Quæstiones omnes stultas numerare

Dubitatio

rare aliquis fortasse posset, animaduertens. Si fidem ipsam omnia complecti, quæ ad salutem nostram sunt necessaria, præterque alia adhuc, quærere superuacaneum profectò uideri potest, ac temerarium; Cui etiam aliud accedit incommo- dum, quòd nemo unquã putabitur operam in illud perscrutandum, & cognoscendum recte conferre, quòd à nobis percipi non possit omnino; Sciri autem non potest, quòd sensu & ratione non comprehenditur, nec credi illud debet quòd fides non complectitur; Quare ignorari necesse est quicquid nec sciri nec credi potest; at huiusmodi id certè erat, quòd inquirendum mox dicebamus, ut propterea sancti quoque Patres Quæstiones istas omnino improbare uideantur; CHRYSOSTOMVS enim Apostoli uerba exponens dicebat [Quæ præstant Quæstiones magis quàm ædificationem Dei quæ est in fide, congruè contra dispensationem Dei appellauit, magna nempe sunt, quæ dare nobis uoluit Deus, sed nõ capit anima dispensationum ipsius magnitudinẽ, fide igitur ad istud opus est, ea. n. animarum medicamentum maximũ ac saluberrimum est: Quæstio igitur dispensationi Dei contraria esse perhibetur: Quid enim ipsa fides efficit ac molitur in nobis? ut si ipsius beneficia gratè suscipiamus, euadamusque meliores, non permittit de re ulla contendere, aut ambigere, sed requiẽ ab his omnibus præstat, quæ. n. fides peragit, atque ædificat, ea quæstio prorsus euertit, cur id quæso? Quia inquirendi nullũ finem facit, & fidẽ prorsus eliminat] Atque idem apertius CYRILLVS ALEXANDRINVS assererat dicẽs [Aliorũ igitur, ut diximus, culpa perdocti, cũ Deus operetur non quaramus, quomodo, sed operis sui uiam, atq; scientiam illi soli concedimus: nã quemadmodum quamuis nullus nouit quidnam secũdum naturam Deus sit, iustificatur tamen per fidem, cum credat præmia illum rediturum quærentibus eũ, sic etsi operum eius rationem ignorat, eũ tamen fide omnia illum posse non dubitet, non contemnenda probitatis huius

1. Argum.

2. Argum.

3. Argum.
In epi. 1. ad
Tit. ho. 1.

In euang.
Io. li. 4.

Responsio. præmia consequetur] Ad hæc tamen, quæ obijciuntur, nos re-
spondere non dubitabimus, putantes nimirum Quæstiones
istas maxime fructuosas ac laudabiles esse, quarum quidem
studium si abijceretur, Theologia ipsa omnino periret, utpo-
tè quæ circa hæc, ut suo loco abunde explicauimus, in primis
uerfatur, & fide nixa, uelut fundamento iacto, scientiæ ædifi-
cium construit, ac multa inquirens difficultia eadem euoluit,
Ad 1. argu. ac docet. Dicimus itaque non temerè illa inquire, quæ ad Dei
cognitionem, atq; eius operum, mysteriorum, ac beneficiorum
contemplationem plurimum conferunt, et si ad salutem nostram
non sint omnino scitu necessaria: Quæ quidè ipsi etiam Beati
uidentes lætitia exultant; illos, n. Deum intuentes non ea solum,
quæ nos ad salutem nostram necessaria credimus, sed & quæ cõ-
templando inquiremus, & alia plurima cognoscere certum est;
Quos quidè imitari, ut possumus, omnino debemus: Quare nec
Ad 2. argu. temeraria, nec superuacanea, ut dicebatur, inquisitio ista pu-
tanda erit. Multo uerò minus explodenda propterea erit, quia il-
la perscrutetur, quæ nec humana ratione scire possumus, nec
fide amplecti debemus, cum præter hæc sit tertium atq; exclusum
quoddam cognitionis genus ex fidei dogmatibus, & ratione
conclusis constans, quo ea comprehenduntur ad quæ ratio sola
peruenire non posset, sed fide ipsa, & Diuinis donis euecta ad
eadem contemplanda, & concludenda extollitur: Hunc uerò Ha-
bitum, nec scientiam, quæ demonstratione nititur, uocare fas est,
nec fidem dicere licet, quam Diuinam potius sapientiam, aut
Ad 3. argu. Cognitionem, aut trito uocabulo Theologiam appellare me-
ritò solemus. Patres huiusmodi Quæstionum studium, ut
obijciebatur, nunquam profectò improbarunt, quinimò in
illud multam operam, & posteris ualde utile ipsi contulerunt:
Sed Quæstionem quidem istam, Quo est, posteriorè esse quæ-
stione, Si est, & fide, quæ totius ædificij est basis, niti illam oportere
isdem Patres studiosè comonuerunt, Quæstiones iure re-
hærentes, quæ hunc ordinem peruertant, & fidem ipsam an-

teuer-

teuertant. Quod quidem sequentia illorum dicta declara-
bunt; CLEMENS enim ALEXANDRINVS ait [Eam quæ uerè
cum fide conuenit quæstionem, quæ supra fundamentum fi-
dei superædificat splendidam, ac magnificam ueritatis cogni-
tionem, optimam esse scimus] cum quo consentiens discipu-
lus ORIGENES dicebat [Illud tamen scire oportet, quoniam
sancti Apostoli fidem prædicantes, de quibusdam, quæcun-
que necessaria crediderunt, omnibus credentibus, etiam his
qui pigriores erga inquisitionem Diuinæ scientiæ uideban-
tur, manifestissime tradiderunt, Rationem scilicet assertionis
eorum relinquentes ab his inquirendam, qui spiritus dona
excellencia, & præcipuè sermonis, sapientiæ, & scientiæ per ip-
sum Spiritum sanctum percipere merebantur; De alijs uerò
dixerunt quidem, Quia sint, Propter quid autè, aut unde sint
siluerunt profectò, ut studiosiores quoque ex posteris suis
amatores sapientiæ & scientiæ exercitium habere possent, in
quo ingenij sui fructum ostendere ualerent, hi uidelicet, qui
dignos se, & capaces sapientiæ præpararent] atq; in eandem
sententiam accomodari potest illud TERTULLIANI [Quæ-
ramus ergo in nostro, & à nostris, & de nostro, in quo? dum-
taxat quod salua Regula fidei potest in quæstionem deuenire]
Istis uerò subscribens Cyrillus Alexandrinus ait [Opor-
tebat igitur fidei primum radices in animo iacere, deinde il-
la quærere, quæ homini quærenda sunt; illi uerò antequam
crederent, importunè quærebant: Hac igitur de causa Domi-
nus quomodo id fieri possit non enodauit, sed fide id quæ-
rendum hortatur, sic credentibus discipulis fragmenta panis de-
dit dicens, Accipite, & manducate, hoc est corpus meum;
calicem etiam similiter circumtulit dicens, Bibite ex hoc om-
nes, hic est calix sanguinis mei, quod pro multis effundetur
in remissionem peccatorum, perspicias quia sine fide quæ-
rentibus mysterij modum nequaquam explanauit, credenti-
bus autem etiam non quærentibus exposuit] Quod compro-

E 3 bans

Strom. li. 5.
Periarcho.
lib. 3.

De Præscr.

De natura & gratia cōt. Pclag. **bans** AVGVSTINVS quoque dicebat [Credere ista fortasse sufficeret, sed tamen quia disputare uis, nec obest, imò etiam prodest, si firmissima præcedat fides, nec existimemus peccato naturam humanam non posse uitari, sed Diuinis credentes scripturis, peccato eam esse uitiatā, quomodo id fieri poterit inquiramus] Vitium igitur in Quæstione residebit, si Gētilis, Iudæus, Catechumenus, uel etiam hæreticus is fuerit, qui ista quærat, quæ nunc diximus, aut Theologus aliquis ipsum eadem doceat, cum illorum nemo inter uerè fideles numeretur, imò nec uitio carebit eadem Quæstio, si à perdito ac flagitioso Christiano habeatur, Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus, & Corinthijs carnalibus lac potum dabat Apostolus, non escam; propterea dicebat

De Agone Christ. **AVGVSTINVS** [Errat autem quisquis putat ueritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter uiuat] Cum quo Patres omnes consentire, de Auditoris Theologiæ moribus agentes, abunde demonstrauius: Quisquis igitur conditionibus ac notis illis caruerit, quibus Auditorem ipsum descripsimus, & dijudicandum proposuimus, ab istis Theologicis disputationibus omnino abstineat; quod Patres frequenter monuerunt, ut ibidem omnium consensione conclusimus; utatur uerò is sapienti GREGORII NAZIANZENI consilio, qui ait [Verba ea quæ simul cum lacte enutritus es, mordicus retine, sermonis autem & disputationis curam eruditioribus manda, satis superque tibi est fundamentum habere, superstruat Architectus; sufficit tibi cor pane fulcire, obsonia copiosis & locupletibus relinque] Et rursus [Celeritas tua usque ad fidei confessionem progrediatur, quando ea exacta fuerit, ultra eam autem meticulosiorem te esse uelim; nam ut illic tarditas, ita hic festinatio periculosa est. Quid autem est, quamobrem graue & intolerandum putes, si non in omni disputatione dominaris, atque in omni quæstione & problemate primariam sedem obtineas? uerum alij te uel doctiores

Or. à Mod. disp. ser.

Ibidem.

ctiores, uel audaciores inueniantur? Deo gratiæ habeantur; quòd, ut eximia largitur, ita per communia saluti hominum consulere nouit] Ad auctoritates autem ex contrario allatas reliquum est ut nominatim ac breuiter respondeamus, dicentes Chrysostomum eo in loco de illis loqui quæstionibus; quæ fidei fundamento non innituntur, Cyrillum uerò asserere huiusmodi Theologicas quæstiones non esse ad salutem necessarias, ad quam sola sufficit fides, sine qua illas etiam esse perniciosas; Id ipsum uerò nos quoque fatemur. Quorum quidem Patrum sententiam hanc fuisse, quam diximus, uerborum pondera examinantes facile intelligent. Atque hæc dicta sint de Quæstionibus tum ad Theologiam, tum ad fidem pertinentibus; in quibus confirmandis explicandisque, si quis plures adhuc Patrum auctoritates fortè desideret, is addat illas, quas cumulatè adduximus cum de Auditoris fide ac moribus ageremus.

Tit. à Auditore Theologiæ.

De quæstionibus eorum, quæ ad Beatorum Visionem pertinent. Cap. XII.

RELIQUVM iam id unum est, Obiectorum genus, quod postremo loco numerabatur, in altissimorum rerum omnium gradu collocatum, quod quidem ipsis Beatis, facie nimirum ad faciem uidentibus, conspicuum est, nobis uerò maxime reconditum & occultum, ut potè qui per speculum in ænigmate, ut ait Apostolus, nunc cernamus, atque imbecillitate maxima laborantes splendidissima intueri nō ualeamus, sed immenso ipsorum fulgore animi acie perstricta, quasi excæcati obscurissima caligine, eadem tecta putemus. Nunc itaque quotquot uiuimus, ne summos quidem Theologos excipientes, ex parte cognoscamus, & ex parte prophetemus, neque ambulemus in magnis, aut mirabilibus super eos, multiplicantes loqui sublimia, Noli-

E 4 musque

musque sapere plusquam oportet, sed sapiamus ad sobrietatem, atque expectantes futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, disquisitioni modum adhibeamus, illaque omnia silentio prætereamus, quæ Beatorum visioni referuari didicimus, in cor enim hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se, quamuis illa quidem non sint per se ignota nec sui nec nostri ratione, ut potè quæ Dei dono visuros nos quandoque speremus, sed hanc mortalem, & caducam vitam degentes non debemus ea quærere, quæ non licet homini loqui, nè à sapiente audiamus, imò re ipsa experiamur. [Qui perscrutator est maiestatis, opprimetur à gloria] Cum quo & scripturæ & Patres omnes uno ore consentiunt; atque ab huiusmodi inquisitionibus nos auocans RUFFINVS dicebat, [Quomodo sanè Deus Pater genuerit filium nolo discutias; nec te curiosius inferas in profundi huius arcanum, nè forte, dum inaccessæ lucis fulgorem pertinacius perscrutaris, exiguum ipsum, qui mortalibus diuino munere concessus est, perdas aspectum] Quare Quæstiones istas missas omnino faciamus, & in maximè stultis omnium consensione reponamus. Quo constituto, ea profectò omnia definita tandem esse videntur, quæ inquirenda proposueramus, ut iam quid cuique quærere congruat repugnetve sine errore dijudicare possimus. Quod quidem hic adscripta Tabella singula Quæstionum genera complectens, eaque partitionibus distributa sub uno aspectu ponens facile indicabit.

In exp. sim
bo. Apost.

Respon-

Responsiones ad Argumenta, quæ aduersus uniuersum Quæstionum Genus afferebantur. Cap. XIII.



Is uerò explicatis orationem iam conuertamus in argumentationes diluendas, & scripturæ ac Patrum dicta interpretanda, quæ ab aduersarijs obiecta, omne quærendi studium labefactare, an conuellere videbantur. Scripturæ igitur est obtemperandum iuuenti, ne nobis altiora ac fortiora scrutemur, sed, ut ià abunde declarauimus, altiora seipsis quærunt, & fortiora perscrutantur Ethnici, quæ ad Christianos, uel Catechumenos attinet percunctantes, Catechumeni quæ ad baptizatos, Idiotæ quæ ad Theologos, Theologi tandem quæ ad Beatos spectant, nec loqui hominibus licet, inquirere tentantes. Quisquis etiam solius Dei cognitioni reseruata inuestigare audeat, tanquam maiestatis scrutator, teste Salomone, opprimeretur à gloria; propterea que eiusmodi quæstiones nos inter stultas merito numerauimus, atque DIONYSIVS AREOPAGITA hæc omnia simul complectens unica responsione illis satisfacit dicens [Ipsa diuinarum legum optima præscriptio, ea quidem, quæ supra nos sunt, ne curiosius exquiramus, uetat, quòd & merita nostra superent, & comprehendì nò possint; ea autem omnia, quæ nobis permissa & concessa sunt, tum diligenter discere iubet, tum benignè cum alijs communicare] Sublimia quoque loqui, Theologum præsertim, maximè decere, ea tamen loquendo multiplicare nemini licere constanter fatemur, cur autem id non liceat, possemus quidem multifariam exponere, sed tamen nunc solum audiamus ORIGENEM id doctè interpretantem [Nolite, inquit, multiplicare loqui excelsa, cur non dixit, Nolite loqui excelsa? ergo licet mihi loqui aliqua excelsa, multiplicare autem ardua,

Resp. ad scri-
pturæ au-
thoritates

De Diui.
nom.

In l. Regno
rū hom. 1.

&

& excelsa non mihi licet? hoc enim videtur designari per id quod dictum est, Nolite multiplicare loqui excelsa; Quid ergo per hoc consideretur iudicemus: Non permittitur humanae naturae multa excelsa quærere, neque multa excelsa intelligere, nam & Salomon dicit. Altiora te ne quæseris, & fortiora te ne scrutere, sed de quibus tibi præceptum est, hoc intellige: ergo & hoc in loco dicitur Excelsa non ut omnino non quæras, sed ne de his multiplices quæstiones; respicitur quippe ad imbecillitatem conditionis humanæ, sufficiat tibi ea de excelsis & arduis uel inquisisse, uel proloqui, quæ uitam uel inquirentibus, uel loquentibus tribuant; Quæ autem sunt, in quibus excelsa me loqui necesse est? Quando de inuisibilitate & sempiternitate eius excelsa loquor, quando de Vnigeniti eius coeternitate, ceterisque eius mysterijs pronuncio, excelsa loquor; quando de Spiritus sancti magnificentia differo, excelsa loquor: In his tantum conceditur nobis loqui excelsa, post hæc tria nihil iam loquaris excelsum, omnia enim humilia sunt & deiecta, quantum ad Trinitatis huius celsitudinem spectat. Nolite ergo multiplicare loqui excelsa, nisi de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Et ut planius manifestum fiat quod loquimur, utamur adhuc, si uideatur, exemplis: Verbi gratia, Gentes multos introducunt Deos, isti multiplicent loqui excelsa; Hæreticorum quidam derelinquentes Creatorem mundi, & filium eius, fingunt sibi alium nescio quem excelsiorem Deum, & alios similiter introducunt, siue quos *αἰώμια* siue quos Deos appellant, & isti ergo multiplicant loqui excelsa] Præterea uero cum Dauide & Paulo nos quoque clamamus, Vias, Vestigia, sensum, scientiam, ac iudicia Dei, abditasque rationes, quas ipse sibi reseruauit, nobis non referendas, temerarium esse curiosius inuestigare, idque iam pridem asseruimus, & nunc rursus libentissime concedimus. Quæ tamen Deus reuelauit, studiosè obseruare, vel illis ducibus & ratione comite eisdem consequentia perscrutari

æquis-

æquisimum putamus, cum huiusmodi aditus Deus ipse nobis patefecerit. Nec omnes etiam Quæstiones Paulum Dei ordinationi opponere dicimus, sed illas solas, quæ fidei demonstrationes exigunt; ut apertè interpretatur **OECVMBENIVS** dicens [Hic ergo quæstiones dicit insensatas ac contentiosas; Quid autem ordinauit Deus? ut quæ ipsius sunt, fide suspiciantur, sunt enim incomprehensibilia, per hoc autem; quod rationes de unoquoque requirunt (nam illæ sunt Quæstiones) Dei resistunt dispositioni] Idipsumque eo in loco asserit etiam **Chrysostomus**; has uero Quæstiones nos quoque inter stultas numerauimus, quas ut declinemus, atque omnem culpam effugiamus, illud erit diligenter obseruandum, de quo nos commonet **CYRILLVS ALEXANDRINVS** cum ait [Demus igitur operam, qui Dei mysteria discere gliscimus, ut quasi optimi numularij numum cognoscamus, ne aut in fide accipienda ratione docere uelimus, aut quæ ratione probari possunt, temeraria credulitate approbemus, sed alterutris ut decet attendentes, ac per iter regium in neutram partem declinantes ambulemus] Ad cætera uero Pauli dicta nobis obiecta respondere quiuis facile poterit, ex iis. scilicet quæ de stultis quæstionibus longo sermone disseruimus, audiamus tamen respondentem etiam **HERONYMVM** [A stultis igitur nos Paulus reuocat Quæstionibus, cæterum ad sapientes, & quæ scripturarum auctoritate sunt fultæ, magis cohortatur ac prouocat, præceptorum non nescius Saluatoris, in quibus ait, Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, petite & dabitur uobis, omnis enim qui quærit inueniet, & qui petit accipiet, & qui pulsat aperietur ei, modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, & ingredietur in nos sapientia; exerceatur sensus, mens quotidie diuina lectione pascat, & quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones] His iam scripturæ sacræ testimoniis interpretatis, quæ nostræ sententiæ aduersari uidebantur, cum ei maxime fauerent, ad Patrum

In 1. epist. ad
Tim. c. 1.

In euang.
Io. li. 4.

In 1. epist. ad
Tim. c. 3.

Respon. ad
Patrum au-
thoritates

trum

& excelsa non mihi licet? hoc enim videtur designari per id quod dictum est, Nolite multiplicare loqui excelsa; Quid ergo per hoc consideretur iudicemus: Non permittitur humanae naturae multa excelsa quærere, neque multa excelsa intelligere, nam & Salomon dicit. Altiora te ne quæseris, & fortiora te ne scrutere, sed de quibus tibi præceptum est, hoc intellige: ergo & hoc in loco dicitur Excelsa non ut omnino non quæras, sed ne de his multiplices quæstiones; respicitur quippe ad imbecillitatem conditionis humanæ, sufficiat tibi ea de excelsis & arduis uel inquisisse, uel proloqui, quæ uitam uel inquirentibus, uel loquentibus tribuant; Quæ autem sunt, in quibus excelsa me loqui necesse est? Quando de inuisibilitate & sempiternitate eius excelsa loquor, quando de Unigeniti eius cœternitate, cœterisque eius mysterijs pronuncio, excelsa loquor; quando de Spiritus sancti magnificentia differo, excelsa loquor: In his tantum conceditur nobis loqui excelsa, post hæc tria nihil iam loquaris excelsum, omnia enim humilia sunt & deiecta, quantum ad Trinitatis huius celsitudinem spectat. Nolite ergo multiplicare loqui excelsa, nisi de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Et ut planius manifestum fiat quod loquimur, utamur adhuc, si uideretur, exemplis: Verbi gratia, Gentes multos introducunt Deos, isti multiplicent loqui excelsa; Hæreticorum quidam derelinquentes Creatorem mundi, & filium eius, fingunt sibi alium nescio quem excelsiorem Deum, & alios similiter introducunt, siue quos *αἰόπας* siue quos Deos appellant, & isti ergo multiplicant loqui excelsa] Præterea uerò cum Dauide & Paulo nos quoque clamamus, Vias, Vestigia, sensum, scientiam, ac iudicia Dei, abditasque rationes, quas ipse sibi reseruauit, nobis non referendas, temerarium esse curiosius inuestigare, idque iam pridem asseruimus, & nunc rursus libentissime concedimus. Quæ tamen Deus reuelauit, studiosè obseruare, vel illis ducibus & ratione comite eisdem consequentia perscrutari æquis-

æquisimum putamus, cum huiusmodi aditus Deus ipse nobis patefecerit. Nec omnes etiam Quæstiones Paulum Dei ordinationi opponere dicimus, sed illas solas, quæ fidei demonstrationes exigunt; ut apertè interpretatur **OECUMENIVS** dicens [Hic ergo quæstiones dicit insensatas ac contentiosas; Quid autem ordinauit Deus? ut quæ ipsius sunt, fide suspiciantur, sunt enim incomprehensibilia, per hoc autem; quòd rationes de uno quoque requirunt (nam illæ sunt Quæstiones) Dei resistunt dispositioni] Id ipsum quoque eo in loco asserit etiam **CHRISTOSTOMUS**; has uerò Quæstiones nos quoque inter stultas numerauimus, quas ut declinemus, atque omnem culpam effugiamus, illud erit diligenter obseruandum, de quo nos commonet **CYRILLVS ALEXANDRINVS** cum ait [Demus igitur operam, qui Dei mysteria discere gliscimus, ut quasi optimi numularij numum cognoscamus, ne aut in fide accipienda ratione docere uelimus, aut quæ ratione probari possunt, temeraria credulitate approbemus, sed alterutris ut decet attendentes, ac per iter regium in neutram partem declinantes ambulemus]. Ad cætera uerò Pauli dicta nobis obiecta respondere quiuis facile poterit, ex iis. scilicet quæ de stultis quæstionibus longo sermone disseruimus, audiamus tamen respondentem etiam **HERONYMVM** [A stultis igitur nos Paulus reuocat Quæstionibus, cæterum ad sapientes, & quæ scripturarum auctoritate sunt fultæ, magis cohortatur ac prouocat, præceptorum non nescius Saluatoris, in quibus ait, Quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, petite & dabitur uobis, omnis enim qui quærit inueniet, & qui petit accipiet, & qui pulsat aperietur ei, modo non sit corpus nostrum subditum peccatis, & ingredietur in nos sapientia; exerceatur sensus, mens quotidie diuina lectione pascatur, & quæstiones nostræ stultæ non erunt quæstiones] His iam scripturæ sacræ testimoniis interpretatis, quæ nostræ sententiæ aduersari uidebantur, cum ei maxime fauerent, ad Patrum

In 1. epist. ad
Tim. c. 1.

In euang.
Io. li. 4.

In 1. epist. ad
Tim. c. 3.

Respon. ad
Patrum au-
toritates

trum

In epi. 2. ad
Tim. ho. 6.

trum quoque dicta explicanda descendamus, inter quæ primo loco obijciebatur CHRYSOSTOMI testimoniū, ad quod ipsemet alibi sua interpretatione respondet, dicens [Has inutiles quæstiones, inquit Paulus, deuita; sunt autem aliæ peritiles quæstiones de scripturis, de alijs necessarijs, à quibus ille minime nos prohibet, sed ita ut in conquirendo cessent lites, iurga, rixæ; procul enim ista esse debent ab eo, qui Dei Patris seruus est] Deinde uerò pluribus Patrum sententijs confirmabatur, non esse credibilium rationes curiosius exquirendas, ac fidem quæstionibus, & disputationibus exagitantibus, quod nos quoque fatemur, atque abundè superius demonstrauimus. Sequebantur deinde aliæ auctoritates, quæ quidem uidebantur probare non esse rationes, modos, & conditiones mysteriorum, atque operum Dei à nobis perscrutandas, quod tamen illæ non concludebant. In primis enim Ireneus ipse eo in loco aduersus Valentinum scribebat, quia ea inquirens quæ non oportebat, & inani scientia elatus in impietatem inciderat, propterea ijs uerbis, quæ superius recitauimus, hæc Ireneus addit [Quàm per quæstionum subtilitates, & multiloquium in impietatem cadere] Nec solum sequentia hæc, sed etiam antecedentia uerba ostendunt, illas Quæstiones ab Ireneo damnari, quæ ad blasphemiam, & impietatem nos ducunt, dicebat enim [Melius est ergo, & utilius Idiotas, & parum scientes existere, & per Charitatem proximum fieri Deo, quàm putare multum scire, & multa expertos in suum Deum blasphemos inueniri] Ad quæ uerba illa profectò referuntur, quæ obijciebantur, cum ipse dicat [Melius itaque est ut prædixi] Quod nos quoque cum illo fatemur, melius. scilicet esse nihil omnino scire, ad salutem tamen necessaria credere, quàm stultis Quæstionibus operam dantes in impietatem cadere, atque in Deum blasphemos inueniri: Gregorius uerò Nissenus illos reprehendebat, qui uel fidei demonstratiuas rationes quærunt, uel eas quidem
ratio-


rationes scrutantur, quæ ad diuinam scientiam pertinent, sed tamen idonei ipsi non sunt eiusdem scientiæ Auditores, ut propterea seipsis altiora quærant, & fortiora scrutentur, quos quidem nos quoque culpamus, & iam pridem reiecimus; Atque GREGORIUS NAZIANZENSIS, quod illius uerba aperte significant, de illis Quæstionibus nominatim loquebatur, quæ ad Dei caliginem, uel ad Beatorum uisionem pertinent: igitur immoderatum quærendi studium ipse improbabat, curiositatem. scilicet reprehendens, contentionem damnans, temeritatem coercens, ut alibi non minus aperte quàm doctè seipsum interpretatur dicens [Quid igitur interpellabit quispiam ex ijs qui acriori animo præditi sunt, an tu hac oratione nobis ne de Deo loquamur interdiciis? & quidnam ore uersabimus? aut quo loco illud ponemus, Semper laus eius in ore meo, & Benedicam Dominum in omni tempore, & Veritatem meditabitur guttur meum, & Ecce labia mea non prohibebo? Aliaque in eandem sententiam meditata, ac definita testimonia producet. Cui leniter ac sine animi acerbitate, ut hinc quoque animi moderationem doceamus, occurrendum est. Non ad silentium te hortor uir sapientissimè, sed à pertinaci contentione deterrere studeo, nec te ueritatem premere, atque occultare iubeo, sed ne præter legem doceas ueto; nam & ipse uel primos inter nomen profiteor, qui sapientiam & doctrinam laudibus efferunt, atque in diuinis sermonibus, sacrisque studiis tempus conterunt, aut certè conterere cupiunt, ac Deus faxit ne quid unquam huic occupationi præuertendum ducam, ne ab ipsa sapientia miser & infelix pronunciet, ut sapientiam & eruditionem aspernans; interim tamen excessum ueto, cupiditatemque inexplebilem coerceo, animoque ita sum affectus, ut si mihi utrumque uitium fugere, ac mediocritatem assequi non liceat, ignauus esse malim quàm curiosus, ac nimis timidus quàm nimis audax, ac temerarius] In eandem

Demod. in
disp. seruu.


dem etiam sententiam scribebat Chrysoſtomus, ut eius obiecta uerba non obſcurè indicant, & quæ alibi idem ſcripſit, rectum & moderatum quæſtionum uſum ubique comprobans, apertiffime demonſtrant. Idemque ſibi terè uolunt Cyrilli Alexandrini uerba, ſi eorum pondera examinentur, atque eiufdem dicta è contrario allata cum illis conferantur, ut ſtultas ipſum quæſtiones reprehendere manifeſtum ſit, eorumque præſertim, qui ſolius Dei uel Beatorum cognitioni expoſita perſcrutantur, & quæſtionem quomodo eſt ipſi ſi eſt quæſtioni temere anteponunt, ut ſcientiæ propterea ædificium abſque fidei fundamento conſtruere nitantur. Theodoretus tandem ſolas curioſas Quæſtiones, modum ſcilicet excedentes, culpæ ſe expreſſe teſtatur. Plura poſtremo Patrum teſtimonia producebantur ad id præterea probandum, quòd nihil omnino ſcrutare liceat præter illa, quæ Deus ipſe reuelauit, cum tamen ſancti illi ſolan immoderatam inqueſtione & proportione carentem, ubique reprehendant; ut exempli cauſa, Cyrillus Hieroſolomytanus de illis loquebatur Quæſtionibus, quæ captum excedebant Catechumenorum & initiatorum, ad quos ipſe ſcribebat, cum ad Theologos quidem, uel ad Beatos pertinere illæ dignoſcantur, ut propterea ab ineruditis fidelibus non ſint eadem diſcutiendæ. Quod ſi fortè Quæſtiones fuerint de illis rebus, quæ ad ipſam fidem pertinent, eiufmodi certe eſſe debent, ut nullam proſus de illis demonſtrationem interrogantes exigant. Modum igitur in Quæſtionibus diligenter adhibendum eſſe tum ipſe monebat Cyrillus, tum præterea Chryſoſtomus, Baſilius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, atque Pelagius, quorum auctoritates ultimo loco obiicebantur, nec obſcurè quidem illas ſolas quæſtiones omnes iſti reprehendebant, quas inter ſtultas, inanes, & curioſas nos quoque numerauimus, ac uehementer improbauimus, ſingulas autem Quæſtiones nominatim nunc recitare, atque

atque in ſuos ordines redigere, ut obiectis teſtimoniis illas reſpondere demonſtremus, longum proſectò eſſet, atque ſuperuacaneum, cum id quiſquis experiri deſideret, per ſe ipſum utique illud præſtare, atque ex iis, quæ diximus, unumquodque ſigillatim cognoscere facile poſſit. Quare iam ſublata uidetur omnis diſſenſio, optime enim (ut ſolent) ſcripturæ concordant de Quæſtionibus præcipientes, Patres illas interpretantes uno ore conſentiunt, Rationes quoque idem proſus concludunt ac demonſtrant, ut ſit omnium ſumma conſenſio, & uerum uero omnino conſonum.

QVÆSTIO
 Laudabilis dicitur: In qua nulla residet culpa,
 nec ex parte



QVÆSTIO
 Stulta dicitur:
 Cui uitium obuenit, uel causa



IVLII RVGERII
OPVSCVLVM
DE RHETORICA FACVLTAETE.



*In quo Rhetorica quis usus sit Theologo oppor-
tunus explicatur.*

CAPITVM OPVSCVLI DE RHETORICA FACVLTATE.

- Cap. 1. Quòd tria dicendi Genera (Demonstratiuum scilicet, Deliberatiuū, & Iudiciale) Theologus tractet.
- Cap. 2. An illis omnibus uti deceat Theologum, ex quibus persuadere docet Rhetorica.
- Cap. 3. Argumenta, quibus probatur Verborū ornatum à Theologo adhibendum esse.
- Cap. 4. Argumenta, quibus demonstratur Verborū exornationem à Theologo aspernandam esse.
- Cap. 5. Quòd nec Paulus, nec ullus ex Diuinis & Canonicis scriptoribus oratoria verborum exornatione sit usus.
- Cap. 6. Quòd sit genus quoddam dicendi Diuinum, humana omnia præcepta transcendens, Scripturæ sacræ germanum, ac ipsi Theologo maximè expectandum.
- Cap. 7. Quòd præter Diuinam eloquētiā humana quoque dicendi facultas Theologo sit opportuna, & quo verborum ornatu illum uti deceat.
- Cap. 8. Responsiones ad Argumenta, quibus sermonis exornatio confirmabatur.
- Cap. 9. Quòd Rhetoricam artem docere, atque dicendi præcepta sigillatim tradere, nec ad propositum institutum, nec ad Theologi officium pertineat.

Quòd tria dicendi Genera (Demonstratiuum scilicet Deliberatiuum & Iudiciale) Theologus tractet. Cap. I.



T verò Theologus noster, quæ intelligendo nouit, ea explicare dicendo facile possit, congruens omnino uideretur, (quod de Auditore agentes diximus) ut inter ceteras disciplinas, quibus illum excultum esse oportet, Rhetorica quoque facultas ipsi tanquam ancilla adiungatur, Ars scilicet ad ueritatem, & uirtutem persuadendam aptissima, in hæreticorum fallacibus ac fucatis argumentationibus diluendis efficax, omnium consensione laudata, atq; inter liberales honestissima numerata; Qua instructi non solum nobiles Philosophi, sed illustres etiā Theologi ad res maximas tractandas uenerunt, Ut Basilus, Gregorius frater, & alter Nazianzenus, Chrysostomus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, alijque innumeri eloquentia insignes: Huius uerò facultatis quisnam usus sit Theologiae opportunus, cum omnibus exploratum non sit, accuratè id perscrutari operæ pretium erit. Cum itaque totius Rhetoricæ finis sit persuadere, omnem quoque illius usum ad persuadendum accommodatum esse necesse est, multiplicata uerò cum sint genera eorū in quibus ipsa uersatur. Et uaria sint etiam media & instrumenta, quæ ad persuadendum adhibet, quærendum profectò in primis erit, an ea uti in singulis illis generibus Theologo cōtingat; deinde etiam an omnia illius subsidia, quasi machinas, ad mouere, eundē deceat. Tria igitur esse præcipua genera, in quæ usum ac uim omnem suā cōfert hæc dicendi facultas, fatentur omnes, Demonstratiuum scilicet, Deliberatiuū, ac iudiciale, primum uerò illud *ἐπιδικτικόν*

Tit. de Auditore.

in alicuius laudem aut uituperationem tribuitur, cuius finis ad persuadendum propositus Turpe ipsum est uel honestum; Alterum uerò in consultatione positum utile uel incommodum sibi proponit; Tertium habens in se accusationem, & defensionem iustum uel iniustum persuadet: Hæc autem genera an Theologo congruant dubitare quispiam non incite possit; uersantur enim illa in rebus ciuilibus atque forensibus, à quibus longe abest Theologia, quæ nec forum attingere, nec iudiciorum strepitus ferre potest; pertinet uerò ea omnia ad ciuilem facultatem, cuius *παρὰ* quoddam esse Rhetoricam nouimus, atque illi tanquam architectonicæ subiectam esse: Ad hoc uerò respondentes aliqui dicunt, Theologiam esse scientiarum ac disciplinarum omnium Reginam & Architectonicam, cui propterea unà cū cæteris ipsa quoque ciuilis facultas, atque illi subiecta Rhetorica, inseruiant; sed isti parum aduertere uidentur, nō posse Architectonicam scientiam ea tractare, in quibus cognoscendis studium suum inseruiantes posuerunt, eisdem tamen uti licere; Quod aliàs de Quæstionibus agentes fusè declarauimus: quare nec ciuiliū rerum cognitionem ad Theologum pertinere, sed solum illius notitiæ usum, ut propterea causas, iudicia, & ciuiles quas uis controuersias declinare ipse debeat, definitas uero & cognitatas usurpare suo iure possit. Quid igitur dicemus? an Theologo nostro Rhetoricæ usu interdiciemus? uel uel Ciuilis facultatis fines ingredientem Theologiam immensiter terminis describemus? uel oratoriam quandam artem, quod aliqui audent, excogitabimus solutam ac uagam, & tãlatè patentem, ut ciuiles fines egressa, quacunque uelit uagetur, naturales & diuinas res tractet, ac solis omnium scientiarum artiumque finibus circumscribatur? sed Rhetoricæ usum Theologo iam pridem concessimus, Disciplinarum uerò fines ab eo custodiendos, illarum ordinem seruandum, eisdem

Dubitatio.

Arist. 1.
Reth.
Quorundã
opinio.

Cōfutatō.

Tit. de Quæ
stionibus.Opinio Au
ctoris.Tit. de Au
ditore.

eisdem moderate utendum esse, non tyrannicè imperando omnia ipsum perturbare æquum putamus; Nec nouã quandam dicendi artem formare audaciter prætendimus, sed ueterem potius à præstantissimis magistris optima ratione traditam libenter amplectimur, & solam agnoscimus: Illud tamen animaduertimus Ecclesiam esse Christianam quandam Rempublicam, cui cum Ciuili administratione *ἀναλογία* siue proportio intercedat, ut potè quæ leges, Magistratus, uitia, uirtutes, fortes ciues, perditos exules, sediciosos, perduelles hostes denique habeat; hæc uerò sunt sacri Canones, episcopi, peccata, & cum illis pugnantem christianam uirtutes, Martyres, Energumeni, excommunicati, schismatici, hæretici, apostata, & infideles, omnesque Ecclesiam bello persequentes: De qua Christiana Republica cum ipse Theologus tractet, & singulas eius particulas persequatur, ciuiles artifex proportione quadam efficitur, atque eadem *ἀναλογία* Rhetorica facultate utitur; dum enim detestatur, & grauiter vituperat uiros flagitiosos, hæreticos, infideles, & Ecclesiæ hostes, martyres uerò, ac pios & sanctitate illustres laudibus in Cælum extollit, in Demonstratiuo genere uersatur, in quo quidem innumeræ Patrum homeliæ conscriptæ leguntur; Dum uerò peccata uitanda, uirtutes amplectendas, fidem auidè arripiendam, & constanter colendam, Verbum Dei audiendum, & custodiendum, pro eoque mortem ipsam oppetendam, turpem fugam uitandam, Virginitatem sedulo seruandam, utilia denique decernenda suadet, Deliberatiuum dicendi genus tractat; idemque à Iudiciali quandoque non abhorret, cum scilicet improbos ac infideles uiros acriter reprehendit, & infectatur, sanctos autè & bonos, uel iustè defendit, uel piè excusat; Christianum nomen palàm tuetur, atque infidelium calumnias fortiter, & accuratè propulsat, seipsum quoque nonnunquam expurgat, omnemque suspicionem dimouet: hinc Iustini, & Tertulliani Apolog-

tici libelli ad Imperatorem, & aduersus Gentes, Athanasij de fide in persecutione, alijque permulti, tum libri, tum Dialogi, plurimæque Orationes ac epistolæ in hoc genere à Patribus exaratae, Quare concludendum uidetur, tria hæc dicendi proposita Genera à Theologo ipso esse tractanda, an uerò omnia artis adiumenta ab eodem sint adiuuenda iam inquiremus.

An illis omnibus uti deceat Theologum, ex quibus persuadere docet Rhetorica. Cap. II.

Arist. 1. Rhetor.



ARGUMENTATVR in primis Rhetorica ex persuasibilibus, (*πυδαμα*) Græci uocant) ac duplici quidem argumento utitur, Enthymemate scilicet & exemplo, quæ duo argumentationum genera antiquissimis etiam Theologis familiaria adeo fuerunt, ut ipsis refera eorum scripta cernantur. Quæ etiam Diuinæ ipsæ scripturæ frequenter usurparunt; illa autem nunc memoria repetentes recitare, & longum nimis esset, & superuacaneum, cum sint cuius legenti passim obuia; Persuasibilem uerò ex quibus argumenta ducuntur, alia, cum latè pateat, loci communes uocantur; alia propria dicuntur; quia ex ipsa re subiecta sunt deprompta; communia quidem in promptu sunt, & nihil in se habere turpitudinis dignoscuntur, quare singulorum nominatim examine prætermisso, illorum usum Theologo facile concedimus, quem in sanctorum Patrum monumentis frequentissimum agnoscimus; Propria uerò cum ipsis rebus maxime conuenire necesse est, ex quibus eruta sunt, quare non minus, quam illa Theologo congruere putanda erunt. His igitur constitutis, quæ nihil omnino habent dubitationis, ea inquirendo persequamur, quæ minus explorata in aliquam difficultatem incurrunt: Persuadere quidem docet Rhetorica ui & copia argumentorum in primis, deinde uerò

Aristo. 1. Rhet.

Dubitatio.

rò permotione quoque animorum, quorum affectiones multiplices cum sint, A more, spe, letitia, odio, timore, ac molestia commoueri Auditores possunt, quibus perturbatis, ipsæ dem postea affectibus consentanea facile persuadentur; sed huiusmodi adiumenta adhibere an Theologo liceat difficultate non caret, his enim artibus uti solent homines ad fallendum parati, ut mentis acies perturbationibus perstricta, quasi per caliginem cernat; omnis namque perturbatio tum res ipsas confundit, tum illarum notitiam excludit, quod in aquis experimur, quarum commotio & rerum species dispergit, atque permiscet, & uisum ipsa confusione fallit; propterea in ciuitatibus, etiam apud Gentes bene institutis, lege cautum erat, ne ab Oratoribus affectus mouere liceret; quod quidem in Areopago obseruatum fuisse nouimus. Verumtamen cum scripta Patrum uoluentes, animaduertamus illos in permouendis animis multum studium posuisse, Pietatem in Deum, charitatem in homines, misericordiam in afflictos concitantes, odium in peccata commouentes, ad æternorum spem excitantes, ex inferis terrore, ex Ecclesiæ prosperis rebus lætitia, ex aduersis molestia permouentes, eosdem errasse putare nefas omnino est, quorum monumenta his affectuum commotionibus referta omnium consensione laudantur: Ratio igitur erit excogitanda, quæ illos impulit ad animos permouendos, suadetque Oratorium hoc adiumentum Theologo esse maxime opportunum. Repetendum autem in primis memoria est, inter præcipuas Christianas uirtutes numerari spem, atque charitatem; hanc uerò in Deum & proximum Euangelij summam esse, sapientiæ initium esse timorem, terrore quoque improbos homines ad uirtutem impelli, criminum denique detestationem uirtutibus satum, ortum vel incrementum asserre; proprium itaque esse Christianæ Reipublicæ affectiones istas alere, & propagare, atque ad illas excitandas aditum omnem patefacere, ut ipsarum ductu ad

Aristo. 2. Rhet.

Aristo. 1. Rhet.

Responsio.

Triumphantem ciuitatem perueniamus; quare commouendos esse animos, ut charitate in primis flagrent, spe alantur, timore contineantur, terrore compellantur, cæterisque pijs affectionibus ab omni lapsu cohibeantur; quæ quidem inter prauas perturbationes non sunt numerandæ, nec vt dicebatur tenebras aliquas mentibus nostris offundunt, quibus potius ipsæ prælucent, nec eas perturbant, sed magis sedant libidines refrænando. Hos igitur sanctos affectus legislatores ciuiles ignorantes, ac diuersum ciuitati finem constituentes, quam manentem se habere putantes, illam maxime diuturnam efficere cogitabant, humanas permotiones cohibendas merito statuerunt. Nos verò permanentem hic ciuitatē nullam habentes, sed futuram inquirentes, sublimiores virtutes colentes, & pijs affectiones amplectentes, aditum illis non intercludimus, sed ipsarum permotionem laudâtes, studium in ea positum vtilissimum putamus; quare Theologo maxime opportunum subsidium istud iudicamus. Postremum verò illud, in quo omne ferè studium ponunt Oratores, indeque eloquentes dicuntur, elocutio ipsa est, & verborum ornatus, cuius vim maximam esse illi putant ad persuadendum; an verò deceat Theologum adiumentum huiusmodi adhibere, & exornata oratione vti, nunc perscrutandum est; habet verò hæc quæstio non leuem dubitationem, quare sigillatim & accuratè erit explicanda.

Argumenta quibus probatur Verborum ornatum à Theologo adhibendum esse. Cap. III.



SPLENDIDE ornatèque dicere semper fuit in magna laude positum, asperè verò & rusticè loquentem aspernari omnes videntur, propterea dicebat SALOMON [Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis est eloquio, maiora reperiet] atque om-

PROU. 16.

omnium consensione Eloquentia ipsa dicta est copiose loquens sapientia, fuitque semper magna admiratio ornate & copiosè dicentium, non solum apud omnes Gentes, sed etià apud ipsos Christianos & pijs homines; quod olim animaduertens CHRYSOSTOMVS dixit [Ignoras quantus iam ornatè copiosèque dicendi amor, quantum studium in Christianorum animos inuadat, ac tanquam debaccetur? quantoque iam in pretio habeantur qui studium id excolunt, nò apud externos tatum, sed etiam apud eos, qui Christianæ pietatis partes sequuntur?] IDEM QVE testatur, complures suspicatos fuisse, quòd hanc eloquendi vim attendentes Apostoli, delegerint Apollo ad conuincendos Iudæos, is enim dicendi vi, & copia maxime præstabat. Qui eloquentes uiri cum in Ecclesia quâdoque defuerint, eorum miram paucitatem quasi deplorens LACTANTIUS, veritati Christianæ ipsam vehementer obfuisse fatetur, inquit [Quia defuerunt apud nostros idonei, peritque Doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redargueret, qui causam omnino ueritatis ornate copiosèque defenderent, prouocauit quosdam hæc ipsa penuria, vt auderent scribere contra ignotam sibi ueritatem] maximè igitur opportunum, inò necessarium esse videtur Pastores ac Doctores Ecclesiæ (Theologos scilicet) eloquentia esse instructos, quos ab illis quandoque dicendi copia & sermonis elegantia superari, qui ab ipsorum ore pendere deberent, minime ferèdum videtur; quod sentiens CHRYSOSTOMVS dicebat [Ab inferioribus dicendi gloria uinci eum, qui dignitate præcellat, remque fortiter, ac generose perpe- ti, id non cuiuslibet, nec nostri sanè fuerit, sed adamantini potius cuiusdam animi] Quapropter tum ipse, tum illi coæui Basilius, & duo Gregorij, alijque permulti splendido & ornato dicendi genere usi sunt, quod ipsorum elegantissima monumenta aperte testantur; illis enim omnibus persuasissimum erat; necessarium ei esse eloquentiæ famulatum, qui populum erudien-

De sacerdotio li. 5.

In epist. ad Cor. ho. 3.

Li. 5. de Iustitia.

Li. 5. de sacerdotio.

erudiendū ac persuadendum susciperet; quod MOYSES quoque animaduertens, munus hoc à Deo sibi delatum propterea quasi recusabat dicens [Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad feruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum] Ei que consentiens IEREMIAS, ac similem prouinciam suscipere reformidans dicebat [Domine Deus, ecce nescio loqui, quia p̄ter ego sum] Qua eloquentia instructus Paulus non solum Iudæos euicit, sed Græcos quoque dicendi laude celebres superauit, qui eius exornatam splendidamque orationem aliquando admirati, Mercurium ipsum esse (Deum scilicet eloquentiæ præfectum) existimarunt; quæ omnia palam testatur CHRYSOSTOMVS inquit [Nemo Paulum illum beatum ornatu suo maximo, tum laude, quæ in eo summa est, dispollicet: Vndenam enim obsecro, Iudæos eos qui Damascum incolerent confudit, signis, miraculisq; ab eo nondum ceptis? Vnde Græcos idem supplantauit? Quamobrem autem Tharsum relegatus est? Nonne id factum est, posteaquam uidecendi victor ille euasit, sic ut, cum uictorem illi ferre non possent, ad illius cædem inflammati ferrentur? Nondum enim miracula edere cæperat; nequē uerò dicere quis possit, Paulū ab editorum miraculorum gloriā apud multitudinem in admiratione habitum, eosque qui cum eo congregarentur ab ipsius fuisse existimatione oppressos, ad idem usque tempus non nisi ab eloquentia victoriam de aduersarijs reportabat] Et paucis interiectis [Cum igitur Paulum constet tum ante miraculorum editionem, tum in medijs ipsis miraculis magnam adhibuisse eloquentiam, qua fronte iam sustinebunt, idiotam illum uocare, cuius magna fuit apud omnes tam disputantis, quam concionantis admiratio? Quamobrē enim Licaones ipsum Mercurium esse suspicati sunt? Nam quòd Barnabam & Paulum Deos esse crederent, id à signis editis fiebat; Quòd autem Paulum Mercurium esse uellent, id iam non

non à signis, sed ab eloquentia nascebatur] Hæc Chryso-
stomus; AVGVSTINVS uerò non solum Paulum, sed omnes præ-
terea scriptores sacros illustri eloquentiæ laude celebrat di-
cens [Vbi eos intelligo, non solum nihil eis sapientius, uerum
etiam nihil eloquentius uideri potest, ubi uerò non eos intel-
ligo, minus quidem mihi apparet eorum eloquentia, sed eam
non dubito esse talem, qualis est ubi intelligo] Idq; ipse aper-
tissimè eodem in loco demonstrat, plurimas atque illustres
verborum figuras ex diuinis scripturis depromptas inducēs.
Cum itaque verborum ornatus & elegantia nihil habeat tur-
pitudinis, sed decoris ac splendoris plurimum, subiectas sen-
tentias illustret, Auditorum gratiam conciliet, iucunde ac
suauiter persuadeat, sitque à Patribus diligenter commenda-
ta, atque ipsorum monumentis expressa, A Prophetis tan-
quam necessaria à Deo flagitata, In Paulo auditorum admi-
ratione celebrata, Atque in Diuinis scripturis frequentissi-
mo usu obseruata, Quis illam audeat aspernari? nec Theolo-
go opportunam, imò necessariam iudicare? præsertim cum
DAUID canat [Astittit Regina (hoc est Theologia) à dextris,
tuis in uestitu deaurato] cultu nimirum verborum exornato.

Li. 4. de Do-
ctri. Christ.

Psal. 44.

Argumenta quibus demonstratur Verborum exor-
nationem à Theologo aspernandam
esse. Cap. IIII.



ED nobis obuia fit magna sanctorum Patrum co-
hors, huic uerborum ornatui grauius infensa,
quæ illum ut turpem & indecorum uehementer
dissuadēs, ab ipso amplectendo nos summo opere
retardant; singulorum autem sententias nunc recitare longū
admodum esset, plurimas tamen proferemus, quas ob ipsa-
rum grauitatem, & auctorum summam dignitatem in diffi-
cili

Li. 1. Strō. cili quæstione silentio præterire nefas ducimus: In primis igitur doctissimus ille CLEMENS ALEXANDRINVS ait [Non solum frugalis uitæ ratio, sed etiam à superuacaneo cultu ornatuque aliena oratio exercenda est ei, qui uitam eligit, si quidem delicias, ut dolosas & luxuriosas repudiamus, sicut unguentum & purpuram ueteres Lacedemonij; Dolosas quidem uestes, & dolosas unctiones recte reputantes, & nominantes, quoniam ne honestus est ille cibi apparatus, qui plura habet condimenta, quam ea quæ nutriunt, nec est bellus urbanusve orationis usus, qui Auditores magis potest delectare quam inuare] IDEMQUE paulo antea dixerat [Meum autem temeratum probabile, ut existimo, institutum, uerbo quidem, ac rationi conuenienter uiuere, ea autem quæ significantur intelligere, eloquentiam autem nunquam magnificientem contentum esse, si significetur id quod intelligitur, quo autem nomine significetur id quod uolo exponere, nihil mihi curæ est, opem enim ferre ut seruentur ij, qui seruari cupiunt, puto esse optimum, non autem dictiunculas, tanquam quædam ornamenta, componere] CYRILLVS uero IEROSOLYMITANVS ipsam eloquentiam Christiano homine indignam, gentili & hæretico germanam censet dicens [Et Græci quidem per Eloquentiam capiunt, mel enim fuit de mulieris labijs fornicariæ, Qui uero ex circuncisione sunt; per sacras scripturas, quas male interpretantur, accedentes decipiunt, à puero se se exercentes usque ad senium, & in inscitia consenscunt; Hæreticorum autem filij per blandiloquentiam & facundiam seducunt corda hominum minimè malorum] Illi

Li. 1. Strō. coæuus ATHANASIVS inquit [Sermo noster, & prædicatio nostra non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in exhibitione spiritus, & potestatis consistit. Quid prodest si concinnus est sermo, & mores sint inconcinni? multo præstantius est nescire quidem Græcè hiscere, legem autem Dei in corde possidere; si enim Ecclesia esset auditorium Rhetorum

Catech. 4. Hom. de scientie.

rum opportuna res esset eloquentia; sed quia certamen de moribus & de fructificatione propositum est, & cœlum est, quod expectatur, non lingua requiritur, sed mores boni] BASILIVS [Primum quidem igitur proprius dictionis modus nullum tibi risum moueat, si non sequimur receptas à uobis explicationes uerborum, neque situs ipsorum concinnitatem approbamus; non enim tornatores dictionum, neque probè sonantes uoces recipimus, sed nominum claritatem nos ubique præferendam ducimus] GREGORIVS NAZIANZENSIS hanc uerborum exornationem quasi pestem detestatur dicens [Fuit quondam tempus, cum res nostræ florent, ac præclarè se haberent, cum nimirum superflua hæc, & uerborum lepore atque arte fucata tractandæ Theologiæ ratio ad diuinas causas ne aditum quidem haberet] ATQUE in eloquentes Theologos longo & acri sermone inuehitur, hoc in primis utens exordio [Ad eos qui sermonis ornatu atque elegantia ualent, mihi sermo erit, & ut scripturæ uerbis exordiar; Ecce aduersum te contumeliosa] cui subscribens CHRYSOSTOMVS ait [Magni illi & sanctissimi qui initio seculi fuerunt, cum litteræ non erant; quique post illos fuerunt cum erant quidem litteræ, dicendi uero Ars nondum erat instituta; & qui post eos ipsos fuere, cum eloquentia iam apud omnes obtineret, maximoque in honore esset, horum tum profectò singuli suo quique tempore erant imperiti non solum artis Oratoriæ, uerum ipsarum quoque litterarum; qui tamen omnes in eis ipsis rebus quibus dicendi uis uidetur in primis esse necessaria, tanta facultate eos qui in ea re sunt eminentissimi superauerunt, ut si illis isti comparentur stultis pueris deteriores esse uideantur; Cum enim persuadendi uis in facultate oratoria maxime consistat; Philosophique nullos hac arte Tyrannos superauerint. Hi uero imperiti, ac sine litteris orbem uniuersum incredibili facilitate conuerterrint, constat profectò palmam sapientiæ apud istos litterarum rudes

In exara.
Hom. 3.In laudem
Athanasij.Oratione
1. de Theo.L. 3. aduer.
Vit. uitæ
Mon.

rudes, & imperitos magis esse, quam apud illos, qui & litteras, & oratoriam affectu sunt diligentissime. **HIERONIMVS** hanc exornandæ orationis licentiam dolenter deplorans inquit [Iam enim in ecclesijs ista quærentur, omissaque Apostolicorum simplicitate & paucitate verborum, quasi ad Achænam, & ad Auditoria conuenitur, ut plausus circumstantium suscitantur, ut oratio, Rhetoricæ artis fucata mendacio, quasi quædam meretricula procedat in publicum, non tam eruditura populos, quam fauorem populi quæsitura, & in modum Psalterij, & tibie dulcè canentis sensus demulceat audientium, & verè illud Prophetæ Ezechielis nostris temporibus possit aptari, dicente Domino, Et factus es eis quasi uox citharæ suaue canentis, & bene compositæ] cui subscribens **AVGVSTINVS** dicebat [Gloriam Dei in se vult conuere, qui rem Dei verbis exornare se putat, res enim ipsa placere debent, ut non sermo, sed sensus laudetur.] Idem approbans **IULIVS PAPA** primus ait [Quod si ambitione eloquentiæ ostentandæ ita acceptæ sunt a dictatore, id certe studium ad alios spectat, in rebus enim ecclesiasticis non specimen eloquentiæ, sed Canones Apostolici requiruntur.] **THEODORETVS** uerò inquit [Idcirco illum puto comptos lepidosque sermones Sirenibus opinatū esse per similes, Musis uerò qui nihil induci decoris fucique præferentes nudam ueritatis formam ostendunt; quanto enim ingenua pulchritudo potior est ea, quàm succus mangonicæ artis medicauit, tanto est melior simplex ille ueritatis decor acri oratione, lepidoque uerborum concentu.] Cui coæuus **PROSPER** ita scribit [Cæterum de accuratatione dictionis elucubrara non satago; nec mihi pudori est, si disputatio mea, quæ forte probatur in rebus, aliquos uerborum inertium scædatores horrore incomptæ orationis offendat; quia quod ab homine doctore studendo non didici, id exhibere loquendo non potui; & tamen cum sententiarum uiuacitatem sermo; ex industria cultus ener-

uet,

In epist. ad Gal. Proæ.

In Quæst. mixtissim.

In epist. ad Antiochenos.

De Martyribus.

Li. 3. de Vita contemp.

uet, & totam uim dictorum splendor elaboratus euacuet. quis non iudicet me affectationem compositionis debuisse contemnere, etiam si eam potuissem uelut dicendi peritus implere?] Plura equidem possent in eandem sententiam ex Patribus testimonia colligi, sed ea legentibus facile occurrent, & quæ iam adducta sunt ad orationis accuratam exornationem explodendam abundè fortasse sufficiunt, præsertim cū ipse **DOMINVS** discipulos commonens dixerit [Cum autem tradent uos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini] & **PAVLVS** de seipso affirmet [Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & uirtutis] De omnibus denique sacris scriptoribus **THEODORETVS** dicat [Omnes siquidem ueritatis præcones, Prophetæ inquam & Apostoli, græcæ eloquentiæ fuerunt prorsus expertes.] Quod quidem mox fufius demonstrabitur.

Matt. 10. 1. Cor. 2.

De nat. hominis.

Quod nec Paulus, nec ullus ex Diuinis & canonicis scriptoribus oratoria uerborum exornatione sit usus. Cap. V.



VM autem firma argumenta utrinque in acie versentur, ac inter se fortiter configant, incertus profectò erit casus, nisi illud in primis accuratè inquiramus definiamusque, quod de scriptura sacra ornatu & elegantiâ in dubium uocatur; quos enim scientiæ magistros, & uiuendi præceptores habemus, eosdè loquendi ac scribendi auctores aspernari non licet, sed nostrorum, tum sermonum, tum scriptorum omnium esse illi profectò debent. In primis igitur de Paulo Apostolo quid sentiendum sit statuere oportet, quem certis dicendi uimibus orationem ornasse multi defendunt, ac eloquentem

tem omnino fuisse contendunt, eosque tum Chrysostomi, tum Augustini testimonia iam pridem adducta aperte protegere sua auctoritate uidentur; in hoc itaque erit à nobis diligentius elaborandum, & PAVLVS ipse, si fieri poterit, suemet eloquentiæ testis erit producendus; is autem ad Corinthios scribens, eloquentiæ quidem studio, & laude celebres, inquit [Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia uerbi, ut non euacuetur crux Christi] ET paucis interiectis [Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ annuncians uobis uobis testimonium Christi]. ET paulò post [Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus & uirtutis] ET rursus seipsum dicendi imperitum ac ignorum non obscure prædicat inquit [Etsi imperitus sermone, sed non scientia] Quorum quidem uerborum germanum sensum percipiemus, si Patres illa interpretantes audierimus; in primis uerò CHRYSOSTOMVM, qui Basilium ita loquentem inducit [Atque hic Basilus, Quid igitur, inquit, Paulus ille facultatis huius sibi parandæ studiosus nequaquam fuit? qui ne eloquentiæ quidem inopiam dissimulat, sed apertè idiotam se esse profitetur, idque tum maxime cum ad Corinthios scribit, uires ab eloquentia, in qua magnopere sibi placerent, claros atque illustres] Qui præterea CHRYSOSTOMVS Pauli eloquentiæ propugnantes deridens inquit [Christianum quendam iam audiui aduersum Ethnicum ridiculè disputantem, cum ambo in certamine inuicem sua ipsorum soluerent argumenta, siquidem quæ oportebat Christianum dicere, ea gentilis afferebat, & quæ gentilis partes erant, eas Christianus adducebat in medium, de Paulo enim & Platone inquirebant; in qua disputatione gentilis conabatur ostendere Paulum & rudem & indoctum fuisse, Christianus uerò temerè contra confirmare annitebatur Platone Paulum fuisse eloquentiorem, hoc pacto gentilis uictor euasit, cum

ita

ita iudicaretur, nam si Platone disertior Paulus fuisset, multi non immeritò asserere potuissent non gratia uicisse Paulum, sed facundia; Quamobrem Gentilis causam tuebatur Christiani, Christianus uerò Gentilis] HIERONYMVS de eodem Paulo sermonem habens ait [Qui non iuxta humilitatem, ut plerique existimant, sed uerè dixerat, etsi imperitus sermone, non tamen scientia, hebræus ex hebræis, iuxta legem Phariseus, profundos sensus græco sermone non explicat, & quod cogitat in uerba uix promit] IDEM [Nò Apostolū pulsamus, ut maleuoli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus, quòd hebræus ex hebræis, abque Rhetorici nitore sermonis, & uerborum compositionis, & eloquij uenustate, nunquam ad fidem Christi totum mundum traducere ualuisset, nisi euangelizasset eum non in sapientia uerbi, sed in uirtute Dei] ET paucis interiectis de eodem inquit [Iste igitur, qui solacismos in uerbis facit, qui non potest hyperbaton reddere, sententiamque concludere, audacter sibi uendicat sapientiam,] Quare non solum Apostolo nullam eloquentiæ laudem ipse tribuit, sed summam quoque infantiam de illo prædicat, quam etiam sæpius in eius epistolis digito ipso demonstrat, ut cum PALVS dicit [Vos qui spiritalis estis huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris] Notat HIERONIMVS [Qui putat Paulum iuxta humilitatem & non uerè dixisse, & si imperitus sermone non tamen scientia, defendat huius loci consequentiam, debuit quippè secundum ordinationem dicere, Vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerantes uosmetipfos, ne & uos tentemini, & nò plurali inferre numerum singularem] Qui eiusdem uerba aliquot ad Ephesios examinans ait [Porro quasi imperitus locutus est, ut plurali numero gloriam subiungeret singularem, & diceret, In tribulationibus meis pro uobis, quæ est gloria uestra, pro eo quod est, quæ sunt tribulationes gloria uestra]

B CVM

In epist. ad
Heb. c. 1.In epist. ad
Eph. c. 2.Gal. 6.
In epist. ad
Gal. cap. 6.In epist. ad
Eph. c. 3.

3. Cor. 1.

1. Cor. 2.
1. Cor. 2.

2. Cor. 11.

Li. 4. de
sacerd.In epist. ad
Cor. ho. 3.

In epist. ad
eph. c. 3.

CVM paulò antea in eadem etiam epistola aliud elocutionis uitium deprehendisset dicens [Puto autem quòd & uitiosa in hoc loco elutio sit, pro eo enim quod debuit dicere. Huius rei gratia ego Paulus uinctus Iesu Christi pro uobis gentibus cognoui mysterium, sicut & præscripsi in modico, prout potestis legentes intelligere, ait. Huius rei gratia ego Paulus uinctus secundum reuelationem cognitum mihi factum est mysterium] Atque huiusmodi dictionis uitia sæpius animaduertit Hieronymus in Pauli epistolis, quæ etiam Chrysostomus aliquando obseruauit: Quare iam concludendum uideatur nullum unquam studium posuisse Apostolum in uerborum exornationibus conquirendis, ut illustris & compta illius esset oratio, quam humano cultu, atque oratorio splendore caruisse demonstrauimus, Cui per similia sunt reliqua omnia Diuina oracula, ac monumenta absque sermonis lepore uerborumq; elegantia & concinnitate cõscripta, quæ uerborum ieiunitatè à Celfo olim hæretico sacris scripturis obiecta ORIGENES laudat potius quàm excuset, affirmans nudã, & simplicem orationè illis maxime congruere, cū ait [Hoc autè ideo dico, quia Celsus alijq; criminantur scripturarum nostrarum in eloquendo simplicitatè, quàm ad se collatã splendor cultioris orationis obscurare uidetur, cū Prophetæ nostrum, & ipse Iesus, eiusque Apostoli attenti fuerint potissimū ad orationis modum non solum ueracissimū, sed et ad attrahendã multitudinè maxime cõmodū, ut singuli tam conuersi, & attracti pro uirili percipiant at cana sub sermonis simplicitate latetia] DIONYSIUS uerò ALEXANDRINVS referente Eusebio inquit [Hic qui scripsit Apocalypsim, sciētia & prophetia animo cepisse nō equidē inficior, eius tamen sermonis proprietatè, & linguam non adeo limatè & politè loquentem græcè animaduerto, sed modis loquendi planè barbaris utentem, & interdum etiam foliæcissimo] HIERONYMVS Origeni optime consentiens ait [Nolo offendaris in scripturis sanctis simplicitate, & quasi uilitate uet-

Li. 6. cõtra
Celsum.Lib. 7. hist.
cap. 20.Ep. ad Pau-
linum.

te uerborum, quæ uel uitio interpretum, uel de industria sic prolata sunt, ut rusticã cõcionem facilius instruerent. & in una eademq; sententia aliter doctus, aliter audiret indoctus] Vtriq; subscribens THEODORETVS inquit [At ne ipsa quidè linguæ ineptia, quàm in nostris præceptoribus detestamini, fatis apud uos habere uirium debet, cur nostratia tanto opere contemnat] De quibus monumentis uerborum humilitatè ac inopiã gloriæ etiam IDEM quandoque prædicat dicens [Iure igitur factum est, ut uerissimas de diuinis humanisque rebus traditiones non illustres eloquentia tumidique sermones, sed simplices humilesque prædicent, magnumque adeo ineffabilemque thesaurum: uiles admodum thecæ despicabilesque circumferant] ET rursum [Sed contra potius admirari debuerunt ueritatis magistros, indoctos illos quidè comere & uariare sermones suos eloquentiæ uenustate, puram tamen ueritatis pulchritudinem ostendentes] ET alibi [Quæ enim illi monumenta scripta nobis reliquerunt, simplicia illa quidem, omnisque græci nitore expertia, tum per pauca, & perquam breuia, sunt hominibus cunctis carissima, uobis exceptis, ac si quis eadem, qua & uos impietatis nebula circumseptus nolit ueritatis iubar inspicere: Quin eadem apostolica monumenta non solum carent Atticæ eloquentiæ fastu, uerum etiam ea quæ nobis tradunt, eius sunt generis, ut nihil inde magnificum nostris oculis ac perspicuum proponatur] GREGORIUS uerò PRIMVS nō solum orationis icõnita-tem in scriptoribus sacris animaduertens, sed corrupta prætere scribendi licentiã obseruans, & iusta tamen reprehensione illos carere existimans ait [Indignum uehementer existimo, ut uerba cælestis oraculi restringantur sub regulis Donati, neq; n. hæc ab ullis interpretibus in scripturæ sacre auctoritate seruata sunt] Tot igitur grauissimis Patrū testimonijs abunde putamus esse demonstratum, nec Paulum, nec cæteros diuinos scriptores lepida & concinnam uerborum exornatio-

De fide.

Lib. 9. de legibus.

De rat. hominis.

De martyribus.

Ep. in li. mag. raliū.

nem consecratos fuisse, sed nudam potius simplicem, & incultam orationem adamasse, Ad Chrysofomi uerò, & Augustini auctoritates, quibus oppositum confirmari uidebatur, tunc respondebimus, cum argumentationes diluemus, quæ ad uerborum ornatum comprobandum iam pridem fuerunt in medium allatæ.

Quòd sit Genus quoddam dicendi Diuinum, humana omnia præcepta transcendens, scripturæ sacræ germanum, ac ipsi Theologo maxime expetendum. Cap. VI.

Sed mirabitur fortasse aliquis Diuinos sermones eloquentiæ laude carere, cum uerborum elegantia turpitudinem nullam præferat, & naturalis nitor cultu ipso magis splendescat, orationisque exornationes sint ad persuadendum accommodatæ, uerborum autem ieunitate & inopia laborare uitium sit, quod suasioni ipsi magnum inferat impedimentum, ea propter explicandum necessariò erit, quodnam dicendi genus scripturæ sacræ maxime congruat; hoc enim exploratò, quasi scrupulo euulso, molestia, & admiratio omnis conquiescet, eorumque fundamento iactò cætera in discrepationem posita facilius constituentur. Diuina igitur sapientia, quæ, ut scriptum est, pertingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, nõ ui & impetu nos rapit, sed leniter flectit, & ad cœlestia persequenda blandè hortatur, ac commouet; id uerò congruente oratione fieri necesse est, argumentis scilicet ad probandum efficacibus, per motionibus ad flectendum aptis, atque elocutione utriusque consentanea, & ad persuadendum accommodata; ut rationum grauitate persuasi, commotionum hortatu excitati, atque uerborum congruente elegantia delini-

ti

ti Dei uoluntati pareamus, ipsumque Ducem & magistrum sequamur; Quapropter unà cum argumentatione, & per motione erit decorus sermo in scripturis sacris pariter agnoscendis, is enim tum nobis maximè conducit, propter quorum usum illæ scripturæ sunt, tum Deum in ipsis loquentem in primis decet, cuius sermo perfectè absolutus & disertus esse oportet, nisi (quod absit) fieri posse existimes, ut ipso eloquentiæ & perfectionis auctore sit alius eloquentior, Quid mirum igitur si Prophetæ humanam infantiam agnoscens à Deo disertum sermonem expetebant? si eisdem diuino afflatu cõcitatos eloquentes fuisse prædicabat Augustinus, atque sententiarum ac uerborum figuras omnes in eorum monumentis nominatim obseruabat? Ne tamen pugnantia loqui uideamur, cum paulo ante dixerimus, Patribus id ipsum comprobantibus, indiserptos ac rudes Prophetas & Apostolos fuisse, rem totam planius explicare oportebit; Cum itaque firmis argumentis utrinque concludentibus constitutum iam sit tũ eloquentes, tum imperitos fuisse Diuinos scriptores, atque ab omni humana eloquentia illos abhorruisse abunde sit demonstratum, necesse profectò est aliam quandam reperiri eloquentiam ab illa seiunctam, quam ipsis congruere concedamus; utramque uerò non obscurè Moyses significauit, qui humana ipsa eloquentia cumulate instructus, & apud Aegy-

Gen. 4.
Ierc. 1.
Li. 4. de Do
ctr. Christ.

Gen. 4.

In exod.
hom. 2.

Verbum, quod erat in principio apud Deum] Moyses itaque apud Aegyptios, vir eloquens, apud Deum infans, cum seipsum agnouisset, diuina eloquentia, qua egebat, merito est auctus, quod eodem in loco optime annotauit idem ORIGENES inquit [Quia igitur in id intelligentiae (Moyfes. f.) profecit, ut agnosceret semetipsum, in quo est pars maxima sapientiae, remuneret eum diuina dignatio, Audi quam opimis magnificisque muneribus; Ego, inquit, aperiam os tuum, & instruam te quae oporteat te loqui. Beati sunt quorum Deus os aperit, ut loquantur: Prophetis Deus aperit os, & replet illud eloquio suo, sicut in praesenti dicit, Ego aperiam os tuum, & instruam te quae oporteat te loqui; sed & per Dauid dicit Deus, Dilata os tuum, & replebo illud. similiter & Paulus dicit, Ut detur mihi sermo in adaptionem oris mei, eorum ergo, qui uerba Dei loquuntur, os Deus aperit] Quod AVGVSTINVS pariter animaduertens, atque Eloquentiae Diuinum hoc genus agnoscens, postquam humanae eloquentiae genera tum iuuenibus, tum senibus accommodata enumerasset, de hoc praestantissimo dicendi genere sacris scriptoribus congruente dixit [Est quaedam eloquentia, quae uiros summa auctoritate dignissimos, planeque Diuinos decet, hac illi locuti sunt, nec ipsos decet alia, nec alios ipsa] Quare si placet, huiusmodi Eloquentia Diuina uocetur, ut potest quae Deo congruens, & ab ipso profecta, humana praecipua atque oratoria dicendi ornamenta transcendat; Quam quidem sapientissima ESTHER à Domino suppliciter petebat, cum ad Persarum Regem ingressura, ut pro Iudaeorum salute illum deprecaretur, orans dicebat [Grata fac Domine uerba mea, & da sermonem ornatum in os meum] Hanc uero eloquentiam Prophetis & Apostolis à Deo impertitam in Diuinis scripturis agnoscere æquum est, eius tamen uim & naturam explicare nimis est arduum, cum paucis admodum illa sit perspecta,

Li. 4. de Do
gr. Christ.

Esther. 14.

ta, Rhetoribus uero ipsis plane ignota; de qua quidem AVGVSTINVS dicebat [Modus ipse dicendi, quo sacra scriptura contextitur, quamuis omnibus accessibilis, tamen paucissimis penetrabilis, ea quae aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuce ad cor doctorum atque indoctorum loquitur; ea uero quae in mysterijs occultat, nec ipso eloquio superbo erigit, quod non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita quasi pauper ad diuitem, sed inuitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascit, sed etiam secreta exercent ueritate, hoc in promptis quod in reconditis habens, sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operata desiderantur, desiderata quodammodo renouantur, renouata salubriter intimantur] illud tamen de ipsa nos quoque breuiter dicemus, Genus hoc diuinum orationis, eiusmodi esse, ut humanam omnem dicendi uim & copiam longe superet, quidquid tamen in ea est sua amplitudine complectatur, idque totum perinde quasi contineat, atque Quadrangulum Triangulum ipsum includere dicitur, quamuis eadem quoque ornamenta & uerba, cum opus est, suo iure & arbitrio inuertat, ut potest quae nullis uel Rhetoricae uel Grammaticae legibus astringantur; quod aduertens Basilii dicebat [Nos porro ueritatis scripturam in multis locis usam esse his uocibus. confitemur, non tamen spiritus libertatem penitus seruire dicimus inepto externorum scriptorum decoro, uerum prout semper occurrit congruenter ad usus necessitatem locutionis alterare] atque GREGORIUS eandem huius eloquentiae libertatem praedicans affirmabat [Indignum uehementer existimo, ut uerba caelestis oracula restringam sub regulis Donati] ex quo fit ut sacri scriptores non solum uideantur quandoque exornationibus redundare, atque uerborum inopia contra laborare, sed praecipua quoque Rhetorum & Grammaticorum aliquando obseruare, alias ita aspernari deprehendantur, ut solacismos etiam

Epist. ad Vo
lufianum.

In epist. in
1. Mor.

De natura
hominis.Li. 7. hist.
c. 20.Li. 7. hist.
c. 20.Li. 6. con-
tra Celsum

& barbarismos non effugiant, quod in Paulo Apostolo Hieronimum, & in Auctore Apocalypsis Dionysium Alexandrinum annotasse iam uidimus, ac omnibus Apostolis commune fuisse THEODORETUS affirmat dicens [Cum uideant homines barbaro sermone ufos superasse leporem græce elocutionis, comptiloquosque illos suos auctores prorsus iam eliminatos fuisse, piscatorumque sollecisimis dissolutos atticos syllogismos] cum tamen Ioannes Apostolus in Apocalypsi rudis & barbarus, eloquentem se & copiosum in euangelio & epistolis ostendat, ut idem notat DIONYSIVS, qui referente Eusebio dicit [Euangelium & epistola Ioannis non modò, ut græci loquuntur ἀπταισως .i. absque ullo uitio, sed etiam summa cum uerborum elegantiâ, maximo sententiarum pondere, & concinna elocutionis dispositione perscripta sunt] Et ne quis fortasse suspicaretur ipsum euangelistam in oratoria facultate studium aliquod posuisse, atque huiusmodi dicendi ornamenta ex Rhetorum schola attulisse, non humanam sed diuinam illius eloquentiam fuisse statim commonet dicens [Habebat enim Euangelista, ut uidetur, hæc utraque, & disertum sermonem & scientiam diuinam; propterea quod Dominus ista duo, nimirum donum sapientiæ & donum cognitionis illi largitus fuisset] Quibus itaque uerborum, aut sententiarum figuris hoc dicendi diuinum genus utitur, ut suas promit, non ut alienas usurpat, nunc eloquentiæ humanæ, & Grammaticæ consentanea, nunc aduersa profert, ut legibus humanis illum solutum scias, diuinam uerò uim in ipso semper agnoscas; quam animaduertens ORIGENES dicebat [Sed quò melius intelligatur mens eius qui dixit, Prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione spiritus uirtutis, ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. Quæ uerba quid aliud sibi uolunt, quàm non satis esse ut uerum sit, & natum ad mouendos

uendos animos hominum, quod dicimus, nisi Doctori diuinitus concessa sit vis quædam, & dictis eius adsit cælestis gratiæ energia: idem ait Propheta in psalmo 67. Dominus dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa] Atque idem diuinum dicendi genus admirans AVGVSTINVS, quasunque uerborum exornationes, & à Rhetoribus obseruatas orationis figuras in sacris scripturis animaduertit, non uelut ab arte profectas illas notat, sed tanquam per diuinam eloquentiam mirificè expressas obseruat, de qua sermonem habens dicebat [Sed non ipsa me plusquam dici potest in illa eloquentia delectant, quæ sunt his uiris cum Oratoribus gentiliū Poetisque communia, id magis admiror & stupco, quod ista nostra eloquentia ita usi sunt per alteram quandam eloquentiam suam, ut nec eis deesset, nec emineret in eis] Hoc itaque orationis diuinum genus, cum quo nec uerborum maiestate, nec sententiarum grauitate, nec persuadendi efficacitate humana ulla eloquentia est conferenda, sanctarum scripturarum germanum esse deprehenditur, quod quidem inquirendum proponebatur, eo autem constituto illud etiam aperte patere uidetur, eandem eloquentiam, & sermonis elegantiam Theologo esse summopere opportunam, ac magnis precibus à Deo expetendam; Quam, absit, ut suspicemur quemquam Patrum reprobasse, ac Theologo indignam iudicasse, cum potius credendum sit ipsos tam illustre donum à Deo deprecatos fuisse.

De Doctri.
Christ. l. 4.

Quòd

Quod præter Diuinam eloquentiam humana quoque dicendi facultas Theologo sit opportuna, & quo uerborum ornatu illum uti deceat.

Cap. VII.



VAMVIS nullis egeat Rhetorum præceptis Diuina hæc eloquentia, & qui ea instructus sit nec artis adiumenta, nec dicendi usum desideret, tamen cum ipsa sit Dei munere paucis concessa; nam præter canonicos scriptores nonnullis quidem pijs uiris Deo charis, & ad fidei propagationem, uel morum instaurationem electis aliquando (sed rarò tamen) tributam esse piè credi potest, illis Theologis prætermisissis, qui singulari Dei benignitate tã præclaro dono ornati conspiciuntur, ceteris consulentes perscrutabimur quodnam humanum orationis genus ipsi maxime congruat, nam illos diuina dicendi uis & copia carentes, artis quoque ornamentis denudare iniquum profectò uidetur, & Christianæ Reipublicæ præterea incommodum, cum Populi duces & magistri ad persuadendum minus apti propterea reddantur teste Augustino, qui ait [Qui non solum sapienter, uerum etiam eloquenter uult dicere, quoniam profectò plus proderit, si utrumque potuerit] Est itaque unum orationis genus comprum, numerosum, fucatum, omnes undique foscillos carpens, aures permulcens, auditorem uoluptate alliciens, quod uulgius imperitorum admiratur, quo denique hominum ingenia ad fallendum parata utuntur. Aliud genus dicendi est simplex, nudum, grauitatis & maiestatis plenum, religiosis auribus accommodatum. Hæc sunt eloquentiæ humanæ genera duo; Primum autem Patres reprehendere, secundum probare, si ipsorum dicta, quæ initio in contrarias partes disputantes

Orationis,
& elocutio
nis genera.

tantès adduximus; animaduertemus, ac uerborum pondera diligenter examinabimus, facile cognoscemus; quod etiam mox clarissimis testimonijs demonstrabimus. In primis igitur CLEMENS ALEXANDRINVS ait [Oportet autem opinor, eum qui curam gerit ueritatis, non insidiosè captoque consilio, ac cura adhibita dictionem componere, sed conari tantum id quod uult, quomodo potest, exponere] Idem sentiens BASILIUS inquit [Ipsa dictionis simplicitas, nullo artificio constans, decere uisa est mihi propositum christiani non magis ad ostentationem, quam ad communem utilitatem scribentis] Vtrique subscribit CHRYSOSTOMVS dicens [Pe regrinæ eloquentiæ ornatum superuacaneum dicentes, dictionem enunciationemque negligamus,] ac nobis orationis paupertatem sic permittamus, ut rerum uerborumque compositio nuda nobis ac simplex sit] HIERONYMVS in eandem sententiam dicit [In explanatione sanctarum scripturarum non uerba composita, & oratorijs floribus adornata, sed eruditio & simplicitas quæritur ueritatis] Apertissime uerò id ipsum affirmat PROSPER cum ait [Quapropter ea uisa est mihi compositio ornata, quæ conceptiones animi cum necessaria quadam perspicuitate proferret, non quæ illecebris aurium deseruiret; ea est enim, nisi fallor, iudicata latinitas, quæ breuiter & apertè obseruata duntaxat usitatorum uerborum proprietate res intelligendas enunciat, non quæ uernantis eloquij uenustate, atque amenitate luxuriat, & prudentibus uiris non placent phalerata, sed fortia, quando non res pro uerbis, sed pro rebus enunciandis uerba sunt instituta] ET rursum idem rem totam planius exponit dicens [Deniq; alia est ratio Declamatorum, & alia debet esse Doctorum, illi elucubratae declamationis pompam totis facundia suæ uiribus concupiscunt, isti sobrio usitatoque sermone Christi gloriam quærunt; illi rebus inanibus pretiosa uerborum induunt ornamenta, isti ueracibus sententijs ornant,

Li. 2. Stro.

Ep. 166.

De sacerdotio lib. 4.

Proem. in Amos.

Li. 3. de Vita contēpl. c. 34.

ornant; & commendant uerba simplicia; illi affectant suorū sensuum deformitatem tāquam uelamine quodam phalera-
 ti sermonis abscondere, isti eloquiorum suorū rusticita-
 tem student prætiōsis sensibus uenustare; illi totam laudem
 suam in fauore uulgi, isti in uirtute Dei constituunt; illi plau-
 sibiliter dicunt, & nihil auditoribus suis declarando profi-
 ciunt, isti usitatis sermonibus docent, & imitatores suos in-
 stituunt, quia rationem suam nulla fucata compositionis af-
 fectione corrumpunt] Ex his uerò Patrum dictis non teme-
 rē concludi posse uidetur, ab elocutionis genere exornato,
 atque omni uarietate, distincto uehementer illos abhorruisse,
 nudum uerò & simplex admasse, ac tanquam Theologo
 congruens, & opportunum approbasse, quod quidem cum
 altero fucato & fallaci collatum inops, humile, inornatum,
 & nullo artificio eruditum esse dixerunt, quamuis elegantia
 & arte quadam non careat, sitque decorum, & apud sapientes
 gratiosum; uelut honestissima matrona cui sanguine dif-
 fusus color, non fuco illitus infidet, eamque tenuis quidem
 cultus, sed decorus ornat, cum impudica muliere compara-
 ta, cui compti sint capilli & madentes cincinnorum fimbriæ,
 faciesque pigmentis fucata, inculta illa quidem, & subhorri-
 da rudibus uideri poterit, cum tamen elegans sint, & de-
 centissime ornata: cum sanctis uerò Patribus Philosophi
 quoque consentiunt, qui insignem uerborum perpolitio-
 nem improbant, rem simpliciter sine elaborata exornatio-
 ne exponendam iusserunt; id enim significabat Pythagoras
 cum Sirenibus iucundiores esse Musas commonebat; quod
 Socrates diligentissime obseruauit, quem ita loquentē PLAT-
 O inducit [Vos ex me auditori estis omnem ueritatem, nec
 tamen per Deos immortales ò uiri Athenienses orationem
 compositam electis uerbis & nominibus, ut faciunt qui ho-
 rum studiosi sunt, neque aliquo ornamento fucatam, sed au-
 dietis uulgaribus uilibusque uerbis loquentem; credo enim
 iusta

In Apol. So-
 crates.

iusta esse quæ dico, nullusque uestrum aliter expectet, neque
 enim profectò iudices huic ætati conuenire uidetur, ueluti
 adoloscetulo, fictis ad uos ingredi uerbis] cum autem hæc
 de Socrate scribat Plato, quid ipse de his dicendi generibus
 sentiat non obscurè indicat, qui præterea in Iegeto dicit
 [Nominum & uerborum facilitas, & nō nimis accurata exa-
 minatio; ut plurimum non est sordida & illiberalis, sed etiam
 potius contrarium, est autem nonnunquam etiam ne-
 cessaria] in Politico monet [Si caueris ne sis de nominibus
 nimium sollicitus, prudentia locupletior apparebis in fe-
 nestrate] Alcibiades uerò acris iudicij uir dicere solebat,
 se Periclis ornatissimis orationibus non moueri, at Socra-
 tis simplici sermonem in modum flecti. Quid autem
 ARISTOTELIS? nonne ille affirmat rerum maiestatem ni-
 mis ornata, & uarietate distincta oratione imminui, & rebus
 clarissimis tenebris uerborum exornatione obduci? atque
 alio in loco huiusmodi oratoria ornamenta dicendi super-
 uacanea & praua iudicat? cum dicit [Erat mehercule iustif-
 simum, ut nihil forinsecus conquireretur, cætera quæ extrin-
 secus arcescuntur superuacua, & ambitiosa censerī, uerūm
 ut dixi, magnæ sunt uires nitidæ ornataque orationis, idque
 uitio audientium prouenit] Quapropter fucatum istud ora-
 tionis genus ex Philosophorum sententiā adolescentibus cō-
 uenit, uulgarem auditorem delectat, atque rebus tum leui-
 bus tum iniustis est accommodatum; simplex uerò illud &
 nudum prudentes uiros uehementer oblectat, grauissimis
 rebus congruit, ac senes maxime decet; quod aperte Socra-
 tes assererat, & AVGVSTINVS utrumque genus breuiter
 complectens, atque eandem sententiā approbans, dicebat.
 [Sicut est quædam eloquentia, quæ magis ætatem iuueni-
 lem decet, est quæ senilem, nec iam dicenda est eloquen-
 tia si personæ non congruat eloquentis] Cum itaque exor-
 nata splendidaque elocutio sanctorum Patrum auctoritate
 dam-

Li. 3. Reth.

Lib. 4. de
 Doc. Chriſt.

damnetur, Philosophorum consensione reprehendatur; Prudentium uirorum aures offendat, Rerum maiestatem imminuat, sententiarum grauitatem eneruet, Quomodo Theologi eam adamare, Diuinæ res & rationes ipsa illustrari, sanctorum denique ac sapientium uirorum aures illa permulceri unquam poterunt? Eam igitur respuamus, nec Doctore, nec Auditorem nostrum puerilibus fucis assuescere permittamus, sed simplicis ac nudi sermonis elegantiam & uenustatem adamemus, cultum uerò & ornatum sobriè & uerecundè adhibeamus, uel natura duce, uel Arte magistra; Rhetorum enim scholas Christianos pueros frequentare non prohibemus, quos erudiri decentissimum cum CHRYSOSTOMO iudicamus, qui de hoc eloquentiæ studio sermonem habens dicebat [Porrò nemo me modò hanc legem statuere existimet, ut pueri persistant imperiti, nunquam enim prohibere pergerem, quin istud & ex abundanti fieret] turpis enim esse uera eloquentia non potest, cuius auctor est ipse Deus, ut scitè admodum commonet OBSCVMENIVS dicens [Sapientiam mundi uocat eloquentiam, etenim huius largitor Deus est, nam & ipse linguas diuisit, & proprios cuique characteres distribuit, itaque græcæ quoque linguæ dedit splendore; At illi hoc usi non sunt ad id quod oportuit, efficientes ipsū seductionis illecebras, idque agentes ut sermonis persuasibilitas causa fieret introducendi erroris per fabulosas rationes: Redarguit igitur non eloquentiam, sed eam quæ in ipsa est fallendi promptitudinem] Rhetoricam itaque pueros addiscere, atque eius præceptis imbui ac uti concedimus, uel etiam, si magis placet AVGVSTINI consilium, illud sequentes laudamus, is uero ait [Porrò qui non solum sapienter, uerum etiam eloquenter uult dicere, quoniam profectò plus proderit si utrumque potuerit, ad legendos, & audiendos, & exercitatione imitandos eloquentes eum mitto libentius, quàm magistris artis Rhetoricæ uacare præcipio; si tamen hi

qui

Aduersus
uitup. uita
Mon. li. 3.

1a 1. epist.
ad Cor.

Li. 4. de Do
ctri. Christ.

qui leguntur & audiuntur non solum eloquenter, sed etiam sapienter dixisse, uel dicere ueraci prædicatione; laudantur] Recto igitur ac laudabili apud Theologos Rhetoricæ usu explorato & constituto, reliquum id unum est, ut ad eas rationes respondeamus, quæ iam pridem in medium allatæ uerborum ornatum comprobare uidebantur.

Responsiones ad Argumenta, quibus sermonis exortatio confirmabatur. Cap. VIII.



ESTAT iam ut illa diluamus, quæ pro elocutionis ornatu defendendo obiiciebantur, scriptura sacra, ratione, & Patrum dictis exemplisque firmata: Quæ omnia ut facilius conuellantur, illud in primis est memoria reperendum, non omnem nos exornationem respuere, sed compositam & fucatam, grauem autem & simplicem orationem, quamuis elegantem probare, magis quàm rusticum aliquem, & asperum sermonem. SALOMON igitur (ut scripturæ testimonio respondeamus) eum intelligit maiora reperire, qui non sibi soli sapiens est, sed alios præterea sermone docet, & instruit, Doctorem quippe uocat dulcem eloquio, Quòd si quis illum eloquentem interpretatur, non repugnabimus, cum omnem eloquentiam non abiiciamus, sed eam solam, quam ipse etiam SALOMON reprehendit dicens [Qui tantum uerba sectatur, nihil habebit] Fate- mur tamen, quod opposita ratio assumit, uerborum ornatu redundantem orationem semper habuisse popularem quamdam admiratiouem, quod teste ipso Aristotele auditorum uitio euenit, nec solum apud ethnicos sed etiam apud Christianos, inter quos olim fuere & nunc sunt imbecilles multi, idque testabatur (dolentertamen) ipse CHRYSOSTOMVS. Qui etiam ad id respondet, quod de ipso Apollo ad Iudæos ab Apostolis misso obiiciebatur dicens [At inquis si non in sapientia

Prou. 16.

Prou. 12.

Li. 3. de fat

In epist. ad
Cor. ho 3.

piencia uerbi, qua causa Apollo, qui disertus erat, miserunt? Non quod in uerborum potentia confiderent, sed potens erat in scripturis, & reprehendit Iudæos] Lactantius uerò affirmat fucata & fallaciæ artificio erudita in fidelium eloquentiam ecclesiæ obfuisse, qua illi freti incredibili erant audacia, cui sola ueritate obsistere (auditorum. s. uitio) uix nostri poterant: Quæ quidem gentilium, ac hæreticorum temeritas tam fuit aliquando (ut uerum fateamur) uulgi imbecillitate nostris molesta, ut ad eam reprimendam quidam sancti Patres, quasi coacti, ut Chrysostomus etiam innuebat, ea sint usi dicendi copia, & ubertate, qua adolescentes instructi ad grauiora studia se contulerant; ea propter facile concedimus, quod aduersa ratio concludebat, Patres scilicet aliquos ornate quandoque dixisse, in quorum tamen orationis ubertate nulla inest luxuries, sed utilitas maxima: Cur autem ad euangelium nunciandum illos etiam Deus uocauerit, qui ab ineunte ætate multum studij ad dicendū adhibuerint, CHRYSOSTOMVS ipse luculenter exposuit inquit [Propositū erat Patronos, & qui primi uerbum Dei disseminauerunt, non esse disertos; hi enim erant qui multa indigebant uirtute, ut à principio errorem expellerent, si quidem tunc maxime uiribus opus erat ut aditus patefieret; qui igitur primum non indiguit uiris eruditis, si postmodum eloquentes suscepit, non ideo suscepit quod his indigeret, sed quoniã noluit ullam facere differentiam; quemadmodum enim non opus fuit sapientibus ad dirigendam Dei ueritatem, sic neq; qui postea inuenti sunt eicere oportuit] Moyses uerò & Ieremias, non humanam, qua instructi erant, sed Diuinam eloquentiam à Deo deprecabantur, ad delatum munus exequendum necessariam, qua imbuti, & usi sunt Prophetæ & Apostoli omnes, quos propterea disertissimos sibi uideri Augustinus prædicabat, ut paulo ante explicauimus; nec Chrysostomus Paulum Apostolum, ut obijciebatur, humanæ eloquentiæ laude cele-

In epist. ad
Cor. ho. 3.

Lib. 7. de fa-
cerdotio.

celebrat, quem sæpius Idiotam ac imperitum esse prædicat, sed diuinæ sapientiæ præconium illi tribuit, siquidem obiecta uerba cum ijs, quæ antecesserunt, cohærere debent, dixerat itaque CHRYSOSTOMVS [Atqui quod unum reliquū est, Paulum sic Idiotam nequaquam fuisse, ut isti existimant, id iam commonstrare aggrediar; isti enim non eū modò, qui in peregrinæ ac profanæ eloquentiæ præstigij tyrocinium non posuit, sed etiam eum qui pro tuendo ueritatis dogmate depugnare nesciat, idiotam appellant, & recte id quidem; At Paulus non utrobique idiotam se profitetur, sed in horum altero dumtaxat; id quod dum confirmaret, rem diligenter admodum diffiniuit, oratione, non etiam cognitione idiotam se appellitans] Cum igitur in ijs quæ sequuntur uerbis eloquentem illum dicit Chrysostomus, sapientem semper intelligit, quem si quis diuersè interpretatur, inconstantia atque mendacij reum illum facit. Dilutis autem aduersariorum argumentationibus firma ac rata manebit sententia, quam de Rhetoricæ usu paulò ante protulimus.

Li. 4. de fa-
cerd.

Quòd Rhetoricam Artem docere, atque dicendi præcepta sigillatim tradere, nec ad propositum institutum, nec ad Theologi officium pertineat. Cap. IX.



Hic uerò non expectabit solùm, sed postulabit forsasse aliquis, ut iam præcepta, & quasi uias, quæ ad eloquentiam ferant, accuratè tradamus, in primisque argumentorum genera distinguentes definiamus, & ipsorum loca singula, tum propria, tum communia commonstrantes aperiamus, omnes deinde animi perturbationes distinctè enumerantes explicemus, atque cuiuscunque ætatis, generis & ordinis mores diligenter exprimamus,

Quorundam
opini.

C

mus, Tandem verò elocutionis, ac prononciationis formas & figuras omnes persecuti, sententiarum ac verborum singulas exornationes abundè doceamus, eamque actionem imitandam proponamus, quæ in uoce splendorem, in motu habeat dignitatem. Quæ omnia etsi in eorum libris copiosè exposita legantur, qui de dicendi ratione scripserunt, innumera tamen Artis scripta ac monumenta ab ipsis edita peruolare vix ociosis licet, nec tantus labor occupata opera suscipi potest, qui iccirco erit Theologo præ cæteris hominibus molestissimus (viro nimirum in grauissimis & maximis rebus occupato) cui propterea paranda sit dicendi Ars contractione breuior facta, in qua omnium superiorum opportuna præcepta, quasi ex immenso spatio in angustum locum conclusa, strictim exponantur, illisq; ex Ecclesiasticorum Scriptorum monumentis illustria exempla passim adiungantur, ut tandem ex Moabitide Israelites ipsa efficiatur: Idque eò magis necessarium uidetur, quòd indecorum omnino sit Christianum Doctorem huiusmodi Artem, qua abundare debet, cogi ab Ethnicis Rhetoribus mutuari: Nec uerò idem est Verbi Dei Prædicator, quod Orator, sed in hoc & in illo dispar est conditio, atque iccirco eadè dicendi præcepta non sunt utriusque accommodanda, sed quæ ipsi Prædicatori & Theologo conueniant seorsum deligenda, cætera Oratoris ornamenta moderatione aliqua temperanda. Adhæc autem eiusmodi argumentis ad probandum utitur Doctor noster, & Euangelij Prædicator, quæ ab Oratore penitus abhorrent; non solum enim Enthymemate, & exemplo fidem ipse facit (quæ quidè sunt propriæ Oratoris argumentationes) sed Demonstrationibus præterea concludit à Diuina Scriptura, & Traditione, atque ab Ecclesiæ auctoritate ductis. Quapropter ea omnia hoc in loco accuratè explicare, ac definire operæpretiū uideatur, ut disertus, & eloquens is esse possit, quem nunc instituedum suscepimus Auditorem. Hæc sunt quæ à nonnullis iam diu

1. Arg. aff.

2. Argum.

3. Argum.

4. Argum.

Auctoris opinio.

diu desiderantur, atque importunè etiam efflagitantur, perinde ac si illis omnino deberentur, quorum quidem postulatatio iam satisfacere eruditi aliquot viri non denegarunt; Nos autem ad idem præstandum, nec *σφοδρός* ipse, quem proposuimus, nec petentium rationes persuadeant. Quod ut omnes intelligant, paulò longius illius demonstrandi exordium repetemus. Cum itaque Auditoris Theologiæ notas & conditiones explicaremus, firmissimis argumentis rationibusque conclusimus decere illum, qui in Diuinam scientiam studium suum conferat, liberalibus antea disciplinis eruditum esse, inter quas Rhetoricam ipsam meritò numerauimus, cuius studium adolescentibus maxime congruit, ut eiusmodi facultate instructi ad grauissimas res scrutandas tractandasque paratiores accedant. Hoc autem constituto, definiendus restabat earundem doctrinarum vsus Theologo opportunus; quam quidem tractationem hunc in locum reiecit, ut Rhetoricæ quoque Artis vsum inter cæteros explicaremus, nec tamè dicendi præcepta iccirco traderemus, ut potè quæ à Rhetoribus abundè explicata, & ab idoneo Auditore nostro commodè cognita, & percepta, nec nostram operam, nec illius studium & attentionem desiderent; id ipsumque seruauimus in Philosophiæ, Logicæ, Grammaticæ & Historiæ usum explicando ipsi Theologiæ opportuno, nullam enim ex illis Quæstionibus, & rebus tractauimus, quæ à Philosophis, Dialecticis, Grammaticis, & Historicis traduntur, sed quomodo eisdem omnibus Theologum uti deceat exposuimus. Quod autè discrimen sit inter ipsum vsum & Artis opus, Philosophi abundè docent, idemq; nos etiam de Quæstionibus agentes, fusè explicauimus; ubi illud quoq; ab ipsis Philosophis accipientes, diximus, Architectonicam Artem, & Scientiam eo opere ad præstitutum finem uti, quod inferior inseruiens Ars effecerit: ut exempli causa, Faber ipse fræna fabricatur, quibus postea equorum domitor utatur, qui artifex architectus fræ-

De Auditore
reThel. c. 6De Quæstio
nibus c. 10.

no quidem utitur, eiusque formam sibi commodissimam Fabro præscribit, cum tamen eiusmodi opus efficere ipse nesciat, ille uero præscriptum frænum commodè efficit, cuius usum, & tractatione nõ callet. Idem quoq; contigit Theologo & Rhetori, hic enim inferuiens artifex dicendi præcepta tradit, Theologo etiam opportuna, quæ ille superior ad Theologicam tractationem accommodans eisdem utitur; quâ uis (ut iam pridem diximus) ipsa Rhetorica soli Morali Philosophiæ suapte natura inferuiat, quam tamen ἀλογία quadam ipsi etiam Theologiæ inferuire posse pariter declarauimus. Cum igitur Auditorem eum instituendum susceperimus, qui Artis Rhetoricæ præcepta nouerit, satis esse putauimus, eorum usum explicantes, docere quæ sint Orationis genera, ornamenta, adiumenta que deligenda, tanquam Theologis congruentia, & opportuna, atque illis uti quomodo ipsos deceat; id uerò breuiter & generatim exposuimus, utpotè qui uiros alloquamur eloquentiæ studijs eruditos, quibus rerum capita indicare & innuere sufficit. Nostro autem instituto & suscepto consilio plenius patefacto, restat iam ut hominum singula dicendi præcepta à nobis efflagitatum obiectas argumentationes breuiter diluamus. Qui quidem illud in primis opponebant, necessariam esse Theologo, præsertim uerò euangelij Prædicatori, certam ac distinctam notitiè Argumentorum, locorum, perturbationum, morû, elocutionis, exornationum, uocis denique & motuum decoris, quorum præcepta à Rhetoribus tradita innumerabilibus ferè libris cõtineantur. Nos uerò dicimus hæc omnia tribus libris ad Theodectè complexum fuisse Aristotelem quos à Rhetore audiens, & diligenter euoluens perspicax Adolescens, alia dicendi præcepta non desiderabit, ut eloquentiæ arte eruditus exercitatione & stylo oratione formet, atque in rerû Diuinarû contemplatione studium ponat, in quo postea occupatus Rhetorû monumenta peruolutare nec poterit, nec debet; Sanctorû ta-

men

men Patrum scripta studiosè lectitâs, orationis formas, & figuras omnes Theologo congruentes passim obseruabit, atque eiusmodi exemplis lectione facile abundabit. Artis autè externæ & profanæ præcepta petere ab Ethnico præceptore quid habeat indignitatis non intelligimus, illud quidem certò scimus experiètia comprobante Philosophiâ omnè de Natura, & moribus, Geometriâ, Arithmetica, Astrologiâ, Musicâ Perspectiuam & Logicâ ipsam ab Aristotele, Platone, Archimede, Euclide, Ptolomæo, cæterisque Ethnicis Magistris Christianos homines publicè & summa cû dignitate ac laude, eorum uolumina uoluntantes, addiscere, ut propterea miremur id ipsum in sola Rhetorica facultate turpe uideri posse. Multum quoque distare inter Verbi Dei Prædicatorem (quæ Ecclesiasticum Patres appellarunt) & forèsem Oratorem facile fatemur, utpotè qui nouerimus missum illum esse nõ quidem ad orandû, sed docendû, cuius officium iccirco sit Euangelium dilucidè explanare, Catholica Dogmata firmissimis argumentis ex intima Theologia ductis confirmare, Hæreses conuellere, grauissimis sententijs rationibus & exemplis uirtutes alere, & uitia extinguere; Hunc uerò Leuia, & forensia tractare, πρὸ βῆμα sola ad persuadendum adhibere, & ab interiori ac recondita scientia refugere, Sed tamen dicimus Rhetoricam Artem (utpotè perfectam, & absolutam) omnia dicendi præcepta, quæcunque excogitari possunt, necessariò complecti, à qua sumere eadè debeat quisquis illis uti uelit; apta autem deligere, & ad usum accommodatis congruenti moderatione, uti sit postea utentis opus & iudiciû, ut iam sapius diximus. Theologum quoque & Euangelij Prædicatorem ex Scripturæ Traditione & Ecclesiæ auctoritate demonstrationes frequenter ducere facile quidè concedimus, sed eiusmodi argumentorum loca ad Rhetoricam Artem pertinere omnino negamus, ut potè quæ πρὸ βῆμα sola consideret, atq; iccirco solo Enthymemate & exèplo concludere possit, cæteras autem

Ad 2. argu.

Ad 3. argu.

Ad 4. argu.

Respon-
nes ad pri-
mum, arg.

autem Theologiæ Demonstrationes sigillatim explicare, atque illarū uarias ac multiplices species & uires accuratè declarare, ad Theologicam Methodum, quā tractare nunc instituimus, pertinere suo loco abunde demonstrauimus. His igitur responsionibus omnem oppositam argumētationem planè dilutam esse ipsi credimus, in quibus si quis morosior fortasse non acquiescat, is præterea animaduertat usum totius Philosophiæ, Dialecticæ, Historiæ, Grammaticæ, & linguarum peritiæ esse ipsi Theologo æquè (uel magis et) commodum & opportunum, atque sit Rhetoricæ facultatis vsus; cuius Artis præcepta singula si quis iccirco iudicer illi necessariò esse tradenda, is fateri pariter cogetur ex innumerabilibus Philosophorum sectis, & commentarijs omnes de Natura & moribus quæstiones feligendas esse, atque iterum examinandas, & sigillatim definiendas, ut Ecclesiastica Philosophia ipsi Theologo tradatur; à Dialecticis etiã iamdiu explicatas Propositionū species & mixtiones, Syllogismorū figuras ac genera, atq; Definitionum species & conditiones esse in Ecclesiastica Logica repetendas, imò Grammaticæ regulas, linguarum uocabula, & phrasas, Historias denique omnes rursus conscribendas, ut commodè illis uti possit Theologus: id uerò quàm esset non solum operosum & supernacaneum, sed ridiculum etiam ac temerarium, quibus facilè iudicabit; quod ad ipsum Theologum non pertinere nos iam pridem, & abundè ostendimus, dum eorum, quæ sensu & ratione inuestigari possunt, inanes quæstiones percenseremus, ut propterea necesse non habeamus disputationem hanc facere longiorem.

F I N I S.

Titulo de
Theologi-
cis Demō-
strationi-
bus.

De Quæst.
c. 10.



I N D E X
SENTENTIARVM,
QVAE OPVSCVLIS
CONTINENTVR,
& notatione dignæ præ cæ-
teris visæ sunt:

*In quo numerus prior Opusculum, posterior
paginam designat.*

A



- BACVCH historia Danielis confirmatur. I. 35
Adulteræ mulieris historia Traditio explicatur. I. 42
Actuum Apostolorum Traditio aperitur. I. 44
Actuum Apostolorum librum ignotum plurimis
olim fuisse, probatur. I. 44
Apocalypsis Ioannis Traditio explicatur. I. 63
Aetatem multorum, etiam post Diluuium fuisse lon-
gæuam. I. 96
Abacuch trãsslatio cum prandio ex Iudæa in Chaldæam, quæ in Daniele nar-
ratur, defenditur, & similibus exemplis confirmatur. I. 117
Allusiones quomodo ab interprete possint seruari, vel proportionem aliqua
immutari. I. 115. 116
Alexander Macedo quomodo primus Rex Græciæ dicatur, in scripturis, cum
ipse fuerit xxiii. I. 124
Arcam Dei sub Rege Sedechia direpto Templo non fuisse ab hostibus abla-
tam. I. 126

Arcam Dei sub Rege Sedechia non fuisse ab hostibus sublatam, nec restitutam, sed ab Ieremia abditam & seruatum, nec à Iudæis reducibus inuentam, & quomodo illa sit inuenienda. 1.	127
Antiochum vnicum fuisse, de quo fit mentio in libris Machab. quamuis multi duos fuisse affirmarint. 1.	127
In Arca Dei Vnam & Virgam Aaron contineri quomodo. defendi possit. 1.	155
Apocalypsis Ioannis defensio. 1.	165
In Apocalypsi Ioannis esse solæcismos probatur. 1.	166. 169
Apostolorum Canones & Constitutiones fuisse à spiritu sancto dictatas, & Diuinas scripturas dicendas esse. 1.	186
Apocryphorum librorum definitio traditur, & quis ipsorum sit vsus explicatur. 1.	191
Apocryphum esse Græcum. vocabulum, & quid latine sonet. 1.	191
Apocryphi variæ definitiones ab alijs traditæ recitantur, & confutatur. 1.	191
Apocryphos libros omnes non continere mendacia probatur. 1.	192
Apocryphos libros omnes non esse ab ecclesia damnatos probatur. 1.	192
Apocryphum idem non esse, quod pseudepigraphum probatur. 1.	192
Apocryphorum librorum auctores omnes non esse suspectæ fidei probatur. 1.	193
Apocryphorum librorum definitio secundum auctoris sententiam. 1.	193
Apocryphi libri minus proprie qui dicantur, & quare. 1.	194
Apocryphis libris an vtendum sit, & quomodo. 1.	195
Apocryphorum librorum ab aliquibus explicatus vsus repudiatur. 1.	196
De Apocryphorum librorum vsu Auctoris opinio. 1.	197
Apocryphos libros in duplici ordine collocari. 1.	197
Aquila interpres quis fuerit, & qua occasione, quouè proposito scripturam in Græcum conuerterit. 1.	218
Annorum mendum in Lxx. interpretatione inueniri, & quod, & cur. 1.	277
Allegoricum sensum in scriptura esse. 2.	25
Anagogicum sensum in scripturis esse. 2.	26
Allegoria quid significet vocabuli proprietate. 2.	39
Allegoria in qua significatione vsus sit Paulus, & quare à proprietate nominis recesserit. 2.	39
Apostolos scripturas interpretatos fuisse, atque illarum germanos sensus Ecclesiæ tradidisse probatur, & concluditur, An autem omnes scripturas illi sint interpretati, & ipsarum sensum tradiderint, incertum esse dicitur. 2.	79
Audito.	

Auditorem Theologiæ idoneum quemlibet non esse probatur, & concluditur. 3.	3
Auditorem Theologiæ solertem esse oportere probatur, & concluditur. 3.	10
Auditorem Theologiæ fidelem esse oportere probatur, & concluditur. 3.	13
Auditorem Theologiæ temperatis moribus præditum esse oportere probatur, & concluditur. 3.	16
Auditorem, & Doctorem Theologiæ, flagitijs deditum esse posse argumentis probatur, quæ argumenta diluuntur, & dubium illud explicatur. 3.	21
Auditori Theologiæ non esse vtilem, vel opportunam externarum disciplinarum eruditionem argumentis probatur. 3.	25
Auditorem Theologiæ externis disciplinis eruditum esse deere, in primis verò Philosophia excultum argumentis probatur. 3.	30
Auditor Theologiæ ex Grammatica quomodo fructum capiat. 3.	38
Auditor Theologiæ ex Rhetorica quem fructum capiat. 3.	39
Auditor Theologiæ ex Philosophia morali quem fructum capiat. 3.	40
Auditor Theologiæ ex Philosophia Naturali quem fructum capiat. 3.	40
Responsiones ad Argumenta, quibus probabatur non esse Auditori Theologiæ vtilem & opportunam externarum disciplinarum eruditionem. 3.	41
Auditorem Theologiæ debere Philosophiam cum Theologia aliquando pugnantem prosternere. 3.	43
Auditorem Theologiæ superflua, & inutilia ab externis disciplinis refecare debere. 3.	43
Auditorem Theologiæ non debere in externis disciplinis nimis diu voluntari. 3.	43
Auditori Theologiæ necessariam esse Charitatem, & humilitatem. 3.	51
Auditorem Theologiæ, an oporteat pauperem & mendicum esse queritur. 3.	53
Auditorem Theologiæ non oportere esse pauperem & mendicum concluditur, sed sufficere ut à diuitiarum concupiscentia, & solitudine abhorreat, affluentibus autem diuitijs frugaliter, & cum gratiarum actione vtatur. 3.	54
Auditoris precibus ipsi necessaria, atque opportuna spiritus sancti dona impetrari. 3.	55
Artem vnam altera uti bisariam, ea enim vel superiore, vel inferiore uti poterit. 4.	55

B

B ARUCH libri cum epistola Ieremiæ Traditio explicatur. 1.	
27	
Bel Historiæ Traditio confirmatur. 1.	35
Baruc h libri defensio. 1.	109
Belis & Draconis historia defenditur. 1.	117
Berith Hebraicum vocabulum quomodo possit tum pactum, tum Testamentum latine interpretari. 1.	156
Bibliothecæ Ierosolimitanæ incendio aliquot sacros libros periisse. 1.	190
Barbarismos, ac soloecismos esse in scriptura, atque in illius vulgata latina interpretatione conceditur, nec tamen illos repudiandos vel emendandos esse ostenditur. 1.	269

C

C HRISTI historiæ de ipsius sudore sanguineo & Angelo illum confortante, quam Lucas narrat, Traditio explicatur. 1.	41
Canonem hebræorum de libris Canonicis non esse veracem, nec à nobis suscipiendum probatur. 1.	73
Canonem librorum ecclesiasticum plures continere libros, quam hebraicum probatur. 1.	75
Cantici Canticorum defensio. 1.	103
In Cantico Canticorum plurima esse nomina Diuina, diuersa tamen à cæteris Diuinis nominibus, quæ in cæteris Veteris Testamenti libris leguntur, & quare. 1.	103
Chaldæam in scriptura vocari aliquando Persidem. 1.	125
Canones & Constitutiones Apostolorum fuisse à spiritu sancto dictatas, & diuinas scripturas dicendas esse probatur. 1.	186
Chaldæo sermone qui libri Canonici conscripti sint. 1.	205
Chaldaica interpretatio quando, & à quibus facta fuerit. 1.	214
Chaldaicam interpretationem à Iudæis maxime laudari, & quare. 1.	217
Chaldaicam interpretationem esse in Pentateucho fideliolem quàm in cæteris libris, & quare. 1.	218

Chaldaicam

Chaldaicam interpretationem Christianis suspectam esse, & quare. 1.	
217	
Coniecturas in emendanda scriptura parum valere, & quare. 1.	305
Contemplatiuum sensum in scripturis esse. 2.	26
Charitatis Regula dirigendos, & metiendos esse scripturæ sensus probatur, & concluditur. 2.	86

D

D ANIELIS particularum aliquot traditio aperitur. 1.	32
Draconis historia in Daniele confirmatur. 1.	35
Dei nomina in Veteri Testamento quæ sint, & Quare, In Cantico autem Canticorum cur sint nomina Dei à cæteris ipsius nominibus diuersa. 1.	102
Danielis controuersarum particularum defensio. 1.	109
Danieles duos fuisse à quibusdam dici. 1.	117
Danielem bis in lacum Leonum coniectum fuisse, & à quibus, & quomodo. 1.	117
Draconis historia à Daniele narrata defenditur. 1.	117
Quo sensu demonstrent scripturæ sacræ inquiratur, & explicatur. 1.	90
Spiritualem sensum demonstrare probatur. 2.	90
Demonstrationes ex quocunque scripturarum sensu siue litterali, siue spiritali recte duci posse concluditur. 2.	95
Quamuis sensus scripturæ omnes probent, solos tamen Apostolicos, & Propheticos plenè demonstrare, & quare. 2.	96
Doctorem Theologiæ flagitiis deditum esse posse argumentis probaturque argumentationes diluuntur. 3.	21
Disciplinas externas non esse Auditori Theologiæ vtilis, vel opportunas argumentis probatur. 3.	25
Disciplinis externis eruditum esse Auditorem Theologiæ decere argumentis probatur & concluditur. 3.	30
Respondetur ad argumenta concludentia, Disciplinas externas non esse vtilis, & opportunas Theologo. 3.	41

E

E CCLESIA est Verbi Dei custos. 1.	3
Ecclesia tum canone, tum traditione libros canonicos à cæteris distinguit. 1.	3
Ecclesia, quomodo se diuerse gerat in tradendis libris Canonicis, atque in eisdem canone sancendis. 1.	3
Ecclesiæ Traditionem certum esse argumentum ad libros canonicos demonstrandos. 1.	4
Esther posteriorum capitum Traditio aperitur. 1.	18
Epistolas Decretales antiquissimis Rom. Pontificibus ac martyribus inscriptas non esse aspernandas. 1.	16
Ecclesiastica Traditio confirmatur. 1.	25
Euangelij particularum aliquot Traditio aperitur. 3.	40
Epistolæ ad Hebræos Traditio explicatur. 1.	47
Epistolæ ad Hebræos repudiandæ auctores fuisse Arrianos, & quare. 1.	52
Epistolæ Iacobi traditio explicatur. 1.	55
Epistolæ secundæ Petri Traditio aperitur. 1.	57
Epistolarum secundæ, & tertiæ Ioannis traditio explicatur. 1.	60
Epistolæ Iudæ traditio dilucidatur. 1.	60
Esdræ libris obiecta argumenta diluuntur. 1.	86
Esther libri, atque illius controuersarum partium defensio. 1.	91
Esther posteriora septem capita nonnulli catholici supposita, & adulterina esse putarunt, quorum opinio confutatur. 1.	93
Esther posteriora septem capita perturbata & confusa esse in vulgata latina editione, quæ ad rectum ordinem adducuntur. 1.	94
Ecclesiastici libri defensio. 1.	109
Euangeliorum particulis obiecta crimina diluuntur. 1.	132
Epistolam Pauli ad Philemonem, quamuis breuem, multa mysteria continere. 1.	140
Epistolæ Pauli ad Hebræos obiecta crimina recitantur, & diluuntur. 1.	140
Epistolam ad Hebræos non solum esse canonicam, sed etiam Paulo inscribendam, cuius contrarium opinari tutum non esse. 1.	144
Epistolam ad Hebræos non posse, vt aliqui opinati sunt, esse Tertulliani demonstratur. 1.	145
Epistolam ad Hebræos non posse esse Barnabæ probatur. 1.	146
Epistolæ ad Hebræos tum sensus, tum elocutionem esse Pauli, quamuis aliqui aliter sint opinati. 1.	148

Epistolam

Epistolam ad Hebræos incertum esse an Hebraicè, vel Græcè primò sit exarata. 1.	149
Epistolam ad Hebræos Pauli esse defenditur, siue hebraicè, siue græcè scripta illa fuerit. 1.	149
Epistolæ ad Hebræos nomen suum Paulus cur non inscripserit. 1.	151
Epistolarum Catholicarum defensio. 1.	157
Epistolæ Iacobi, quæ obiecta sunt, crimina diluuntur. 1.	157
Epistola secunda Petri defenditur. 1.	158
Epistolarum secundæ & tertiæ Ioannis defensio. 1.	159
Epistola Iudæ à calumnijs defenditur. 1.	161
Enoch liber an fuerit diuinus, & propheticus. 1.	162
Enoch librum fuisse propheticum, & à spiritu sancto dictatum probatur. 1.	181
Esdras an canonicos libros restituerit, vel emendarit, uariæ de eò Patrum sententiæ recitantur. 1.	204
Editio. Vide. Interpretatio.	
Editiones scripturæ, mendosæ & corruptæ, quomodo possint recte & sine errore emendari, explicatur. 1.	300
In emendandis interpretationibus, quòd ad fontem sit confugiendum, ex aliorum sententia probatur. 1.	300
In emendandis interpretationibus, quando tutum sit ad fontem per fugium, explicatur. 1.	303
In emendanda scriptura parum ualere coniecturas, & quare. 1.	305
In Ecclesia seruari certum & germanum scripturarum sensum argumentis probatur. 2.	66
In Ecclesia nullum traditum scripturæ sensum seruari argumentis probatur. 2.	71
In Ecclesia quomodo seruetur scripturæ sensus explicatur, atque obiectæ vtrinque argumentationes diluuntur. 2.	78
In ecclesia seruetur verus scripturarum sensus ab Apostolis traditus. 2.	88
Efficere aliquam rem, & eadem vti ita esse inter se diuersa, ut nec etiam ad eundem ambo pertineant artificem. 4.	55
Exornatione verborum nec Paulum, nec aliquem ex Diuinis scriptoribus usum esse. 5.	15
Eloquentiam quandam esse Diuinam, & quæ sit illa explicatur. 5.	20
Elocutionis duo esse genera, & quæ nam sint illa. 5.	26

F

F A B U L A S dici etiam veras narrationes probatur. 1.	114
Fidei regula quæ sit, atque eius definitio. 2.	81
Fidei regulæ conditiones omnes congruere, quæcunque tum regulæ, tum mensuræ esse propriæ dicuntur. 2.	82
Fidei regula scripturarum sensus metiendos esse concluditur. 2.	85
Fidem vocari ab Apostolo fundamentum & lac. 3.	14
Eorum, quæ ad fidem pertinent, quæstiones quænam stultæ, & quæ laudabiles dicantur. 4.	58
Fidei objecta bifariam partiri. 4.	58
Fidei objecta, quæ Apostolorum symbolo explicite continentur, cuius, etiam infideli, explicanda esse. 4.	58
Fidei obiectorum non esse demonstrationes querendac. 4.	59
Fidelis querens, quia in fide hæsitet, non est laudandus. 4.	59
Fideli querenti, quia in fide hæsitet, scrupulus euellendus est. 4.	60
Fidei obiectorum genus aliud esse abstrusum, & plurimis ita inauditum, ut ab altero genere illud secernere non didicerint. 4.	60
Fidei mysteria non esse Iudeis & Gentilibus aperienda. 4.	61
Fidei mysteria omnia non esse Catechumenis explicanda, sed quædam solis baptizatis. 4.	61
Fidei mysteria consueuisse Patres vel sine scripto docere, vel scribentes cauere ne ad manus omnium peruenirent. 4.	61
Fidei mysteria cur tandem sint omnibus peruulgata queritur, & explicatur. 4.	64
Fidei altiora mysteria debere fideles idiotæ sponte relinquere ipsi Auditori Theologiæ. 4.	65

G

G R A E C I A E Rex primus quomodo dicatur in scripturis Alexander Macedo cum ipse fuerit xxiii. 1.	124
Græcorum Regni annos quomodo numerent Hebræi. 1.	124
Græca lingua conscripti qui libri canonici fuerint. 1.	205
Græca lingua cur vsi sint Apostoli, & Apostolici viri scribentes. 1.	206
Gothica scripturæ interpretatio quæ, & à quo. 1.	270

Græcam

Græcam Noui Testamenti editionem corruptam esse, probatur. 1.	296
Græcos codices Noui Testamenti magis corruptos esse quam Latinos probatur. 1.	297
Ex grammatica quem fructum capiat Theologus. 3.	38

H

H Y M N I trium puerorum traditio aperitur. 1.	31
Hæreticorum morem semper fuisse, uel scripturas aliquas respicere, uel mutilas & decurtatas proferre. 1.	69
Hebræorum Canonem librorum non esse ueracem, nec à nobis suscipiendum. 1.	73
Hebræos multas diuinas scripturas abdidisse, decurtasse, & mendacijs aspersisse probatur, & quare. 1.	73
Hebraica nomina græcè & hebraicè in scriptura posita, fuisse hebraicè ab auctore scripta, græcè autem ab interprete translata, & ita utraque copulata. 1.	113
Hæreticos aliquot sacros libros amputasse, decurtasse, & contaminasse probatur. 1.	190
Hebraicam linguam esse uetustissimam, & nobilissimam omnium linguarum. 1.	203
Hieronymum quæ causæ mouerint ad nouam ex hebræo scripturæ interpretationem edendam. 1.	238
Hebraicam editionem plura continere prophetica testimonia ab Apostolis, & Euangelistis producta, quæ in nulla interpretatione præter eam, quæ Hieronymi est, leguntur. 1.	238
Hieronymi interpretationi ex hebræo quæ fuerint obiecta, & à quibus. 1.	243
Hieronymi interpretationi obiectæ argumentationes diluuntur. 1.	245
Hieronymus quæ hebraica uocabula ignorauerit. 1.	249
Hieronymus non conuertit in latinum, sed emendauit nouum Testamentum olim in latinum conuersum. 1.	250
Hieronymi interpretatio. Vide Interpretatio Hieronymi.	
Hebraica uocabula multiplices habere significationes. 1.	268
Hebraicam editionem non fuisse damnatam & explosam à Concilio Tridentino. 1.	274. 276
Hebraicam editionem, in latinum conuersam præter uulgatam, esse à Concilio Tridentino explosam. 1.	276

Hebrai-

Hebraica editio an sit integra, & incorrupta, uel mutila, & mendis contaminata, quaeritur. 1.	279
Hebraica editio, à Iudæis corrupta, quomodo nobis utilis adhuc sit, declaratur. 1.	291
Hebræos veteres spiritalem scripturæ sensum agnouisse, iuniores vero illum ob ipsorum ruditatem, & cæcitatem aspernari. 2.	12
Historia quem fructum afferat Theologo. 3.	38

I

I UDITH libri traditio dilucidatur. 1.	15
Iacobi Epistolæ traditio explicatur. 1.	55
Ioannis secundæ & tertiæ epistolarum traditio aperitur. 1.	60
Iudæ epistolæ traditio dilucidatur. 1.	60
Ioannis apocalypsis traditio explicatur. 1.	63
Iudith libri defensio. 1.	88
Iob librum Tragicomediam uocant Anabaptistæ, & Iudæi Talmudistæ. 1.	88
Iob genus, Patriam, ac seculum incertum esse, cum de ipsis Patres dissentiant. 1.	98
Iob libri scriptorem incertum esse. 1.	98
Iob librum cum Hebraica, Syriaca, & Arabica lingua societatem habere, nec tamen ex tribus linguis illis compositum esse. 1.	99
Interpretes quomodo possint uerborum allusiones seruare, uel proportione quadam illas immutare. 1.	115
Ieremiæ Descriptiones quæ fuerint. 1.	125
Io. Euangelio de adultera muliere ca. 8. quæ obijciantur, atque eiusdem historię defensio. 1.	136
Iacobi Epistola defenditur. 1.	159
Ioannis secunda & tertia epistola defenditur. 1.	159
Iudæ epistola defenditur. 1.	161
Ioannes duos fuisse, unum Euangelistam, alterum presbyterum. 1.	160
Ioannis Apocalypsis defenditur. 1.	165
Ioannes Apostolus cur dictus sit Theologus. 1.	168
Ieremiam alios libros scripsisse præter illos canonicos, quos habemus, probatur. 1.	183
Iudæos abdidisse, & corrupisse multos sacros libros, qui illorum fraude, & amentia perierunt. 1.	187
Iob liber qua lingua conscriptus fuerit. 1.	205

Inter-

Interpretationes librorum sacrorum quando, quomodo, & à quibus factæ fuerint. 1.	207
Interpretationem septimam scripturæ non esse Lucianeam, ut nonnulli asserunt, probatur. 1.	215
Interpretatio Luciani Martyris quando, & quomodo inuenta. 1.	216
Interpretatione LXX. seniorum, atque Hebraica editione usos fuisse Apostolos probatur, & quomodo. 1.	234
Interpretatio LXX. Vide. Septuaginta interpretatio.	
De interpretationibus latinis. 1.	236
Interpretationes scripturæ latinæ olim fuisse innumerabiles probatur. 1.	236
Interpretationem latinam ueterem olim fuisse dictam tum Italianam, tum uulgatam. 1.	236
Interpretatione latina ueteri usam olim fuisse Romanam Ecclesiam usque ad tempora magni Gregorii. 1.	236
Interpretationem latinam ueterem Testamenti Veteris, non ex hebræo, sed ex Græco deriuare, præsertim uerò ex 70. conuersione, probatur. 1.	237
De interpretatione noua Hieronymi ex hebræo, & quæ causæ illum compulerint ad ipsam edendam. 1.	238
Interpretationi Hieronymi quæ obiecta sint, & à quibus. 1.	243
Interpretationi Hieronymi ex Hebræo, obiectæ argumentationes diluuntur. 1.	245
Interpretationem ueterem latinam Hieronymus ex græca LXX. interpretatione emendauit. 1.	249
Interpretatio uulgata latina Noui Testamenti, cuius auctoris sit, ignoratur. 1.	251
Interpretationem latinam uulgatam esse diuersam ab illa ueteri, de qua Hieronymus, Augustinus, & Gregorius mentionem faciunt. 1.	251
Interpretationem latinam uulgatam necessariò esse uel ueterem, uel Hieronymi probatur. 1.	254
Interpretationem latinam uulgatam esse Hieronymi probatur. 1.	256
Interpretatio latina uulgata partim esse Hieronymi, partim non, & quomodo, & quibus in libris sigillatim explicatur. 1.	259. 260
In interpretatione latina uulgata cur desint obeli, & asterisci à Hieronymo appositi. 1.	261
Interpretatio latina uulgata in quibus scripturæ libris non sit Hieronymi. 1.	262
Interpretationem uulgatam latinam Noui Testamenti esse ueterem à Hieronymo emendatam probatur. 1.	262
In interpretatione latina uulgata cur loca aliquot à Hieronymo emendata,	

nunc

nunc ita legantur, ut Hieronymus dixerat esse corrigenda. 1.	263
Interpretatio Hieronymi secundum LXX. interpretum editionem, an legatur, & sit superflua. 1.	264
Interpretationes scripturæ latinorum recentiorum quot, & quæ sint, & quando cœperint. 1.	265
Interpretationem vulgatam esse latinarum omnium optimam, cæteris anteponendam, atque Ecclesiæ iudicio comprobata. 1.	265
Interpretationis vulgatæ canonem quare Patres in Concilio Trid. promulgant. 1.	265
Interpretationi vulgatæ latinæ obiecta crimina diluuntur. 1.	267
Interpretationis vulgatæ latinæ defendendæ tres viæ, & rationes ostenduntur. 1.	269
Interpretationem vulgatam latinam barbarismis, & sollecismis refertam esse conceditur, nec tamen esse iccirco repudiandam, uel emendandam ostenditur. 1.	269
Interpretationes alias esse scripturæ præter græcas & latinas, & quæ sint illar, & quantæ in Ecclesia auctoritatis. 1.	270
Interpretationes scripturæ olim fuisse in omnibus Gentium linguis probatur. 1.	272
Interpretationem vulgatam latinam an ita probet Ecclesia, ut eam, quæ LXX Seniorum est, interpretationem, & hebraicam editionem, ac Noui Testamenti græcam damnet, atque illarum usu fidelibus interdicit, disputatur, & definitur. 1.	272
Cum interpretatione vulgata latina cæteras editiones pugnare locis productis, & collatis ostenditur. 1.	273
Interpretationis latinæ cum cæteris editionibus discrepantia tollitur. 1.	278
Interpretationem vulgatam latinam solis latinis anteponi à Conc. Tridentino, non autem græcis, & hebraicis editionibus, ostenditur. 1.	275
Interpretationes quasunque latinas, & ex LXX. interpretum conuersione, & ex hebraica editione manantes, præter vulgatam, explosas esse à Concilio Tridentino. 1.	276
Interpretationem vulgatam latinam, Apostolorum consuetum morem, & exemplum quasi imitatam, nunc ex hebraica editione, nunc uerò ex græca interpretatione id omne accipere, quod ad Ecclesiæ fructum momentum aliquod afferre animaduertit. 1.	278
Ex alijs interpretationibus, præter Vulgatam latinam, & Græcam LXX. interpretum, quis hucusque percipere possit, & quis sit illarum rectus usus. 1.	278
Iudæos uerba, sententias, & libros integros scripturæ subtraxisse, aliquam mutasse, & totius scripturæ lectionem corrupisse probatur. 1.	282

Interpreta-

Interpretationem vulgatam latinam corruptam esse probatur. 1.	299
Interpretatio vulgata latina ita incorrupta nunc est, ut nullum omnino mendum in ea deprehendatur, quod cum fidei regula, & diuina doctrina pugnet. 1.	299
Interpretationes qui emendare uolunt, ad fontes confugere oportere, ex aliorum sententia probatur. 1.	300
In interpretationibus emendandis quando tutum sit ad fontem per fugium, explicatur. 1.	303
Iudæi quos libros iuuenibus legendos non permittebant. 3.	4
Iudæos fidei & religionis mysteria uelare solitos fuisse. 3.	4

L

L IBRUM canonicum esse canone ipso demonstrari. 1.	1
Liber canonicus idem est, quod scriptum Dei uerbum. 1.	1
Libri Canonici quibus Ecclesiasticis canonibus sigillatim enumerantur, & sacri esse declarentur. 1.	2
Librum aliquem esse Canonicum, præter canones, traditione quoque demonstratur, & quomodo. 1.	3
Librorum canonicorum traditionem eorundem canonem tempore antecedere, & quomodo à canonibus illa distinguatur. 1.	3
Librorum canonicorum traditio unde sumenda sit. 1.	3
Librorum canonicorum traditionem, certum esse argumentum ad eosdem demonstrandos. 1.	4
Librorum canonicorum in duas classes partitio, in eos scilicet, qui notissimi sunt, & alios minus notos. 1.	6
Libri canonici notissimæ traditionis enumerantur. 1.	7
Libri canonici minus notæ traditionis enumerantur. 1.	7
Libri canonici quare in duas classes, notissimæ nimirum, & minus notæ traditionis distribuuntur dubitatur, & ad obiecta argumenta respondetur. 1.	7
Libri canonici aliqui cur minus noti facti sint, ceterorum traditione nota permanente, distinctè explicatur. 1.	10
Librorum canonicorum notæ traditionis breuis quædam explicatio, & confirmatio. 1.	12
Libri singuli Testamenti ueteris notæ traditionis testimonijs noui Testamenti confirmantur. 1.	12
Librorum Tobia & Iudith traditio aperitur. 1.	15
Libri Esther posteriorum capitum traditio probatur. 1.	18

Libro-

Librorum canonicorum particulae quae sint Tridentini Concilij canone necessario approbandae. 1.	20
Libri sapientiae traditio dilucidatur. 1.	21
Libri Ecclesiastici traditio confirmatur. 1.	25
Libri Baruch cum epistola Ieremiae Traditio explicatur. 1.	27
Librum eundem indiscriminatum Baruch & Ieremiae a scribi. 1.	28
Librorum Machabaeorum traditio aperitur. 1.	38
Libris canonicis quot & quae obijciantur, & ad quae respondere sit propositum. 1.	68
Librorum canonicorum dignitate effici, ut multa in illis non sint ferenda, quae in profanis libris facile tolerantur. 1.	68
Librorum canonicorum scriptores qui fuerint, non esse semper inquirendum, & de eo laborandum, probatur. 1.	71
Librorum canonicorum scriptores, ab Ecclesia constanter asserti, ob solam Ecclesiae reuerentiam respici non debere, sed eosdem fuisse & credendum, & disputando defendendum esse. 1.	71
Librorum canonicorum scriptores non esse eorundem auctores, sed solum scribas, & calamos, Auctorem autem ipsum Spiritum sanctum, probatur. 1.	72
Libros canonicos ab Hebraeis nos non accepisse, sed ab Apostolis. 1.	73
Librorum Canonem hebraicum non esse ueracem, nec a nobis Christianis suscipiendum, probatur. 1.	73
Libros canonicos aliquot a Iudaeis olim abditos, decurtatos, & mendacis aspersos fuisse, & quare, probatur. 1.	73
Libros canonicos plures esse in canone Ecclesiastico, quam hebraeo, probatur. 1.	75
Librorum canonicorum parem semper fuisse in Ecclesia dignitatem, & auctoritatem, singulosque pro sacris, & diuinis semper habitos fuisse probatur, & ad obiecta argumenta respondetur. 1.	76
Libros omnes canonicos esse certissimae & infallibilis ueritatis. 1.	77
Librum nullum canonicum aliquando fuisse apocryphum, uel infra sacrorum & diuinorum ordinem constitutum, quamuis aliqui aliter senserint. 1.	78
Librum nullum canonicum aliquando fuisse caeteris cognitione, & tempore inferiorem contra Sixtum Senensem probatur. 1.	78
Librum esse canonicum tres significationes habere, & quas. 1.	81
Libros certitudine, auctoritate, & cognitione pares uel impares esse duobus modis accipi & quibus. 1.	82
Libri canonici proprijsimè accepti, postquam in sacrorum numerum relati sunt,	

sunt, pares inter se certitudine, auctoritate, & cognitione esse; non solum in seipsis, sed quod ad ipsam Catholicam Ecclesiam, & quod ad singulas Ecclesias tum Praelatorum, tum subiectorum. 1.	83
Libri canonici, minus proprie accepti, in secunda scilicet, & tertia significatione, pares inter se semper fuisse certitudine, auctoritate, & cognitione in seipsis, & quod ad ecclesiam catholicam, quod uero ad singulares Ecclesias tum Praelatorum, tum subiectorum, impares illos esse non solum cognitione, sed etiam auctoritate, & certitudine. 1.	83
Libro Esdrae obiecta argumenta diluuntur. 1.	86
Libro Tobiae obiecta argumenta diluuntur. 1.	86
Libri Iudith defensio. 1.	88
Libri Esther, atque illius controuersarum partium defensio. 1.	91
Libri Iob ab obiectis calumnijs defensio. 1.	97
Libri Iob scriptorem incertum esse. 1.	98
Librum Iob cum Hebraica, Syriaca, & Arabica lingua habere societatem, nec tamen ex illis tribus linguis compositum esse. 1.	99
Libri psalmorum ab obiectis reprehensionibus defensio. 1.	100
Librorum aliquot Salomonis defensio. 1.	103
Libri sapientiae defensio. 1.	104
Librum Sapientiae qui repudient, & quare. 1.	104
Libri Ecclesiastici defensio. 1.	109
Libri Baruch defensio. 1.	109
Libri Daniel controuersarum partium defensio. 1.	109
Liber Descriptionum Ieremiae qui fuerit. 1.	125
Librorum Machabaeorum defensio. 1.	118
Lucae Euangelij de sudore sanguineo, & angelo Christum confortante, quae obijciantur, atque illarum narrationum defensio. 1.	136
Lex uetus quomodo, & cur dicatur pactum & testamentum. 1.	156
Libros alios olim fuisse a Spiritu sancto dictatos, Dei uerbum complectentes, praeter illos, qui in canonicorum numerum relati sunt, dubitatur, & demonstratione definitur. 1.	181
Librum Enoch fuisse Propheticum, & a Spiritu sancto dictatum probatur. 1.	182
Libri a Spiritu sancto dictati, praeter canonicos enumeratos, quot & qui fuerint esse inquirendum. 1.	186
Librorum sacrorum omnium Diuinam scripturam meminisse nec scribitur, nec ratione aliqua concluditur. 1.	187
Libri sacri, a Spiritu sancto dictati, nec inter canonicos numerati, cur in obliuione iaceant, explicatur. An uero illi interciderint, uel superstites adhuc maneat, distinctione declaratur. 1.	187

I N D E X.

Librorum aliquot sacrorum iacturæ sex causæ afferuntur. 1.	187
Libros plures sacros à Iudæis abditos, & corruptos, atque illorum fraude, & amentia ammissos esse. 1.	187
Libros sacros ab hæreticis fuisse tum sublato, tum decurtatos, & contaminatos. 1.	190
Librorum apocryphorum definitio traditur, & quis ipsorum sit usus explicatur. 1.	191
Libros apocryphos in duplici ordine collocari. 1.	197
Libros alios à Spiritu sancto dictatos fuisse, præter enumeratos canonicos, cum multi negent, ad illorum argumenta respondetur. 1.	198
Librorum canonicos, ab Ecclesia lati, quomodo sint interpretandi. 1.	201
Libros à canone præteritos nec probari, nec damnari. 1.	102
Librorum canonem magis copiosum edendi potestatem sibi Ecclesiam non ademisse. 1.	202
In libris canonicis cōscribendis qua lingua usi sint sacri ipsi scriptores. 1.	203
Linguam hebraicam antiquissimam esse, & nobilissimam omnium linguarum. 1.	203
Lingua hebraica qui libri sacri conscripti sint. 1.	203
Libros canonicos an Esdras restituerit, uel emendarit, uariæ patrum sententiæ recitantur. 1.	204
Liber Iob qua lingua conscriptus fuerit. 1.	205
Libri canonici Chaldæa lingua qui fuerint conscripti. 1.	205
Lingua græca qui libri canonici conscripti sint. 1.	205
Lingua græca cur usi sint Apostoli, & Apostolici scriptores. 1.	206
Libri canonici, quod conuersi fuerint ab interpretibus, & in alias linguas translati, & quando, & quomodo, & à quibus. 1.	207
Libros canonicos ante interpretationem LXX. seniorum fuisse in græcum conuersos probatur. 1.	207
Legem tum à Patribus, tum ab ipsa scriptura vocari totum vetus Testamentum, probatur. 1.	213
Luciani martyris interpretatio quando, & quomodo inuenta fuerit. 1.	216
Latina editio. Vide. Interpretatio latina.	
Libros canonicos in oēs Gætiarum linguas translato fuisse probatur. 1.	272
Linguas tres latinam scilicet, Græcam, & Hebraicam cæteris omnibus antecellere, & cur ad scripturam exarandam illæ præcipuè adhibite sint. 1.	276
Litteralem sensum in scriptura esse probatur. 2.	23
Litteralem sensum etiam Metaphoricum esse, probatur. 2.	24
Litteralis sensus definitio traditur. 2.	25
Litteralem scripturæ sensum falsum, noxium, & mortiferum esse, eundemque	

I N D E X.

que cum spirituali sensu pugnare, argumentis probatur. 2.	47
Litteralem sensum verum, & salutarem esse, atque cum spirituali optime conuenire, probatur. 2.	51
Littera occidit, spiritus autem uiuificat, quomodo aliqui interpretentur, atque eiusmodi interpretationum euerfiones. 2.	53
Litteralem sensum duplicem esse, verum scilicet, & apparentem, ostenditur. 2.	56
Litteralem apparentem sensum mendacem, alienum, & noxium esse. 2.	56
Litteralem apparentem sensum duplicem esse ostenditur. 2.	56
Litteralem verum sensum, quamuis semper verax ille sit, aliquando tamen noxium esse, si quod iubet seruetur, ostenditur. 2.	57
In litterali sensu non esse sistendum, sed ad spirituales sensum progrediendum, probatur. 2.	58
Litteralis sensus verus, non apparēs, à Spiritu sancto intellectus, verax est, utilis & salutaris, non est tamen ubique seruandus, nec in eo sistendum est, sed ad spirituales sensum progrediendum, qui cum litterali non pugnat, sed proportione quadam illi optime respondet. 2.	60
Litteralis sensus species enumerantur, ac definiuntur. 2.	60
Litteralem sensum esse basim, & fundamentum aliorum sensuum demonstratur. 2.	61
Litteralem sensum notiozem esse spirituali, probatur. 2.	62
Litteralem sensum effici eum, qui in alio scripturæ loco est spiritualis, probatur. 2.	66
Libri recensentur, quos legendos iuuenibus Iudæi olim non permittebant. 3.	4
Logica quem fructum afferat Theologo. 3.	38

M

M ACHABÆORVM voluminum traditio aperitur. 1.	38
Marci cap. ultimi traditio explicatur. 1.	40
Mardochei ætas examinatur. 1.	95
Machabæorum Voluminum defensio. 1.	118
Matthæi Euangelio quæ ab hæreticis obijciantur, atque eiusdem defensio. 1.	132
Marci ultimo capiti quæ obijciantur, atque eiusdem defensio. 1.	134
Moralem sensum in scripturis esse. 2.	27
Moralem sensum tum in litterali tum in allegorico sensu deprehendi, ab illis	
b tamen	

tamen distinctam speciem non constituere, & quare. 2.	41
Mendacia Jacob quo sensu defendantur. 1.	93
Mysteria fidei & religionis velanda esse, quod etiam apud Iudæos, & apud Aegyptios fieri solitum esse ostenditur. 3.	4

N

N OMINA diuino monitu hominibus imponi quandoque illorum futuris casibus consentanea: id uerò ab hominibus fieri non posse. 1.	98
Nomina hebraica, græcè repetita in scriptura, fuisse hebraicè ab auctore scripta & græcè ab interprete translata, & utraque coniunctim posita. 1. 132	
De nomine quot & quæ haberi quæstiones possint, & quænam illarum stultæ sint, uel laudabiles, longa oratione explicatur. 4.	26
Nomina plura genera recensentur, & examinantur, & quibus utendum sit explicatur. 4.	30.37
Nomina noua quando proferre, & imponere liceat, & cui. 4.	33.37

O

O RATIONIS Azariæ traditio aperitur. 1.	31
Orationem esse necessariam ad impetrandum intellectum, scientiam, & sapientiam à Deo. 3.	56

P

P ETRI epistolæ secundæ traditio explicatur. 1.	58
Psalms libri ab obiectis reprehensionibus defensio. 1.	100
Psalms omnium sensus Dauidis fuisse. 1.	102
Psalms plurimos Dauidem non cecinisse. 1.	102
Psalms plurimos à Dauide non fuisse compositos, quorum elocutionem eorum esse, quibus inscripti sunt. 1.	102
Prophetiæ scripturæ mos est futura tanquam præterita narrare. 1.	103
Prophetarum & Regum futurorum nomina Prophetis fuisse reuelata. 1.	102
Prophetas eisdem, varijs prophetiæ generibus vaticinatos fuisse probatur. 1.	114

Prophe-

Propheticum spiritum non excludere uires naturales, nec impedire quin Prophetæ vaticinando illis utantur, atque ingenium, eruditionem, vigilias & labores ad scribendas prophetias adhibeant. 1.	123
Prophetas diuersè prophetasse, quibusdam spiritu sancto sensus, & verba suggerente, alijs sensum solum, cum verborum delectui idem assisat. 1.	123
Perfidem in scriptura vocari etiam Chaldæam, & vicinas regiones. 1.	125
Paulum Apostolum infantem non fuisse, sed diuina eloquentia instructum. 1.	151
Petri epistola secunda defenditur. 1.	158
Prophetas dici non eos solum qui futura secundum litteram prædicunt, sed omnes præterea illos, qui scripturas sacras exararunt. 1.	230
Psalterij vulgata interpretatio quæ sit declaratur. 1.	259
Psalterij interpretationem esse communem siue Lucianeam LXX. interpretum in latinum conuersam. 1.	261
Psalterium à Hieronymo ex hebræo in latinum conuersum cur ecclesia non probarit, atque illo utatur. 1.	261
Propheticum sensum in scripturis esse. 2.	26
Præceptis Diuinis nos astringi, & peccati vinculo obligari, ad ipsa autem tenenda & opere, ut decet, explenda ab eisdem non perduci, nec etiam iuuari. 2.	59
Frustra Deus Prophetijs futura præmonstrasset, nisi illæ expletæ eadem præterita demonstrarent. 2.	92
Philosophos priscos omnes Auditores indiscriminatim non admisisse probatur. 3.	3
Philosophia excultum esse decere Auditorem Theologiæ probatur. 3.	30
Patres antiquos externis disciplinis excultos fuisse probatur. 3.	35
Philosophia moralis quem fructum afferat Theologo, explicatur. 3.	40
Ex Philosophia naturali quem fructum afferat Theologus, declaratur. 3.	40
Philosophiam omnem Dei munere, & concessu hominibus non esse tributam, sed aliquam solum. 3.	41
Philosophiæ triplex genus percensetur. Verum scilicet, falsum, & mixtum. 3.	42
Philosophiæ genus quodnam amplectendum, quod uerò fugiendum sit. 3.	42
Philosophiam, non quidem veram, sed curiosam & mendacem à scriptura damnari. 3.	44
De Prouidentia quæstio ipsa, quo stulta sit, & quomodo laudabilis dicenda. 4.	24
Paulum Apostolum usum non esse exornatione verborum, probatur. 5.	15
Paulus Apostolus quomodo dicatur, uel non dicatur Idiota. 5.	33

b 2 Quæstiones

Q

Q VAESTIONIS ipsum quid nominis explicatur. 4.	3.
Quæstiones omnes inutiles & prauas esse argumentis probatur. 4. 4.	4. 4.
Quæstiones. utiles esse & laudabiles, argumentis probatur. 4.	11.
Quæstionum genus uniuersum in differens esse, cuius species aliæ sint laudabiles, aliæ verò vituperatione dignæ, probatur & concluditur. 4.	18.
Quæstionem stultam esse, quæ de re per se nota est. 4.	21.
Quæstioni vitium obuenire uel à re, de qua quæritur, uel à persona, quæ inquirit. 4.	21.
Quæstio stulta dicitur, quæ est de re penitus ignota. 4.	22.
Quæstio stulta dicitur, quæ de re est, quæ ratione nostri cognosci non potest. 4.	23.
Quæstio stulta dicitur, quæ impietatem uel turpitudinem præfert. 4.	24.
Quæstio de Prouidentia quomodo dicatur stulta uel laudabilis. 4.	24.
Quæstio stulta dicitur, quæ est de re inutili & superuacanea. 4.	25.
Quæstiones quot & quæ de Nomine haberi possint, & quænam illarum stultæ sint, uel laudabiles, accuratè explicatur. 4.	26.
Quæstiones quæ dicendæ sint causa medijs stultæ uel laudabiles, quæ ritur, & definitur. 4.	41.
Quæstiones quæ intentionis, & scopi causa sint laudabiles uel stultæ, examinatur & definitur. 4.	43.
Quærentem oportere ad Veritatem, Pietatem, & Charitatem, oculos semper adijcere. 4.	43.
Quæri omnia ab omnibus non debere, sed definitas res à definitis personis, quærendas esse probatur, & concluditur. 4.	47.
In quæstionibus tractandis neminem adhuc discernicula tradidisse, quibus res & personæ discriminatæ, secernantur, ut quid cuique congruat, repugnet uel sine errore comperiat. 4.	49.
Quærentium personarum ordines distinguuntur & enumerantur. 4.	49.
Rerum, de quibus quæritur, genera, & gradus distinguuntur, ac recensentur. 4.	50.
Quærentem Theologum de rebus, quæ sensu & ratione cognoscuntur, an deceat, examinatur. 4.	51.
De quæstionibus eorum, quæ sensu, & ratione inuestigari possunt, fusè tractatur. 4.	51.
Quæstiones, quas interuenientes artifices tractarint, non licere Theologo afferre. 4.	56.
Quæstiones de fide quæ stultæ, & quæ laudabiles dicendæ sint. 4.	58.

Quæ-

Quærens demonstrationes obiectorum fidèi reprehendendus, est. 4.	58.
Quærens fidelis, quia in fide hæsitet, laudandus non est. 4.	59.
Quæstiones ad Theologiam pertinentes quæ stultæ, & quæ laudabiles dicantur. 4.	66.
Quæstiones eorum, quæ ad Beatorum uisionem pertinent, à nobis etiam Theologis non esse examinandas. 4.	71.
Responsiones ad ea omnia, quæ uniuerso quæstionum generi obijciebantur. 4.	73.

R

R HETORICA quem fructum afferat Theologo. 3.	39.
Rhetorica uti quomodo & quare possit Theologus. 5.	4.
Rhetoricam non posse sua natura uersari nisi in rebus ciuilibus. 5. 4.	5. 4.
Rhetorica uti posse Theologum sola analogia. 5.	5.
Quod Rhetores non nouerint genus quoddam dicendi Diuinum, humana omnia præcepta transcendens, de quo agitur. 5.	20.
Eos, qui Rhetoricæ operam dederunt, cur Deus ad Euangelium nunciandum uocauerit. 5.	32.
Rhetoricam artem docere, atque dicendi præcepta tradere, quod nec ad propositum institutum, nec ad Theologi officium pertineat. 5.	33.

S

S CRIPTVRA sacra quare dicatur Canonica. 1.	1.
Sapientiæ libri traditio dilucidatur. 1.	21.
Sufannæ historiæ traditio aperitur. 1.	32.
Scripturas sacras uel respuere, uel mutilas & decurtatas proferre, quod hæreticorum moris semper fuerit probatur. 1.	69.
Scriptores librorum canonicorum qui fuerint non esse semper inuestigatione laborandum. 1.	71.
Scriptores librorum, canonicorum ab Ecclesia constanter asserti, ob solam Ecclesiæ reuerentiam respici non debere, sed eisdem assertos uerè scripsisse credendum, & disputando defendendum esse. 1.	71.
Scripturæ sacræ auctores non esse, qui illam scripserunt, sed solum scribas, & calamos, auctorem autem Spiritum sanctum, probatur. 1.	71.
Scripturam sacram non à Iudæis, sed ab Apostolis nos accepisse. 1.	73.

a 3 Scriptu-

Scripturas aliquot diuinas Iudæos olim abdidisse, decurtasse, & mendacijs aperuisse probatur, & quare. I.	73
Scripturas sacras plures esse in canone ecclesiastico, quàm in hebraico, probatur. I.	75
Scripturæ sacræ morem esse, vt multa per anticipationem narret. I.	94
Scripturæ morem esse, vt filijs tribuat, quæ parentibus acciderint, dicatque filios illos venisse, quorum parentes aduenerunt. I.	96
Scripturæ morem esse, ut nomina hominibus imposita recitet, quæ illorum hominum casibus consentanea deprehenduntur. I.	99
Scripturæ prophetiæ mos est futura tanquam præterita narrare. I.	103
Salomonis librorum aliquot defensio. I.	102
Sapientiæ Salomonis defensio. I.	104
Sapientia Salomonis à quibus repudiatur, & quare. I.	104
Sapientia Salomonis à quibusdam Philoni Iudæo tributa fuit. I.	105
Sapientiam, Salomoni inscriptam, à neutro Philone Iudæo potuisse conscribi, probatur. I.	108
Susannæ historia defenditur. I.	112
Susannæ historiam olim fuisse hebraicè scriptam. I.	112
Seniorum Susannæ accusatorum nomina secundum aliquorum sententiam recitantur. I.	117
Seniores Susannæ accusatores, quòd Rex Babylonis frixerit in sartagine ignis, quomodo defendi possit. I.	117
Scripturæ morem esse, ut in ea scriptores de seipsis perinde scribant, ac si de alio homine loquerentur. I.	133
In scripturis sacris multa reperiri, quæ à sancto spiritu ibi dictata, humano etiam ingenio alibi excogitari, proferrique potuerunt. I.	139
Scripturam sacram non respicere solæcismos, & barbarismos. I.	169
In scripturis ipsis esse mendacium aliquod nullo modo concedendum esse, probatur. I.	183
Scripturam diuinam omnium sacrorum librorum meminisse nec scribitur, nec certa aliqua ratione concluditur. I.	187
Scripturas omnes, quotquot Esdræ antecesserant, an ipse restituerit, uel emendarit, aut eas solas, quas nunc habemus, cæteris diuina prouidentia suppressis, incertum esse. I.	199
Sine scripturis diuinis quomodo salutem adipisci homines possint. I.	199
Scripturæ diuinæ aliquæ quomodo obsint, uel non profint. I.	201
In scripturis diuinis, conscribendis, qua lingua usi sint sacri ipsi Scriptores. I.	203
Symmachus interpres quis fuerit, & qua occasione & proposito scripturam	

in Græcum conuerterit. I.	219
Septuaginta interpretum historia narratur. I.	209
Septuaginta interpretes cum fuerint LXXI I. cur dicantur. LXX. I.	211
Septuaginta interpretes non solum legem, idest Pentateuchum, conuertisse in Græcum, sed totum Vetus Testamentum. I.	211
Septuaginta seniorum interpretationem cæteris græcis omnibus esse anteponendam pluribus argumentis probatur. I.	218
Septuaginta interpretes legitimè missos fuisse ad interpretandam scripturam. I.	219
Septuaginta interpretum eruditio, & doctrina quæ fuerit. I.	220
Septuaginta interpretes fuisse mystagogos & cabalistas probatur. I.	220
Septuaginta interpretes conuertentes scripturam fuisse Spiritu sancto afflatos. I.	221
Septuaginta interpretum cellulæ in Pharo insula plurimis testimonijs antiquorum Patrum confirmantur. I.	222
Septuaginta interpretes fuisse ueros Prophetas pluribus argumentis, & Patrum testimonijs demonstratur. I.	224
Septuaginta interpretes habuisse auctoritatem conscribendi sacram scripturam, probatur. I.	224
Septuaginta interpretes scripturam in græcum conuertentes, multa uerba immutasse, imò & sensum, probatur. I.	226
Septuaginta interpretes integras sententijs scripturæ adidisse probatur. I.	229
Septuaginta interpretes multa sustulisse ex scriptura. I.	230
Septuaginta interpretes fuisse Prophetas, probatur. I.	232
Septuaginta interpretum cōuersione usos fuisse Apostolos, probatur. I.	232
Septuaginta interpretum cōuersione usos fuisse antiquos Patres probatur. I.	234
Septuaginta interpretum cōuersionem, usu ac iudicio Ecclesiæ comprobata esse ostenditur. I.	235
Septuaginta interpretum cōuersionem cæteris græcis omnibus anteponendam esse tanquam abundè probatum concluditur. I.	235
Septuaginta interpretes quædã obscurius interpretatos fuisse, & quare. I.	239
Septuaginta interpretum editione in varijs exemplaribus corrupta esse. I.	240
Scripturæ loca proferuntur, quæ Hieronymus corrigenda dicebat, nec tamen sunt correctæ. I.	253
Septuaginta interpretum communis editio quæ sit. I.	261
Ad scripturæ veritatem, ac integritatem comperendam hebræos, vel græcos codices inquirere, & ad illos, veluti sortes, confugere, non esse facile, nec tutum. I.	267

- Scripturam atque eius interpretes rusticè, & barbarè loqui, conceditur, & ostenditur, eiusmodi autem barbariem, ac rusticitatem seruandam esse, non repudiandam uel emendandam. 1. 269
- Sclatonica interpretatio, quæ sit, eamq; falsò ascribi D. Hieronymo. 1. 271
- Syriaca interpretatio scripturæ, quæ sit, & cuius auctoritatis. 1. 271
- Septuaginta interpretum græcam editionem non fuisse damnatam à Concilio Tridentino. 1. 275
- Scripturæ editiones tres probatas esse, & quæ sint illæ. 1. 276
- Scripturæ editiones trium linguarum crucis titulo, quasi Symbolo, significari. 1. 276
- Septuaginta interpretum editionem latinam à Concilio Tridentino exploratam esse, & quare. 1. 276
- In septuaginta seniorum interpretatione mendum reperiri, & quod, & cur. 1. 277
- Ex scriptura libros, sententias, & uerba à Iudæis subtracta fuisse, aliqua immutata, ac totam denique scripturæ lectionem corruptam probatur. 1. 282
- Scripturæ loca à Iudæis corrupta recitantur. 1. 283
- Septuaginta interpretum græca exemplaria uaria olim fuisse probatur. 1. 293
- Septuaginta interpretum exemplaria græca omnia olim fuisse corrupta probatur. 1. 294
- In septuaginta interpretum exemplaribus numerum annorum, ab hebraica editione discrepantem, mendosum esse, probatur, & unde mendum illud ortum sit declaratur. 1. 295
- Septuaginta interpretum editionem græcam, non solum communem, sed eam etiam, quæ in exaplis legebatur, fuisse corruptam probatur. 1. 295
- Septuaginta interpretum editionem, quæ in exaplis habebatur, cum dicat Hieronymus fuisse incorruptam, quomodo illud intelligendum sit. 1. 296
- Scripturæ editionibus omnibus corruptis existentibus, quomodo eiusdem ueritas & integritas in Ecclesia seruetur. 1. 299
- Scripturæ loca sæpe Patres memoriter recitasse, & sensum potius, quam uerba retulisse, ut propterea Patrum singularia huiusmodi testimonia non fiat tanta quò ad restituendam scripturæ integritatem. 1. 304
- In scriptura emendanda parum ualere coniecturas, & quare. 1. 305
- In scriptura multa præclara esse, ita singularia, ut nulli hominum sermoni conuenire possint. 2. 5
- Quòd sub eisdem scripturæ uerbis, atque illorum ambitu, siue periodo plures ac multiplices subijciantur ueri sensus, probatur, & concluditur scripturæ, & Patrum testimonijs. 2. 5
- In scriptura non solum uerba, sed res ipsas & acta, plures sensus significare

- probatur. 2. 6
- Scripturæ sensus eruere, & novos promere nõ solum spiritui sancto, & sacris scriptoribus licuisse, sed ecclesiæ & singulis Doctoribus licere, probatur. 2. 7
- In eadem scripturæ uerba non posse plures sensus accommodari argumentis probatur, ad quæ etiam respondetur. 1. 10
- Scripturæ multiplices sensus non ambiguitatem & fallaciam, ut in humanis scriptis, signent, sed notitiam, & perspicuitatem. 2. 11
- Quòd singuli sensus, in eadem scripturæ uerba accommodadi, à nobis recenferi non possint; cum nonos assidue præferre tum ecclesiæ, tum unicuique Theologo liceat, abundè probatur, & concluditur. 2. 13
- An singule scripturarum enunciationes in plures ueros sensus piè accommodari possint, necne, in utranque partem disputatur. 2. 19
- Nullam scripturæ enunciationem esse, ex qua plures sensus erui non liceat concluditur, quoad Scripture aut ecclesiæ auctoritate, vel certa demonstratione ostendatur, aliquas esse in scripturis sanctis enunciationes, quibus à spiritu sancto unicus sensus ita sit tributus, ut omnes alij falsi & adulerini omnino sint iudicandi. 2. 23
- Sensus litteralis. Vide Litteralis sensus.
- Quot & quæ sensuum species in scripturis sanctis piè deprehendantur, disputatione inquiritur. 2. 23
- Sensum spirituale in scripturis esse demonstratur. 2. 25
- Sensus allegoricus. Vide Allegoricus sensus.
- Sensus mylticus. Vide Mylticus sensus.
- Sensus Anagogicus. Vide Anagogicus sensus.
- Sensus propheticus. Vide Propheticus sensus.
- Sensus contemplatiuus. Vide Contemplatiuus sensus.
- Sensus Tropologicus. Vide Tropologicus sensus.
- Sensus moralis. Vide Moralis sensus.
- Argumenta, quibus probatur præter litteralem scripturæ sensum cætera sensuum nomina non esse synonyma, sed diuersos re ipsa sensus, & distinctos significare. 2. 32
- Scripturæ triplex sensuum genus varijs figuris designari, & quæ sint illæ figuræ explicatur. 2. 35
- In scriptura quomodo corpus, anima, & spiritus esse dicantur. 2. 36
- Triplex sensuum genus in scriptura esse ostenditur, & qui sint illi sensus, & quo nomine appellentur declaratur. 2. 37
- Quadruplex sensuum genus quomodo in scriptura dici possit. 2. 38
- Sensus plures eiusdem speciei eisdem scripturæ uerbis contineri probatur, & concluditur. 2. 42

Ad spiritualement sensum progrediendum esse non in litterali sistendum probatur. 2. 58

Sensuum scripturæ omnium basim & fundamentum esse litteralem sensum. 2. 61

Sensuum scripturæ species non esse æque notas probatur, ignotiorem autem esse spiritualement sensum ipso litterali. 2. 62

Spiritualement sensum infideles, & improbos homines latere demonstratur. 2. 64

Eundem Spiritualement sensum in alio scripturæ loco effici litteralem probatur. 2. 66

Argumenta, quibus probatur seruati in ecclesiâ certum, & germanum scripturæ sensum traditione acceptum. 2. 68

Argumenta quibus probatur nullum traditum scripturæ sensum in ecclesiâ seruari. 2. 71

De sensu tradito, & in ecclesiâ seruato quæstio proposita, & disputata explicatur, & vtrinq; obiectæ argumentationes diluuntur. 2. 78

Apostolos scripturas interpretatos fuisse, atque illarum germanos sensus ecclesiæ tradidisse probatur & concluditur, An autem illi scripturas omnes sint interpretati, & ipsarum sensum tradiderint incertum esse dicitur. 2. 79

Apostolos tradidisse quod plures tum eiusdem, tum diuersarum specierum sensus in scripturis delitecant, quos ecclesiæ, & singulis Doctoribus liceat piè excogitatos (quamuis non traditos) ex eisdem scripturis libere eruere. 2. 79

Apostolos plures, vel eosdem etiam, eadem scripturæ verba diuersè quandoque fuisse interpretatos, probatur, & asseritur. 2. 80

Regulæ traduntur, quibus scripturæ sensus catholici & pijs à cæteris interno-scantur. 2. 81

Sensus scripturæ regula fidei metiendos esse concluditur. 2. 83

Sensus scripturæ Apostolici quod à cæteris pijs & catholicis sensibus internosci possint. 2. 87

Sensus scripturarum regula charitatis metiendos & dirigendos esse probatur, & concluditur. 2. 86

Verum scripturarum sensum in ecclesiâ seruari ab Apostolis traditum. 2. 88

Sensus singulos multarum scripturarum, ab Apostolis traditos, in ecclesiâ, & Patrum commentarijs inueniri piè credendum esse, Quod verò omnium scripturæ verborum & dictorum extent, & consent eiusmodi sensus, nulla nec auctoritate, nec ratione concludi. 2. 88

Sensum certum & perspectum scripturam omnem, & singulas eiusdem particulas

particulas plene & perfectè complectentem, ab Apostolis traditum, & in Ecclesiâ custoditum, eum simpliciter esse, qui regulis fidei, & charitatis continetur. 2. 89

Sensum Scripturarum, Synagoga olim per Moysen traditum, nihil aliud fuisse, quam ipsam fidei Regulam, illamque angustam magis, quam sit hæc Regula per Apostolos Ecclesiæ tradita. 2. 89

Sensus illos præ cæteris omnibus, quamuis Catholicis, deligendos esse, quos Apostolicos esse conlitterit. 2. 89

De quo Scripturarum sensu loquatur Concilium Tridentinum. sess. 4. 2. 89

Quo sensu scripturæ sacræ demonstrant, inquiritur, & explicatur. 2. 90

Spiritualement sensum demonstrare probatur. 2. 90

Ex quo cunque Scripturarum sensu, siue litterali, siue spirituali demonstrationes rectè duci posse concluditur. 2. 95

Quamuis sensus omnes scripturæ probent, solos tamen Apostolicos, & Propheticos verè demonstrare, & quare. 2. 96

Qui sint Apostolici & Prophetici scripturæ sensus declaratur. 2. 96

Sensus Apostolicos, & Propheticos scriptura etiam ipsa, præter traditionem, dignosci, & quomodo. 2. 96

Solertiam requiri in omni Auditore cuiusvis discipline. 3. 10

Scientiam Diuinam vocant ab Apostolo ædificium & cibum. 3. 14

Scientiam vnã altera vti bifariam, ea enim vel superiore, vel inferiore vti poterit. 4. 55

Scriptores sacros non esse vfos exornatione verborum probatur. 5. 115

T

T O R I A E libri traditio demonstratur. 1. 15

Tobia libro obiecta argumenta diluuntur. 1. 86

Tabernaculum in direptione Templi Ierosolymitani sub Rege Sedechia non fuisse ab hostibus ablatum. 1. 126

Tabernaculum scit non fuit ab hostibus ablatum, ita nec restitutum fuisse, sed ab Jeremia abditum & seruatum, nec tamen à Iudæis reducibus inuentum, & quomodo illud inueniendum esse intelligatur. 1. 126

Templi purgationem vnã fuisse tempore Iudæ Machabæi, non duplicem ut quidam putant. 2. 127

Testamentum vetus quare dicatur Testamentum, & pactum. 1. 136

Traditiones omnes non fuisse hucusque ab Ecclesiâ examinatas, & scripto editas. 1. 201

Traditiones

Traditiones quare, & quomodo examinare, & scriptis peruulgare soleat ecclesia. 1.	20
Translatio librorum. Vide. Interpretatio. Testamentum vetus legem vocari tum à Patribus tum ab ipsa sacra scriptura, probatur. 1.	23
Thargum id est Chaldaica interpretatio, quado, & à quibus facta fuerit. 2	14
Tiquy sophrim quid sit. 1.	17
Tiquy sophrim Christianis suspectum esse. 1.	17
Theodotio quis fuerit, & qua occasione & proposito scripturam in Græcum conuertent. 1.	19
Testamentum nouum non conuertisse Hieronymum, sed emendasse. 1.	30
Testamenti noui vulgata latina interpretatio cuius auctoris sit ignoratur. 2	31
Testamentum nouum latinè legi nunc secundum veterem interpretationem à Hieronymo emendatam. 1.	31
Testamenti noui græcam editionem corruptam esse probatur. 1.	296
Testamenti nouos græcos codices magis esse corruptos, quam Latinos probatur. 1.	297
Tropologicum sensum in scripturis esse. 2.	27
Sensum scripturæ traditum in Ecclesia seruari argumentis probatur. 2.	66
Sensum scripturæ traditum in ecclesia nullum seruari argumentis probatur. 1.	71
De Tradito sensu quæstio explicatur, & obiectæ vtrinque argumentationes diluuntur. 2.	78
Traditum fuisse ab Apostolis, quod plures tum diuersarum, tum eiusdem speciei sensus in scripturis delitescant, quos ecclesiæ & singulis Doctoribus liceat piè excogitatos (quamuis non traditos) ex eisdem scripturis liberè eruere. 2.	79
Quæ tradita sint ab Apostolis, & quibus, & quomodo. 2.	81
Theologiæ Auditor. Vide. Auditor Theologiæ.	
Theologum aliquem ex bardo & stupido euasisse non legitur apud illustres auctores. 3.	11
Theologos plurimos nomine esse, te ipsa paucos, & quomodo hoc sit intelligendum. 3.	22
Tentatibus cur Christus aliquando responderit, aliquando verò noluerit respondere, quaritur, & explicatur. 4.	45
Theologum de rebus, quæ sensu, & ratione inuestigari possunt, an quærere deceat, liceat uè. 4.	51
Theologiam nulla uti posse scientia tanquam superiore, sed omnibus uti veluti inferioribus, & quomodo. 4.	55
Theologo non licere eas quæstiones afferre, quas inferuientes artifices tractarunt, sed ab ipsis potius excogitata, inuenta, atque conclusa sibi sumere	

mere illū oportere, iisdēque uti iure suo posse, & debere cōcluditur. 4.	56
Theologum quæstiones tractare quæ ad inferuientes artifices pertinent, quando & quomodo possit. 4.	57
Ad Theologum pertinentes quæstiones quæ stultæ, & quæ laudabiles dicantur. 4.	66
Theologia quæ complectatur, ut subiecta. 4.	68
Theologiæ quis habitus sit, & quomodo à fide & scientijs distinguatur. 4.	68
Theologiæ fundamentum esse fidem. 4.	68
Theologicas quæstiones tractare non debere, qui tum fide & moribus, tum singulis Auditoris Theologiæ notis & conditionibus ornatus nō sit. 4.	70
Theologum tria dicendi genera, Demonstratiuum. s. Deliberatiuum, & Iudiciale tractare probatur. 5.	3
Theologia quomodo & quare uti possit Rhetorica, explicatur. 5.	4
Theologiam posse sola analogia uti Rhetorica. 5.	5
Theologum & entymemate & exemplo uti. 5.	6
Theologus mouere affectus cur, & quomodo possit, ut in ipso illud sit laudabile. 5.	7
Theologū verborū exornatione uti debere ex aliorū sententia probatur. 5.	8
Theologum verborum ornatum aspernari debere probatur. 5.	11
Theologiæ congruere genus quoddam docendi diuinum, humana omnia præcepta transcendens, probatur, & concluditur. 5.	20
Quod præter diuinam eloquentiam humana quoque dicendi facultas Theologo sit opportuna, & quo verborum ornatu illum uti deceat. 5.	26
Responiones ad argumenta, quibus verborum ornatum Theologo commodum, & congruens esse probatur. 5.	31
Ad Theologi officium non pertinere Rhetoricam docere, atque dicendi præcepta sigillatim tradere, probatur & concluditur, atque obiectæ argumentationes diluuntur. 5.	33

V

V ERBUM Dei scriptum idem est, quod liber canonicus. 1.	1
Verbum Dei in æternum manere, & cælo ac terra transeuntibus illud non præterire, quomodo intelligendum sit. 1.	199
Verbum Dei propriis promissis accipi. 1.	99
Vulgata editio. Vide. Interpretatio vulgata.	
Uti re aliqua, & eandem efficere, ita esse diuersa, ut nec etiam ad eundem artificem pertineant. 4.	55

ERRATA, QVAE ANIMADVERTIMVS.

hic notanda, & germanam lectionem restituendam curauimus. Allegationes autem in margine extra ordinem aliquando positae, eruditus Lector iudicio disponet, & quae nos fugerunt, errata corriget. Numerus prior Opusculum posterior paginam designat.

1.3. Scireque.	Serieque.	1.100 Cap.xxii	Cap.xxliij
1.9 multi traditionibus.	Multis traditionibus.	1.104 Doctores	doctiores
1.13 pura Christi	plura Christi	1.105 oppugnat	oppugnant
1.17 Iob. 12	Tob. 12.	1.112 dicens; adhuc	dicens (Adhuc
1.17 est uerbis	ex uerbis.	1.112 deest alleg. Originis	ca.
1.24 Scriptum sanctū	Spiritum sanctum	1.112 in li. Postici	in li. Poetica.
1.30 Vestrote, domine	Vestro, te Domine.	1.115 οὐρανῶν	οὐρανῶν
1.38 Ecclesia	Ecclesia	1.115 Israel. Postremo	Israel postremo
1.42 Deest allégatio Dion.	De coel. Hier. c.4.	1.119 multa plura	multo plura
1.49 De differentia & sypo.	De diff. essent. & hypost.	1.121 & dolore pedore	dolore & pedore
1.54 Heb. 76.	Har. 76.	1.121 discreptum	discreptum
1.55 3. Pet. 3.	2. Pet. 3.	1.122 cath. hidi	in Matth. c. 27.
1.55 οὐ βολα	οὐ βολα	1.125 deest alleg. Hieronymi	
1.56 non legitis	non legitis.	1.127 repetitur	repetitur
1.56 Dydimo	Dydimus.	1.128 aptum	appetitum
1.56 coll. 16. cap. 16.	Coll. 16. ca. 16. Iacob. 4	1.133 Hebraicæ	Hebraicæ
1.57 agiter	agite	1.140 li. 1. fer. 42.	li. 1. her. 42
1.58 Can. 7	Can. 7. Iacob. 3.	1.140 ser. 69.	har. 69
1.59 ausit	auxit	1.148 Quod asserunt	Quod alij asserunt
1.59 Coll. 7. cap. 25.	Coll. 7. cap. 25. 2. Pet. 2	1.151 abhorrea	abhorreat
1.59 Mor. 1. 8. cap. 1. cap. 11. 2. Pet. 2.	Mor. 1. c. 1. 2. Pet. 2. mor. 1. 8. c. 11. 2. Pet. 2.	1.160 duo olim	duos olim
1.64 deest all. Dion.	li. 7. hist. c. 20.	1.171 ab Eldra	ab Eldra
1.67 Tirenium	Ticoninum	1.171 benigilate	benignitati
1.68 diligens opera	diligenti opera	1.171 dicuntur autem	ducuntur autem
1.68 & suppositas	ut suppositos	1.179 numerandas	numerandos.
1.75 Quartum genus argenti.	Quartum genus argumentationis	1.184 indicemus	judicemus
1.80 Prese. in Prori.	Pras. in Prou.	1.184 excogitam	excogitatum
1.82 ac quasi.	Hac quasi	1.184 In Mach. c. 27.	In Matth. c. 27
1.83 in scriptis	In seipis	1.185 utrumque uerò	utrumque uerò
1.89 ad qui	qui	1.188 diuina aliquod	diuina aliquor
1.89 Dei adificatio-nem	Dei ad adificatio-nem	1.190 factam	factam
1.89 Canone	canoni	1.191 ἀδύνατον	ἀδύνατον
1.90 Afranius	Africanus	1.193 uno altero	uno aut altero
1.90 Ehresiam	Chresiam	1.200 tradita ne	tradita
1.90 Ehresia	Chresia	1.204 tiam	etiam
1.90 historicum	historicorum	1.207 Scriptura canonis	Scriptura conuer-
1.90 in &	&	1.210 quod ad	quos ad
1.91 profanis	à profanis	1.216 e Pamphilo	Pamphilo
1.91 Onesimam	Onesimum	1.217 Tiquy soprim	Tiquy soprim
1.92 exigisse	exegisse	1.223. deest Hier. all.	Prolin. Pentateuchum
1.95 annis xij	annus xij	1.228 per qua	qua per
1.95 Hidaspen	Hidaspen	1.232 non obscura	non obscure
1.97. ἀπιβαν	ἀπιβαν	1.236 conijemus	conijemus
1.100 in Elipha	cum Elipha	1.240 causa. 1.	Causa. 3.
		1.244 christiani omnis	Christiani hominis
		1.242 interpretatio-nem facerem	interpretatione face-
		1.242 autē interpretes	autem interpre-
			deest

1.242 deest Hieron. all.	Pras. in Euang.
1.244 super psal. 4.	super psal. 47.
1.244 deest Hieron.	in Jer. c. 6.
1.247 lege semel tantum hac uerba: disjunctas potius	
1.253 desunt in margine alleg. scrip. Gal. 1.	
Ep. 1. eph. 4. 1 Cor. 3.	Rom. 12. Mart. 6.
1.255 uulgata hac.	vulgata hac
1.258 Virgo	Virago
1.263 iniuria	incuria fieri
1.263 & Originis	& origines
1.263 Nazarenus	Nazareus
1.264 Ecclesia igitur	Ecclesia igitur
1.264 an ipse	an ipsa
1.265 peruersiores	peruersiones
1.268 deest alleg. scrip.	Gen. 36.
1.268 Atque breuiter	Ad qua breuiter
1.269 in Dei	Dei in
1.270 sit hac	fit hac
1.270 Vidulam	Vulfilam
1.271 Sclaunicam	Sclaunicam
1.271 Esti	est
1.272 Cap. xliij	Cap. xliij
1.274 impietatis	in impietatis
1.275 ἀμεβολῶν	ἀμεβολῶν
1.277 riuulum	riuulum
1.278 fuit interpreta-	interpretantes
1.278 unicam	unicam ueram
1.279 Gregorius	Georgius
1.279 uolumine	Volumina
1.283 tum prater	cum prater
1.183 desiderarentur	desiderentur
1.284 ipsi interpretati	ipsi interpretati
1.284 ut nobis	ut uobis
1.286 aspernabantur	aspernabantur
1.287 in loco	in hoc loco
1.291 repente	& repente
1.291 quamuis hac ex	quamuis hac ex
1.291 Talmuditis	Talmuditis
1.292 ex interpretibus	ex interpretationibus
1.295 iam occasio	iam occasionem
1.300 sensum etiam	sensum etiam
1.301 deest all. Aug. 2. de Doct. Christ. c. 15.	
2. 6. repromissionem	per repromissionem
2. b deest alleg. script.	lo. 3.
2. 8 dicimus scripta	didicimus scripta
2. 8 in Isa. li. 2. tit. 2	In Isa. li. 2. tit. 1.
2. 16 non reprehendat	non reprehendit
2. 17 Originem	Originem
2. 17 iisdem	iisdem
2. 19 Scripturis uerbis	Scriptura uerbis
2. 20 sermo. 24.	sermo. 34.
2. 20 nec Spiritus sanctus	nec Spiritus sancti
2. 20 deest allegatio ser.	1. Cor. 10.
2. 23 nec nimis	nec minus
2. 26 idemq;	idemque
2. 27 uoluntati	Voluntati
2. 29 (ἐπιμολογία) .i.	(ἐπιμολογία scilicet)
2. 30 deest alleg. Pauli	Coloss. 2.

2.30 1. Cor. 10.	1. Cor. 2.
2.31 uoluntates	uoluntates
2.37 portione	proportione
2.42 super eodem	sub eodem
2.44 describuntur	describitur
2.49 A quo dissen-	A quo non dissen-
tiens	tiens
2.52 affixum	affixum
2.52 Damnant	dannarit
2.54 Basilium	Basilium
2.58 Rom. 25.	Rom. 15.
2.71. Cant. 6. Cant. 7.	Cap. 6. Cap. 7.
2.71 ex eodem	ex eadem
2.72. prae	& prae
2.74 & probis	& improbis
2.76 Prol. in li.	Pro. in li. Regum
2.84 Liernenis	Lirenensis
2.91 & scripturas	& ad scripturas
2.91 Apostolicis &	Apostolicis &
2.92 aliquid futura	atque futura
2.92 nihil demonstrat	nihil demonstraret
2.98 metitos	metitus
2.98 metaphora ex-	metaphora expres-
pressa	so.
3.3 non solis	non in solis
3.3 & penitorem	& penitorem.
3.5 propius itaque	propius itaque
3.6 imperitorem	imperitorem
3.14 ac lacte	at lacte
3.15 consentancus	consentancas
3.16 itaque ad	idque ad
3.17 continens	consentiens
3.17 deest Originis all.	in Leuit. hom. 5.
3.19 contentiens	contentiones
3.20 erat autem	erax autem
3.11 effigendum	effigendum
3.22 huic scientiam	huic scientia
3.26 externa ita	externa ista
3.28 quisquam afferret.	quicquam afferret.
3.29 obijciat	obijciat
2.29 deest all. Firmiani	De iustitia li. 5.
3.29 deest all. August.	in Quæst. mixtum.
3.32 & habere	& haberi
3.33 Salem	Salem
3.35 diligentem	diligentem
3.39 Tim. 1.	Tir. 1.
3.40 usui	usui esse
3.40 de naturali	de natura
3.42 in Gen. hom. 18.	In Gen. hom. 18.
3.44 Agar ipse	Agar ipsa
3.44 in mente tua	in manu tua
3.46 nebulorum	nebulonum
3.49 Theologia scientia.	Theologica scientia
3.49 possit	prosit
3.51 tumorem	tumorem
3.51 sed &	sed ad
3.54 solum quibus	solum opibus
3.55 claritatem	charitatem
3.56 deest Dionisij all.	De Diu. nom.
3.46 in Gen. hom. 4.	In Gen. hom. 14.
3.56 in Tim.	in Tim.

4.7 atque eandem	atque in eandem	4.59 reputat	reputat
4.8 deest alleg. Christi	in Io. ho. r.	4.60 ut dicimus	ut diximus
4.11 abijciendus	abijciendum	4.62 constitus	constitutus
4.15 habitat	habita	4.62 cautè ne	cauene
4.17 disputationibus	disquisitionibus	4.64 deest all. Orig.	in Ezech. hom. r.
4.18 sit & indifferens	sit indifferens	4.65 infigat	infigant
4.18 alia ero	alia uero	4.66 <i>αἰτίδοτος</i>	<i>αἰτίδοτος</i>
4.19 recentiores	tum recentiores	4.67 praterque	prater quæ
4.19. in r. ep. ad	in r. ep. ad Tim.	4.68 excelsum	excelsum
4.21 rixandi	rixandi	4.71 super eos	super nos
4.22 uel utrunque	uel utrunque	4.74 multiplicent	multiplicant
4.22 sit nix	sit nix	4.74 <i>αἰτίδοτος</i>	<i>αἰτίδοτος</i>
4.22 ac demonstra-	ncc demonstrationem	5.3 multiplicata	multiplicata
4.22 id utrunque	id utrunque	5.5 ciuiles artifex	ciuilis artifex
4.22 abstruatum	abstratum	5.6 <i>πυδαια</i>	<i>πυδαια</i>
4.22 deest all. Clem.	from. li. 3.	5.10 displicet	displicet
4.25 quam illorum	quam illarum	5.13 diuinas causas	diuinas causas
4.28 or. ad c.2. Episc.	Or. ad C.L. Episc.	5.14 & paucitate	& puritate
4.28 Philetres	Phasélites	5.14 Athenarum	Athenarum
4.30 <i>προφτεβαντο</i>	<i>προφτεβαντο</i>	5.15 uminibus	luminibus
4.30 proferebantur	proferebantur	5.18 elutio	elocutio
4.32 Patris nomen	Patres nomen	5.19 gloria etiam	gloriosè etiam
4.36 utrumque ferendum	utrumque ferendum	5.19 sed corrupta	sed corruptam
4.40 de duob. nat.	de dupl. nat.	5.20 consecratos	consecratos
4.43 diriga	dirigat	5.20 eorumque	eorumque
4.48 septima	optima	5.20 discrepationem	discrepationem
4.49 quod uel	quæ uel	5.23 locutionis	locutiones
4.50 exquiri	exquiri	5.24 illum solum	illud solum
4.51 Habeant	habent	5.26 ipsi maxime	ipsis maxime
4.52 subtrahit	subtrahet	5.27 deest alleg. Pro-	li. r. de uita contemp-
4.53 artificium	artificem	5.27 <i>σπερι</i>	c.24.
4.56 definiatur	definiatur	5.29 Iacteto	Textero
4.56 humanas diuinas	humana diuinis	5.29 in Politico	& in Politico
4.57 euocant	auocant	5.29 tenebris	tenebras
4.57 responsione	reprehensione	5.35 persuadeant	persuadent
		5.35 Historia usum	Historia usum
		5.36 quoque contigit	quoque contingit
		5.36 notitiè	notitiam

